



יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX
169.
כדברך
הבינני
JOH. XVII.
17.
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
ἐστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

Niedner. 1870.

RHETORICA

SANCTORUM PATRUM.

TOMUS I.

S.-CLODOALDI. — E TYPOGRAPHEO BELIN-MANDAR.

RHETORICA
SANCTORUM PATRUM,

QUA EORUM TEMPORA,
VITA, OPERA, OPERUMQUE PRÆCIPUÆ EDITIONES, ET CONCIONANDI
MODUS, ET PRÆDICANDI PRÆCEPTA DESCRIBUNTUR,

AUCTORE

A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI.

TOMUS PRIMUS.

Interroga Majores tuos, et dicent tibi
Deut. cap. XXXII, 7.




PARISIIS,

APUD BALLIN DE SAINT-PAUL, EDITOREM,


VIA VULGO DICTA DE SEVRES, N. 31.

MDCCCXXXVIII.





REVERENDISSIMIS
IN CHRISTO PATRIBUS
D. D. GALLICARUM ECCLESIARUM EPISCOPIS :
HONORANDIS INTER PRIMOS
CATHEDRALIUM CANONICIS :
DOCTISSIMIS
SEMINARIORUM RECTORIBUS :
VENERABILIBUS
PAROCHIARUM PASTORIBUS :
FACUNDIS
VERBI DIVINI PRÆDICATORIBUS :
OMNIBUS
OMNIUM GENTIUM PRESBYTERIS :
NECNON ET STUDIOSIS
SACRARUM LITTERARUM ALUMNIS :
OPUS SUUM DICAT ET CONSECRAT
HUMILLIMUS SENIORIS CLERI SERVUS,
DEVOTUS JUNIORIS AMICUS,
A. B. CAILLAU
CANONICUS HONORARIUS CENOMANENSIS
ET CADURCENSIS.



PROOEMIUM.

Non nova, inauditaque scripturus calamo manum admovere præsumpsi; sed quæ vera, recta, probabiliaque, vel accepta tradidérunt, vel inventa sanxérunt non ignobilis notæ scriptores, delibare primùm, deindè verò delibata in unum quemdam mellifluumque liquorem condensare conatus sum, quatenùs dispersas hìnc et indè veterum recentiorumque divitias nullo ferè labore studiosus Lector colligere valeat. Hìnc plura ex Benedictinorum *Procœmiis, plura è Synopsi conciliorum patris* Labbæi, *plura ex* Dupini, *licèt non semper et ubiquè probandi, Bibliothecâ Patrum, plura ex* D. Ceillier *notissimo laudandoque ferè semper Opere, plura ex Ritu concionum apud sanctos Patres, auctore* D. Ferrario, *plura sed non sinè sapiente quodam delectu, ex* Clemenceti *opere*, de Arte certiorandi tempora, *plura ex Rhetoricâ ecclesiasticâ* Ludovici Granatensis; *plura deniquè ex aliis pluribus, quos recensere longiùs foret, deprompta certo ordine rescribere statuimus. Quos quidem exiguos nostri laboris conatus, amice Lector, facili manu suscipere velis, oculisque benignis perlegere.*



RHETORICA
SANCTORUM PATRUM.

INTRODUCTIO.

DE OPERIS UTILITATE
NECNON ET EJUSDEM DIVISIONE.

Si Plato et Socrates, cùm ambitiosum sibi philosophorum nomen vellent apud homines vindicare, tot tantisque laboribus insistere non dubitaverint : si facundus ille Demosthenes, vano popularis auræ desiderio impulsus, abdicatis omnibus terrestribus curis, nunc procul ab urbium tumultu, solus, in tenebrosæ specûs silentio, obscurâ tremulæ lampadis luce vix recreatus, Thucydidis aliorumque Scriptorum lectioni incumbere; nunc vicina maris saxa scandens, novo studii genere, longos sermones anhelanti licèt spiritu recitare sustinuerit; si nunc etiam,

ut de nostro quoquè tempore sermonem faciam, illi qui mundi gloriam quærunt, sivè ad explicandas legum ambages, sivè ad componendam Homerici carminis modulationem, sivè ad obtinendam sublimis vel nitidæ orationis famam, assiduis conatibus insudare non desinant; quanto pudore perfundi deberent Ecclesiæ alumni, imò et sacerdotii tirones, si qui, contemptis veterum divitiis, tàm gloriosum laborem, vel turpi metu reformidantes, vel culpabili negligentiâ prætereuntes, ne manu quidem pertractare, aut oculo perlustrare curarent, sacros virorum illorum codices qui, juxtà Scripturæ effatum, *postquàm se ampliùs dedērunt ad lectionem legis et Prophetarum, voluērunt et ipsi scribere quæ ad doctrinam et sapientiam pertinent, ut desiderantes discere et illorum periti facti, magis magisque attendant animo et confirmentur ad legitimam vitam* [1], quin et aliosad legitimam vitam instruere satagant. Verùm enim verò, cùm annuente Dei Optimi Maximi providentiâ, hæc discendi mentes omnium sitis exurat, ut nunquàm fortassè tot tantique momenti libros prelum emiserit; cùm non obstantibus rerum publicarum tempestatibus, Religio sibimetipsi in Galliâ quodammodò superstes, jacentes etiamnùm ruinas excitare videatur, excitentur quoquè sopitæ jampridem subter dispersos sanc-

[1] Eccli. Prolog.

tuarii cineres christianarum disciplinarum scintillæ necesse est. Sed vanâ spe luderetur ille, qui, posthabitis sanctorum Patrum scriptis, ecclesiasticum lumen in pristinum splendorem restitui posse putaret. Quonam enim alio ex armamentario, noster ille, qui tanto ingenio, tantâque scientiâ valuit *Bossuetius*, ut hisce postremis temporibus Doctor et quasi Ecclesiæ Pater appellari meritus fuerit, tàm altas de re divinâ conceptiones, tàm validas adversùs errorem argumentationes, tàm prudenter constitutas circà morum regulam leges, tàm mirandas cogitationum verborumque varietates, tanquàm metuenda cunctis hostibus Ecclesiæ tela deprompsit? Quonam alio è fonte defluxêrunt tàm nitida, tàm copiosa, tàm dulcia eloquentiæ pietatisque fluenta quæ in *Fenelonii* scriptis et delibare, et bibere, et ad plenum haurire delectamur? Quânam aliâ in scholâ præparata est illa ratiocinandi loquendique vis, quâ *Massilonius Burdaliusque* dicendo, *Floridus* et *Longovallius* narrando, *Auctores Perpetuitatis fidei* disserendo inclaruêrunt?

Nec mirum cùm dives quidam doctrinæ eloquentiæque thesaurus apud Patres reperiatur.

Nàm, ut profanam hanc quæ circà poëtarum carmina, oratorum sermones, sophistarumque scripta versatur, doctrinam prætermittamus;

quanquàm nec illa laus Patribus defuerit, qui, ut inspicienti cuilibet Tertulliani, Origenis, Augustinique opera facilè patebit, paganorum inventis ab infantiâ enutriti, modò facta ab historiis deprompta, modò versus ab antiquorum musis aptè concinnatos, modò sententias in Porticu vel Academiâ prolatas semper et ubiquè referunt, falsorum exuviis deorum, verum Deum veramque Religionem exornantes : sed cùm nihilominùs *se non judicaverint scire aliquid inter nos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum*, cùm *se loqui non in doctis humanæ sapientiæ verbis, quæ destruitur, sed in doctrinâ Spiritûs quam animalis homo non percipit, tantummodò prædicaverint* [1], hanc illis, si placet, demus gloriam, quorum *memoria cum sonitu perit* [2], vanam vanis, ut oculis æterna desiderantibus, ad cœlestem attendamus scientiam, quâ nobis apertè demonstratur quid credere, quid agere, quid orare debeamus. « Noverim te, noverim me, » aiebat sanctus Augustinus Deum alloquens; tu autem, o Christiane, si Patrum opera attentè pervolvere studeas, illius orationis effectum jàm assecutus es.

Et certè quàm lucidè potenti illorum ingenio tota mysteriorum officiorumque series expanditur! Ut illos videre juvat, modò per admirabile creati orbis spectaculum, tanquàm per gradus

[1] I Cor. II, 2, 6, 13, 14. — [2] Psal. IX, 8.

quosdam, usquè ad Creatoris solium ascendentes, modò inenarrabili lætitiâ exaltantes misericordiam Verbi divini Christi, qui, cùm *sit splendor Patris et figura substantiæ ejus*[1], *exinanivit semetipsum in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*[2]! Quàm suaviter mens erigitur, cùm invictis demonstrant argumentis, quòd deficiente corpore, anima non deficiat, sed ejus spes immortalitate plena sit! Quis ità ferreus timore non percelleretur, cùm intonant judicia Dei, patefactisque inferni gurgitibus, malis intentant æternorum minas suppliciorum? Viden' quomodò Ecclesiæ suprà petram fundatæ robur stabiliant inconcussum, quomodò difficiliora explanent Prophetarum aliarumque Scripturarum loca, quomodò nos doceant donum Dei in Sacramentis absconditum, quæ tanquàm septem rivi totum irrigant orbem christianum, et fiunt credentibus *fontes aquæ salientis in vitam æternam*[3]? Quid dicam de præceptis illis moralibus quibus tàm clarè exponitur, quo amore Deum, quo horrore peccatum, quo contemptu mundum, quâ charitate proximum, quâ severitate nosmetipsos prosequi debeamus!

Scio equidem tantam esse humani ingenii infirmitatem, ut nulla ferè occurrant tàm perfecta opera, quæ necesssario illo nostræ conditionis

[1] Hebr. I, 3. — [2] Philip. II, 7. — [3] Joan. IV, 14.

vitio non inficiantur, ideòque in doctissimorum etiam Patrum scriptis incerta quædam, imò et nonnulla omninò falsa reperiri. Sic venerando Patrum nomine non immeritò appellantur, S. Justinus qui priorum defunctorum felicitatem usquè ad ultimi judicii diem differendam esse censuit, S. Irenæus qui *Millenariorum* errori patrocinatus est, S. Cyprianus qui credidit iterandum esse baptismum ab hæreticis collatum; sic in Patrum agmine honorificum etiam nunc tenent locum Origenes et Tertullianus, quorum prior in quibusdam, ut videtur, posterior, ut certum est, in tàm multis erravêrunt; sic et ipse doctorum quodam modo Doctor Augustinus scriptis Retractationum libris, sese in pluribus emendare coactus est. Undè sic Vincentius Lirinensis : « Quidquid, » quamvis ille sanctus et doctus, quamvis epis» copus, quamvis confessor et martyr præter » omnes, aut etiam contrà omnes senserit, id » inter proprias, et occultas, et privatas opi» niunculas à communis, publicæ et generalis » sententiæ auctoritate secretum sit. » Sed ut ejusdem verbis utar, « Quidquid *è contrà* vel om» nes, vel plures uno eodemque sensu mani» festè, frequenter, perseveranter, veluti quo» dam consentiente sibi magistrorum concilio, » accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id » pro indubitato, certo, ratoque habeatur. »

Quapropter cùm *Deus*, docente Apostolo, *dederit quosdam quidem Apostolos,.... alios autem Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi, ut jàm non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ* [1], « Beatorum Patrum sanctum catholicumque consensum, ne » quis sibi temerè contemnendum arbitretur..... » Quos in Ecclesiâ Dei divinitùs per tempora et » loca dispensatos, quisquis in sensu catholici » dogmatis unum aliquid in Christo sentientes » contempserit, non hominem contemnit, sed » Deum [2]. » Undè in concilio apud Ephesum celebrato « hoc catholicissimum, fidelissimum, atque optimum visum est, ut in medium sancto» rum Patrum sententiæ proferrentur: » undè in Chalcedonensi adversùs Eutycheten exclamatum est: « Hæc est fides Patrum, omnes ità credimus: » undè hoc habet Constantinopolitanum III, adversùs Monothelitas, act. XII: « Omninò necesse est » non solùm secundùm sensum sequi sanctos Pa» tres, sed iisdem uti vocibus cum illis...Nos ergò » sanctorum Patrum dogmata tanquàm legem » sanctæ Dei Ecclesiæ suscipimus. » Undè cum eodem Vincentio Lirinensi definiendum est : « Necesse profectò esse omnibus deinceps Catho» licis qui sese Ecclesiæ matris legitimos filios

[1] Ephes. IV, 11-14. — [2] Vincent. Lirinens. Commonit. I.

» probare student, ut rejectis profanis profano-
» rum novitatibus, sanctæ sanctorum Patrum
» fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur. »

Quod autem ad eloquentiam attinet, fatendum est illos, *cùm non venerint in sublimitate sermonis, nec in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis annuntiantes testimonium Christi* [1]; sivè latino sermone, sivè græco dixerint, non semper tàm puram nitidamque orationem adhibere, quantam Tullius ille vel Demosthenes. Sed, præterquàm quòd minùs æquum videretur inter se conferre auctores tàm diversæ ætatis, quorum alii in splendore, alii verò in occasu temporum linguarumque versabantur, notandum est magnum esse discrimen inter elocutionem et eloquentiam; elocutio verba verborumque dispositionem, eloquentia res rerumque ordinem maximè spectat. Si quis ergò, agresti licèt oratione utens, animum tamen lumine percellere, commotisque mentis quodammodò præcordiis lacrymas et gemitus elicere valuerit; jàm ille non forsan benè loquens evasisse, sed eloquens dicendus est. Quæ si vera sint, nonne eloquens erat noster ille Paulus, cùm, *etsi imperitus sermone* [2], nunc tremefactum alloqueretur proconsulem, nunc in ipsâ philosophorum oratorumque matre Græciâ ignotum Atheniensibus Deum

[1] I Cor. II, I, 4. — [2] Id. ibid. 6.

apud ipsos Areopagitas prædicaret, nunc fratribus valefaciendo tot tantosque fletus, flens et ipse, excitaret, nunc præsertim, quod multò magis mirandum est, ità rudibus verbis omnium animos alliceret, ut « Plures, *juxtà Bossuetii* » *effatum*, semi-barbarus ille Ecclesias Christo » erexerit, quàm divus Plato sibi unquàm de- » vinxit discipulos [1] ? » Nonne eloquens erat Syriacus Ephræm, cùm hinc extremos orbis dies, horrendamque supremi Judicis majestatem, irrevocabilis sententiæ terrores proferentis; illinc stuporem, gemitus, lacrymas planctusque peccatorum, procul à cœli deliciis, quos vanis precibus repetebant, in profundos ignis sulphurisque lacus cadentium, ità ob oculos populi audientis poneret, ut omnes et tremerent, et flerent, et exclamarent? Nonne eloquens erat apud Græcos Joannes Chrysostomus in præclarâ illâ Flaviani ad Theodosium oratione, quâ, sanctus Pontifex, *spirantem adhùc minarum et cædis* [2] principem ad misericordiam tàm fortiter simul suaviterque inflectit? Nonne tandem eloquens erat qui primum apud Latinos ingenii locum adeptus est Augustinus, cùm convivia illa et saltationes, quæ tumulos Martyrum dehonestabant, iterùm iterùmque aggressus, primùm plausus, quos contemneret, deindè lacrymas, quibus spe-

[1] Bossuet, Panégyr. de S. Paul. — [2] Act. IX, 1.

raret, tandem plenam, quâ gauderet, victoriam obtinere meritus est? Elegantiora fortè Tullius vel Demosthenes, sed nescio an efficaciora dixissent.

Nonne igitur timendum est ne severum nos maneat judicium, si *particula boni doni* vecordes animos *præterierit*[1].

Cùm autem ad hæc tempora reservati simus quibus non jàm Attica dicendi puritas, nec Romanæ simplicitas nobilis eloquentiæ, nec magni hujus sæculi, cui gloriosum nomen indidit Ludovicus XIV, vera ingenuaque facundia, plurimis placere probarique videantur; sed novum quoddam inauditumque veteribus scribendi genus corruptam mente simul et moribus societatem invaserit, quo doctior ille dicitur, qui sententiis abstrusior, et magis eloquens ille, qui sermone magis sesquipedali ridiculus; cùm deniquè perversus ille stylus, ad fabularum scriptores vix ablegandus, jàm non solùm et in philosophorum dissertationes, et in historicorum narrationes, et in causidicorum orationes irruperit, sed et ipsa thelogorum scripta, sacrorumque prædicatorum conciones dulci quidem at mortifero inficere veneno incipiat; nil sanè opportunius, nil utilius, nil jucundius emergere potest, quàm Liber ille rhetoricus, quo, expansis ob

[1] Eccli. xiv, 14.

omnium oculos Romæ et Athenarum divitiis, falsi arguetur spuria ista loquendi forma, ut deauratum pallet, auro præfulgente, metallum, ut coruscante adamantis fulgore, vitri mendax evanescit nitor.

Quin etiam cùm ingenti laborum, parvoque sacerdotum numero sæpiùs efficiatur, ut, vix aliquod Patrum lectioni tempus impendi possit, non superfluus erit Liber ille, apud quem magnâ cum diligentiâ colligentur præcipua sanctorum Patrum facta, celeberrimæque conciones, vel concionum fragmenta, ità ut illorum præclarissimasque sententias certo ordine digestas, uno quasi intuitu, vel studiosus lector, vel dissertaturus orator, vel magnum aliquod opus animo pervolvens scriptor, complecti valeat. Hìnc triplex evidenter exurgere commodum; primum quidem quòd sinè magno librorum apparatu pecuniæque detrimento, tàm venerabilis illa veterum canities et majestas tota simul antè oculos exponatur : secundum verò quòd quærenti, quomodò in tractandis variis orationum formis, unusquisque processerit, viâ compendiosiore detur cognosci; tertium deniquè quòd istorum quasi delibatione attracti, ad perlegendos, si fieri potest, integros saltem clarissimorum libros accendamur. Nec enim Ecclesiæ alumnis satis honorificum videri debet, si, dùm omnia fortè

omnium profanorum et nomina et opera recensere valeant, turpi circà propugnatores Religionis ignorantiâ laborantes, nesciant prorsùs quo tempore quâve regione vixerint; qui syriacè, vel græcè, vel latinè scripserint; qui per Sermones, qui per Dissertationes, qui per Epistolas, vel fidem excitare, vel mores corrigere curaverint.

Quam ob causam hìc breviter exponendum nobis est, quidquid in illorum, vel vitâ, vel scriptis præcipuum esse videbitur, ut juxtà Poëtæ versum :

« Indocti discant, et ament meminisse periti. »

Tres autem in Libros totum Opus dividetur, quorum Primus erit de Vitâ, scriptis, præcipuis editionibus, versionibusque gallicis sanctorum Patrum; Secundus de Statu artis rhetoricæ apud sanctos Patres; Tertius de Præceptis eloquentiæ, quæ sivè antiqui Doctores, sivè recentiores Sancti nobis scriptis commendârunt.

LIBER PRIMUS.

De vitâ, scriptis, editionibus præcipuis, gallicisque versionibus Sanctorum Patrum.

PRIMA scriptoris virtus in perspicuitate deprehenditur; ut ergò nulla remaneat in dicendis obscuritas, tot erunt capita, quot secula, singulisque seculis illos adscribemus Patres, qui ad singulas ætates pertinent. Cùm verò plures sint, qui in uno seculo nati, in altero floruêre, et diem extremum obierunt, hanc communem admisimus regulam, ut huic seculo tribuerentur, quod eorum morte consecratum est.

CAPUT PRIMUM.

De Patribus primi Ecclesiæ seculi.

Patres primi seculi vulgò Patres Apostolici vocantur, eò quòd cum Apostolis aliquandiù conversati, quæ ab Apostolis didicerant et ipsi scribere curaverint.

Quò autem faciliùs animo possint admitti vel varii qui ad Sanctorum Patrum vitam pertinent eventus, vel diversa operum, quæ conscripserunt, argumenta, non inutile visum est cuique seculo quasdam veluti tabellas præfigere, in quibus uno intuitu complecti detur, qualis tunc fuerit regnorum religionisque status; undè hanc communem ubiquè statuemus legem, ut duplex sit articulus, quorum prior appendicem historicam cujusque seculi præmittat, posterior verò circa vitam, et opera Sanctorum Patrum versetur.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica primi Ecclesiæ seculi.

Hic breviter expendetur, quæ fuerit regum vel imperatorum series, quæ summorum pontificum successio, quæ Ecclesiæ adversariorum deliramenta, necnon et quibus fuerint conciliis generalibus damnati.

§ I.

Imperatorum series.

Regnante *Tiberio* evangelium prædicare incipiunt Apostoli. Moritur autem anno regni 22, Christi autem 37.

Ejus vices suscipit *Caligula*, qui anno imperii 4, Christi 41, à Chœreâ occiditur, crudelitate et libidine insignis.

Huic substituitur *Claudius*, qui post 13 regni annos ab Agrippinâ veneno interimitur, anno Christi 54.

Successor ejus *Nero* fratris, matris, uxorum præceptorisque carnifex, tantâ jam immanitate famosus, primam excitat persecutionem, quâ Petrus et Paulus consummantur. Mortem sibi cogitur inferre anno regni 14, Christi autem 68.

Novem mensibus imperium gerit *Galba*, cujus locum occupat, devicto post tres menses *Othone*, *Vitellius*, quem dejecit *Vespasianus*, qui tandem post decenne regnum, anno Christi 79, morbo vitam claudit.

Hinc paternum breviusque *Titi* imperium qui 2 tantùm annis regnavit, annoque 81 defunctus est. Hic sacrilegam funditùs evertit Jerosolymam.

Post quem surrexit *Domitianus*, atroci feritate notus, qui secundæ persecutionis auctor fuit, et 15 regni anno, Christi 96 gladio confoditur.

Quo defuncto, imperat *Nerva*, qui duos annos non implevit, et mansuetudine commendandus, anno Christi 98, pacificè mortuus est.

Tunc imperii habenas accipit *Trajanus*, qui regnum in seculum sequens protendit.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

S. Petrus Apostolus, primus Ecclesiæ summus pontifex, super quem velut immobilem petram ædificata est Ecclesia, summum gerit pontificatum sub Tiberio, Caligulâ, Claudio et Nerone, à quo cruci affigitur anno Christi 66, pontificatûs autem 25.

S. Linus 12 annis moderatur Ecclesiam, et anno Christi 78 ad Dominum transfertur. Ejus temporibus, id est, anno 70, sacrilega ruit Jerusalem.

S. Anacletus, qui et *Cletus*, 12 annis pariter sedet, et anno Christi 91 melius regnum occupat. Inter martyres uterque ab Ecclesiâ numerantur, licèt morte violentâ nec prior, nec posterior peremptus fuisse videatur.

S. Clemens, Romanus, ab ipso Petro consecratus, anno pontificatûs 9, Christi autem 100, defunctus, primum claudit seculum. Dùm regnaret, furit contra christianos à Domitiano excitata prima persecutio.

§ III.

Ecclesiæ adversarii.

Inter primos Ecclesiæ adversarios numerandi præsertim *Pagani et Judæi*, quorum, cùm errores omnibus noti sint, ad hæreticos schismaticosque statim deveniemus.

Viventibus autem adhùc Apostolis à veritate olim plures

christiani declinaverunt, quorum præcipui sunt, *Simon Magus*, *Menander*, *Nicolaïtæ*, *Cerinthii et Ebionitæ.*

1.° *Simon Magus* erravit in eo quòd Spiritûs Sancti gratiam pretio vendi posse arbitraretur, undè *Simoniacorum* nomen. Imò et divinam auctoritatem affectabat, sed precibus S. Petri dejectus est et interemptus.

2.° *Menander*, Simonis discipulus, mundi Salvator haberi contendebat, falsumque infundebat baptismum, cui inter alios mirabiles effectus hunc præcipuum tribuebat, quòd mortem et senectutem à suscipientibus removeret.

3.° *Nicolaïtæ* de quibus mentio fit apud Apocalypsim, (*c.* 2; *v.* 6.) quosque à Nicolao è septem diaconis uno in errorem inductos nonnulli crediderunt, in multis Simoni magistro consentiebant.

4.° *Cerinthii* et *Ebionitæ*, in pluribus delirabant, atque in hoc præsertim, quòd Christum non esse Deum contenderent, quorum reprimendorum causâ scriptum S. Joannis evangelium asserit B. Hieronymus. (*De scrip. Eccles.* 19.)

§ IV.

De conciliis generalibus primi seculi.

Apostolorum ætate, anno 50, celebratum est concilium Hierosolymitanum, pro definiendâ quæstione de circumcisione aliisque legalibus servandis. Illud verò primum generale concilium inter illorum numerum vulgò non numeratur, quia pertinere videtur potiùs ad sacræ Scripturæ auctoritatem.

ARTICULUS II.

De vitâ et operibus Sanctorum Patrum primi seculi.

Primo seculo, floruerunt præter Apostolos *S. Barnabas*, *Hermas*, seu *pastor*, *S. Dyonisius areopagita*, et *S. Clemens papa* I.

§ I.

Sanctus Barnabas antè an. 80.

GRÆCUS.

Primus in ordine temporum, et multò etiam magis in debitæ venerationis ordine occurrit *S. Barnabas*, qui à vetustioribus Ecclesiæ Patribus, et ab ipso Lucâ (*Act.* 14. 13.) venerando Apostoli nomine decoratur, sivè quòd fuerit modo quodam singulari à Sancto Spiritu vocatus, sivè quòd non parùm cum cæteris Apostolis ad constituendum Christi regnum contulerit.

Levites origine (*Act.* 4. 36.), in insulâ Cypro natus est, ubi agrum parentes habuêre. Josephi nomine, quo priùs appellabatur, ab Apostolis mutato, dictus est *Barnabas*, quod est secundùm Lucam *consolationis filius*, ideò quòd, teste Chrysostomo, consolationem afflictis ingerendi dono polleret mirabili. Addi etiam potest cum B. Hieronymo, *Barnabam* interpretari posse *filium prophetæ*, quo dignior nemo, cùm propheticâ præsertim laude inclaruerit.

Docent Græci illum ab infantiâ Hierosolymam missum, celeberrimum cum Sancto Paulo Gamalielem audivisse, interque primos et præcipuos septuaginta discipulorum emicuisse; undè pro certo habendum est tantam fuisse éjus felicitatem, ut ab ipso Salvatoris ore verba vitæ æternæ perceperit.

Cùm autem esset *multitudinis credentium cor unum et anima una*, cùm, *quotquot possessores agrorum et domorum erant, vendentes afferrent pretia eorum quæ vendebant, et ponerent antè pedes Apostolorum*: (Act. 4. v. 32. 34.) *quem habebat agrum vendidit Barnabas, et attulit pretium, et posuit antè pedes Apostolorum.* (Ibidem, 37.) Deindè cùm mutatus Hierosolymam venisset Paulus, et ab eo timentes declinarent fideles, Barnabas, *apprehensum duxit ad Apostolos, et narravit illis quomodò in viâ vidisset Dominum, et quia locutus est ei*: (Act. 9. 27.) quo tanti viri testimonio securiores facti, illum inter fratres receperunt.

Post aliquot annos, comperto quòd *quidam ex iis qui dispersi fuerant à tribulatione factâ sub Stephano, loquerentur et ad Græcos Antiochiæ Dominum Jesum*, miserunt *Apostoli Barnabam usquè ad Antiochiam, qui cùm pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est. Hìc* omnes *frequens hortari in proposito cordis permanere in Domino, quia erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et fide.* (Act. 11. v. 19. et seq.)

Sed cùm solus tantis laboribus sufficere non posset, *inventum Paulum perduxit Antiochiam, et annum totum conversati in Ecclesiâ docuerunt turbam multam, ità ut primùm cognominarentur Antiochiæ discipuli christiani.* (Ibidem, 26.)

Urgente verò quam Propheta prædixerat Agabus fame, *disciputi, prout quisque habebat proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæâ fratribus, quod et fecerunt mittentes seniores per manus Barnabæ et Pauli.* (Ibid. 29. et 30.) Florebant autem in *Ecclesiâ quæ erat Anthiochiæ Prophetæ et Doctores plurimi* præter Paulum et Barnabam : quibus *ministrantibus Domino et jejunantibus dixit Spiritus Sanctus : Segregate*

mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. (Act. 13. 1. 2. 3.)

Qui assumpto Joanne Marco, Sancti Barnabæ sororis filio, Seleuciam primùm, deindè Cyprum, posteà Salaminam peragrantes, Paphum deniquè pervenerunt, ubi *proconsul Sergius Paulus*, castigato Elymâ Magô, *credidit admirans super doctrinâ Domini.* (Ibidem, 7. 12.) Undè Pergen Pamphiliæ civitatem prætercurrentes, ubi fatigatus recessit Joannes Marcus, Antiochiam Pisidiæ deveniunt. Cùm autem *repleti zelo Judæi contradicerent his quæ dicebantur, blasphemantes, tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : vobis oportebat primùm loqui regnum Dei, sed quoniam repellitis illud et indignos vos judicatis æternæ vitæ, eccè convertimur ad gentes.* (Ibidem, v. 45. 46.) Jam autem *disseminabatur verbum Domini, et audientes gentes gavisæ sunt et glorificabant verbum Domini; Judæi autem excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis.* (Ibidem, 48. et 50.) Illì igitur, *excusso pulvere pedum, venerunt Iconium, ubi fiducialiter agebant in Domino*, cùm *facto Judæorum et Gentilium impetu, ut contumeliis afficerent, et lapidarent eos, aufugerunt ad civitates Lycaoniæ, et ibi evangelizantes erant.* (Act. 14. v. 5. et 6.)

Stupefacti, visis miraculis, pagani, illos tanquàm Deos suspicientes, *volebant sacrificare, vocabantque Paulum Mercurium, Barnabam verò Jovem* propter venerabilem, ut Chrysostomo videtur, vultûs et corporis aspectum. *Barnabas autem et Paulus exilierunt in turbas clamantes et dicentes : viri, quid hic facitis ? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum*

et terram. (Ibidem, v. 11. 12. 13. 14.) Mox autem mutatæ mentes; concitatæ debacchantur à Judæis gentes; obrutoque lapidibus Paulo, vix uterque salvâ animâ evadunt. Nec ideò ab Evangelii prædicatione desistunt; sed cùm Derbe populum docuissent, *reversi sunt* per easdem civitates *confirmantes animas discipulorum et exhortantes ut permanerent in fide*, Antiochiamque Syriæ urbem repetierunt, *undè fuerant traditi gratiæ Dei.* (Ibidem, v. 20. 21. 25.)

Hìc celebris exorta quæstio de legis Mosaicæ ritibus, quorum necessitatem *descendentes quidam de Judæâ docebant.* Sed *factâ seditione non minimâ Paulo et Barnabæ adversùs illos, statutum est ut* ipsi *ad Apostolos ascenderent.* (Ibidem, c. 15. v. 1. 2.) Qui, *cùm venissent Jerosolymam, tacuit omnis multitudo audiens illos narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos.* (Ibidem, v. 12.) Deindè, congregato Apostoli Hierosolymis generali concilio, confirmatâ Pauli et Barnabæ doctrinâ, remiserunt eos Antiochiam, *scribentes per manus eorum, ne inquietarentur gentes*, (Ibid., 19. 23.) laudantesque eos tanquàm fideles Dei ministros, *qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.* (Ibidem, 26.)

Cùm rursùs aliquandiù *demorati fuissent Antiochiæ, docentes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini*, proposuit Barnabæ Paulus, *ut revertentes iterùm visitarent fratres quibus verbum Domini prædicaverant.* (Ibidem, v. 35. 36.) Suboriente verò Barnabam inter et Paulum contentione, propter Joannem Marcum, quem ille quidem volebat, nolebat autem hic secum ducere, Barnabas, *assumpto Marco, navigavit Cyprum, Paulus autem, electo Silâ, perambulabat Syriam.* (Ibidem, v. 39. 41.)

Hic narrationis apostolicæ finis : de sequentibus non satis constat. Si Theodoreto fides, ad S. Paulum reversus, Corinthum unà cum Tito missus est. Romam invisisse narrat Dorothæus, et Recognitionum auctor. Hunc patronum habet civitas Mediolanensis, quæ traditioni insistens, fidem ab illo accepisse gloriatur; undè à S. Carolo Borromæo urbis Apostolus prædicatus est.

Tantis demùm exantlatis laboribus, Cypro, in ipsâ civitate, martyrio vitam, provectâ jam senectute, consummavit. Viventem adhuc Barnabam commemorat Paulus anno 56; (1. *Corinth.* 9. 6.) S. autem Chrysostomus nondùm mortuum fuisse supponit anno 63, undè probabiliùs concludendum videtur illum inter annum 70 vel 80 diem extremum obiisse.

Epistola superest græca, quæ Barnabæ nomine inscribitur; utrùm verò S. Barnabæ sit adscribenda inter doctos non convenit. Eusebius et Hieronymus illam inter scripturas apocryphas amandant. Idem posterioribus temporibus docuerunt *Hugo Menardus*, *Natalis Alexander*; contrarium verò sentiunt *Hamondus*, *Vossius*, *Bullus*, *Dupinus*, et ipse *Nicolaus Lenourry*. Probabilius autem crediderim illam esse reverà S. Barnabæ adjudicandam, unumque illud à S. Hieronymo et Eusebio affirmari, hanc inter canonicas Scripturas non esse deputatam.

Editiones præcipuæ.

Excusa est præsertim hæc epistola inter *Patres apostolicos à Cotelerio editos*, an. 1672.

Separatìm verò lucem vidit anno 1645, curante *Lucâ Dacherio*, qui præparatos ab immortuo *Hugone Menardo* labores consummare, et in publicum emittere curavit. Eadem *Amstelodami* renovata est, curante *Isaaco Vossio*, anno 1646.

Gallicæ versiones.

Habetur magnâ ex parte illius epistolæ gallica versio apud *D. Fleury*, hist. eccles. lib. 2. c. 67. — Et integra legitur etiam ex versione gallicâ *D. Legras* in bibliâ excusâ apud *Desprez*, *Paris*, 1717. in-fol.

§ II.

Hermas, seu pastor, circà an. 95.

Græcus.

Hermas, cui tribuitur de *Pastore* liber, quamquàm græcè scripsisse credatur, Romæ tamen, S. Clemente summo pontifice, vixisse non immeritò videtur. S. Hieronymus Eusebiusque asserunt eum esse de quo Paulus ad Romanos scribens : *Salutate*, inquit, *Hermam*. (Rom. c. 16. v. 14.) Liberos uxoratus habuit, nullâ ecclesiasticâ auctoritate, sed pietate singulari insignis. Quæ Deo revelante didicerat, stylo admodùm simplici conscripta, tribus libris partitus est, quorum primus visiones, secundus præcepta, tertius verò similitudines complectitur.

Liber ille nunquàm in Canone receptus, (*S. Athan. Epist. Pasch. S. Hieronym. in prolog. Galeat.*) et inter apocrypha deputatus, (*Tert. de Pudicit. c.* 10.) sæpiùs tamen ab antiquis usurpatus est, (*S. Irenæus adv. hæres. lib.* 4. *c.* 37.; *S. Clemens sæpiùs; Origenes; Hieronymus, etc.*) et propter moralia, quibus redundat præcepta plurimùm commendatus ; imò et apud quasdam Græciæ Ecclesias publicè legebatur. (*Hieronym. de Script. Ecclesiast.*) Hìnc Origenes : « Pastoris Scriptura valdè » mihi utilis videtur, et, ut puto, divinitùs inspirata. » (*In epistolam ad Roman. lib.* 10.) Hìnc S. Athanasius :

» Sunt et alii libri, non quidem Canonici, sed quos Pa-
» tres sanxerunt legi iis, qui ad fidem accedunt, cupiunt-
» que in pietatis verbo institui, ut Sapientia Salomonis....
» et Pastor. » (*Epist. Pasch.*) Hinc deniquè Rufinus :
« Alii libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici à
» majoribus appellati sunt, ut est Sapientia Salomonis;
» in novo autem testamento libellus qui dicitur Pastoris
» sive Hermâtis. » (*Expos. in Symb. Apost.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Amisso græco textu, unica superest hujus libri latina versio, quæ excusa est inter *Patres apostolicos* à *Coteleria editos*, an. 1672, et iterùm prælo subjecta operâ D. *Leclerc*, annis 1698 et 1724, quæ ultima cæteris anteponenda videtur editio.

VERSIONES GALLICÆ.

Instar versionis gallicæ haberi possunt quæ reperiuntur apud D. *Fleury*, hist. ecclesiast. lib. 2. c. 44.

Integra autem reperitur versio in magnâ bibliâ, apud *Desprez* excusâ an. 1717, in-fol., et eodem anno separatim, in-12, emissâ, vertente D. *Legras*. Legitur etiam inter libros apocryphos Bibliæ Sacianæ, an. 1742.

§ III.

S. Dionysius Areopagita, circa an. 96.

GRÆCUS.

Magna inter doctos quæstio de *Dionysio Areopagitâ*, scriptisque sub ejus nomine ambulantibus. Nemo quidem nescit Dionysium Areopagitam, à Paulo ad religionem christianam conversum, primum extitisse Athenarum pon-

tificem. Illum verò primo Ecclesiæ seculo in Gallias venisse, et Francorum simul Apostolum, primumque Parisiensem episcopum evasisse, non potest probabiliter defendi, quamvis illud à pluribus martyrologiis, et præsertim à martyrologio Romano asseratur, cùm facilè demonstrari possit Dionysium Parisiensem, labente seculo tertio, vel incipiente quarto vitam martyrio consummâsse. Martyr pariter Dionysius Areopagita occubuit, Domitiano imperante, id est, circà annum 96, quo crudelis ille defunctus est persecutor.

Non nostri est instituti expendere, utrùm reverà Dionysius Areopagita scripserit, quæ nunc sub ejus nomine supersunt opera; sufficiet annotare, 1.° illa opera saltèm ad annum circiter 500 esse referenda, cùm ex hoc tempore ab omnibus Dionysio tribuantur; 2.° illa etiam non esse contemnenda, cùm qualiscumque eorum auctor, ab Anastasio Sinaïtâ dicatur *celeberrimus rerum divinarum mystus*; (Contempl. Anag. in Hexaëm.) à Gregorio magno *antiquus venerandusque pater* (2. Hom. 34. de Drach. perd.) à S. Joanne Damasceno *divinus, sanctissimus, et eloquentissimus Dionysius, divinis rebus abundans profundusque*, (3. orat. de fidel. defunct.) à secundo deniquè concilio NicϾ celebrato, generali VII, anno 787, *Magnus Dionysius*, ejusque verbis omnes præcitati utantur ad confirmanda fidei dogmata. Fatendum est igitur illa non prorsùs lectu indigna, ac proindè silentio minimè prætermittenda.

Scripsit igitur Dionysius Areopagita, sivè antiquus sub ejus nomine auctor, 1.° librum *de cœlesti hierarchiâ*, ubi præsertim de Angelis disserit; 2.° de *ecclesiasticâ hierarchiâ*, ubi de sacramentis et ordinatione sacrorum Ecclesiæ ministrorum sermonem habet; 3.°, de *divinis nominibus*, ubi varia Dei nomina explicat; 4.° de *mysticâ*

theologiâ, ubi quæ in Deo esse nequeant nudâ et simplici enarratione exponit; 5.° *duodecim epistolas* ad diversos.

Hoc de illius scribendi genere judicium in ejus vitâ tulit Suidas : « Ejus sapientiam et eloquentiam stylus præ» stantissimus librorum ab eo conscriptorum planè de» monstrat, siquidem et externarum quæ vocantur disci» plinarum, nostrarumque peritissimus fuit. Nam si ad » suorum verborum splendorem sententiarumque profun» ditatem respicias, non humanæ naturæ, sed cujusdam » immortalis divinæque virtutis, hoc esse fœtum existi» maveris. » (*Suid. vit. Areopag.*)

Editiones præcipuæ.

Græcè quædam primùm opuscula prodierunt in editione *Iuntinâ Florent.* an. 1516, in-8.°

Latinè verò ex versione *Joan. Perionii* eadem prælo subjecta, *Paris.*, an. 1605.

Græcè et *latinè* omnia ejus opera excusa sunt *Venetiis*, edente *Balthas. Corderio*, cum novis accessionibus, 2 vol. in-fol. an. 1755.

Gallicæ versiones.

Nullæ occurrunt memorandæ hujus operum versiones gallicæ.

§ IV.

S. Clemens papa I, an. 100.

Græcus.

S. Clemens, beati Lini, ut videtur, in sede apostolicâ successor, ipse est de quo mentio fit in epistolâ ad Philippenses, (*Philip.* 4. *v.* 3.) et cujus nomen in Canone Missæ cum Apostolorum Martyrumque nominibus recensetur. Hic cum Apostolis conversatus, tanta eorum exem-

pla semper antè oculos obvolvebat. Exorta apud Corinthios gravi dissensione, celebrem illam scripsit epistolam, quæ sola potest genuina reputari, quâque malis invidiæ effectibus expositis, discordantes ad pacem simùl et pœnitentiam, propositâ cœlesti gloriâ, exhortatur. Secunda superest S. Clementis epistola, de cujus veritate non satis constat, et quæ à multis Sancto Pontifici minimè adjudicatur. « Ejus autem, ut ait Photius, simplex oratio » est ac perspicua, ad ecclesiasticam et inelaboratam ac- » cedens dicendi formam. » (*Cod.* 121.)

Pontificatum per novem annos produxisse videtur; neque autem certum est illum è vitâ migrâsse, cùm ejus vices suscepit B. Cletus. Fertur enim, sed non probabiliter, illum dimissâ liberè, ad vitandum schisma, pontificali dignitate, non nisi posteà diem obiisse supremum, circà an. Christi 100. Inter celeberrimos martyres recensetur, veterumque laudibus exornatus est. Auctore enim Irenæo, *potentissimas Corinthiis epistolas* scripsit; (*adv. hæres. lib.* 3. *c.* 3.) Eusebio teste, *epistolam ad Corinthios misit ab omnibus uno consensu receptam, eximiam prorsùs atque mirabilem, quam perpetuò legentes optimis præceptis ac documentis abundant.* (Hist. lib. 3. c. 16. et lib. 4. c. 23.) Hieronymo judice ex personâ Romanæ Ecclesiæ direxit *ad Ecclesiam Corinthiorum valdè utilem epistolam, quæ et in nonnullis locis publicè legitur, videturque caracteri epistolæ quæ sub Pauli nomine ad Hæbræos fertur convenire, sed et multis de eâdem epistolâ non solùm sensibus, sed juxtà verborum quoquè ordinem abutitur: omninò grandis in utrâque similitudo est.* (De scrip. eccles. c. 15.)

Tanta fuit ejus doctrinæ fama, ut vetera omnia ignotorum scriptorum opera eidem falsò tribuerentur, videlicet:

1.° *Canones Sanctorum Apostolorum* 85, qui non

Apostolis sunt tribuendi, sed tamen primis Ecclesiæ seculis collecti fuerunt, et præsertim editi, an. 1672, *Oxon. in Pandectis Canonum à Guillel. Beveregio*, in-fol.

2.° *Constitutionum apostolicarum lib.* 8, qui ad posteriora referendi tempora, multa tamen utilia continent, et fuerunt excusi :

Græcè, Venetiis, an. 1563, curâ *Francisci Turriani*, in-4.°.

Latinè autem an. 1606, ex versione *Turriani* apud conciliorum collectionem *Binii.*

Græcè et *latinè* an. 1672. in conciliorum collectione à *Labbœo* factâ, tom. 1.

3.° *Recognitionum, sive* Αναγνωρισμων, *lib.* 10, qui latinè tantùm ex Rufini versione exstant, quam in Gaudentii episcopi Brixiensis gratiam composuit. Hoc opus erroribus et fabulis refertum excusum est maximè an. 1677 in bibliothecâ Patrum Lugdunensi.

4.° *Clementina*, in Athanasii synopsi memorata, quæ constabant 20 homiliis. Homilias priores 18, et 19 alterâ parte mutilans *græcè* edidit *Cotelerius* et versione latinâ illustravit *in patribus apostolicis*, an. 1672, *Parisiis.*

Sola autem quæ rectè S. Clementi ad Corinthios tribuitur epistola, cum epistolâ alterâ, quam dubiam esse diximus, apud *Coteleriun* excusa est cum aliis *apostolicis patribus*, et separatim 1687, *Londini*, in-8°.

VERSIONES GALLICÆ.

Qui illam magnâ ex parte in gallicum sermonem versam legere voluerit, adeat D. Fleury, hist. Ecclesiast. lib. 2. c. 33. Integra reperitur gallico sermone concinnata apud magnam bibliam, ex versione D. *Legras*, *Paris.* 1717.

CAPUT II.

De Sanctis Patribus secundi Ecclesiæ seculi.

Eodem quo suprà ordine procedentes, duplicem articulum statuemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica secundi Ecclesiæ seculi.

§ I.

Imperatorum series.

Trajanus ab an. 98 imperator, tertiæ persecutioni faces subministrat. Moritur post 19 annos regni, an. Christi 117.

Adrianus christianos persequi perseverat, regnique anno 21, Christi 138, voluntate potiùs, quàm morbo perimitur.

Antoninus, defuncto Adriano, à persecutione imperator non desistit, annoque Christi 161, regni verò 23, cedit è vitâ.

Huic duo succedunt filii, *Marcus Aurelius* et *Lucius Verus*, quo post annos 9 defuncto, solus remanet *Marcus Aurelius*, qui licèt philosophi nomine insignitus, christianos tormentis mortique subjecit innumeros. Fame libens se interemit anno regni 20, Christi 180.

Crudelis *Commodus*, ejus filius et successor, christianum sanguinem effundere pergit, violentâque morte conficitur, anno regni 13, Christi 192.

Post occisum, terno regni mense *Pertinacem*, secun-

doque *Julianum*, ad summam potestatem evehitur *Septimius-Severus*, qui iterùm christianam religionem proscripsit, vitamque in tertium seculum protelavit.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

S. Evaristus, Græcus, post annos pontificatûs 9, anno Christi 109, martyr occumbit.

S. Alexander I, Romanus, anno pontificatûs 10, Christi autem 119, martyrio pariter vitam consummat.

S. Sixtus I, Romanus, sedet annis 8, id est, usquè ad annum Christi 127, quo passus est imperante Adriano.

S. Telesphorus, Græcus, regnante Antonino, anno Christi 139, pontificatûs autem 11, cæsus pro Christo perimitur.

S. Hyginus, Græcus, philosophus anteà Atheniensis, ad annos 4 non pervenit, annoque Christi 142 pro fide cæditur.

S. Pius I, Aquileiensis, anno pontificatûs 15, Christi autem 157, martyr vitæ finem invenit.

S. Anicetus, Syrus, Marco Aurelio imperii habenas moderante, post annos pontificatûs 11, martyrium patitur, anno scilicet Christi 168.

S. Soter, Fundanus è Campaniâ, anno Christi 177, pontificatûs autem 9, in cœlum martyrio transfertur.

S. Eleutherus, Græcus, de oppido Nicopoli, ad annum pontificatûs 16, Christi autem 193, perseverat, quo interfectus est aliquot post mensibus, quàm suorum conspiratione imperator Commodus necaretur.

Hinc extollitur *S. Victor* I, Afer, sub cujus pontifi-

catu, agitata de Paschate quæstio; sacram cathedram occupavit etiam initio sequentis seculi.

§ III.

Ecclesiæ adversarii in secundo seculo.

Secundo seculo plures exstitêre Ecclesiæ hostes, nempè *Saturnini* et *Basilidis discipuli, Gnostici, Valentiniani, Cerdonii, Marcionitæ, Montanistæ*, et *Encratitæ.*

1.° *Saturninus*, omnium primus, nuptias et matrimonium reprobavit.

2.° *Basilides* Christum habuisse corpus *phantasticum*, nec verè crucifixum fuisse mentitus est.

3.° *Gnostici* præcedentium erroribus, omniumque præcipuo, quo Christus homo prædicabatur, perversa et detestanda immiscebant.

4.° *Valentiniani* absurdis simùl fabulis, infamique morum generi indulgebant.

5.° *Cerdonii*, aliique plures errantibus præcedentium insistebant vestigiis.

6.° *Marcionitæ*, duo principia, unum quidem boni, alterum verò mali auctorem admiserunt.

7.° *Montanistæ*, vel *Cataphrygæ*, ità dicti à Montano è Phrygiâ oriundo, hunc tanquàm Paracletum venerabantur, duasque pravas mulieres, *Priscam* et *Priscillam* prophetissas jactabant. Insuper secundas prohibere nuptias, tres jejuniorum quadragesimas instituere, nonnullaque peccata nullo pœnitentiæ genere delenda prædicare sustinebant.

8.° *Encratitæ*, qui *Tatianum* ducem sequebantur, non tantùm à matrimonio, sed et ab animalium carne et à vino abstinendum esse docebant. *Encratitæ* dicti sunt

græcè, quod latinè *continentes* interpretatur. Cùm autem à vino abhorrerent, puram ad oblationem Missæ aquam adhibebant.

§ 4.

Concilia generalia secundi Ecclesiæ seculi.

Nullum hâc ætate congregatum est generale concilium, sed omnes errores Episcoporum auctoritate, et Doctorum scriptis, exagitati sunt, et debellati.

ARTICULUS II.

De vitâ et operibus sanctorum Patrum secundi Ecclesiæ seculi.

Hic quinque præcipui memorandi occurrunt, nempè *S. Ignatius*, *S. Polycarpus*, *S. Justinus*, *Athenagoras*, et *S. Theophilus*.

§ 1.

Sanctus Ignatius, Antiochensis. An. 107.

GRÆCUS.

Sanctus Ignatius, cognomine *Theophorus*, Θεοφορος id est, qui portat Deum, juxtà ejus acta martyrii S. Joannis Evangelistæ, juxtà S. Gregorium ipsius Petri (*lib.* 4. *ep.* 37), juxtà denique constitutionum apostolicarum auctorem, (*lib.* 7. *c.* 46.) Pauli insuper discipulus, ab ipsis apostolis Petro et Paulo post defunctum Evodium, si Chrysostomo (*Homil. in S. Ignat.*) et Theodoreto (*Dial.* 1.)

fides, cui assentiunt Athanasius (*De Synod.*), Origenes (*Homil.* 6. *in Lucam*), et facundus Antiochiæ episcopus consecratus est, quam per quadraginta annos et sapientiâ prudens administravit, et exemplis sanctus ad virtutem informavit. Domitianæ persecutioni inter quotidiana vitæ pericula mirabiliter superstes, Trajani furorem declinare non potuit. Cùm enim ille an. 107 Antiochiam devenisset, jussum antè tribunal stare Ignatium ità verbis acerbioribus increpavit: « Quis es, inquit, ô Cacodæmon, » qui nostra mandata transgredi eniteris? Quin etiam aliis, » ut idem agant, suades, quo nempè miserè pereant. » Ignatius dixit: Nemo Theophorum cacodæmonem appellat. Abscedunt enim dæmones à servis Dei, si verò » quòd gravis illis sum, et me malum adversùs dæmones » appellas, illud tecum fateor. Christum enim, qui cœlestis rex est, habens, illorum insidias dissolvo. Trajanus dixit: Et quis est Theophorus? Ignatius respondit: » qui Christum habet in pectore. Trajanus dixit: An igitur tibi videmur Deos in mente non habere, quibus » etiam propugnatoribus adversùs hostes utimur? Ignatius dixit: Gentium dæmones Deos errans appellas. » Unus enim est Deus qui fecit cœlum et terram, et » mare, et omnia quæ in ipsis continentur, atque unus » est Christus Jesus, filius Dei unigenitus, cujus regno » utinàm patiar. Trajanus dixit: Illum dicis qui sub Pontio-Pilato crucifixus est? Ignatius dixit: Illum dico, » qui meum peccatum cum suo inventore crucifixit, omnemque dæmonicum errorem et malitiam, illorum pedibus suâ sententiâ subjecit, qui ipsum in corde gerunt. » Trajanus dixit: Tu ergò in teipso crucifixum geris? » Ignatius dixit: Etiam; scriptum est enim: *inhabitabo in* » *ipsis et inambulabo* (II. Corinth. c. 6. v. 16.) Trajanus sententiam pronuntiavit: Ignatius qui in se ipso

» crucifixum ferre dicit, præcipimus vinctum à militibus
» duci ad magnam Romam, cibum bestiarum ad populi
» delectationem futurum. Quâ sententiâ auditâ, sanctus
» martyr cum gaudio exclamavit: Tibi gratias ago, Do-
» mine, quia me perfectâ ergà te caritate honorare digna-
» tus es, qui me cum apostolo tuo Paulo ferreis vinculis
» vinciri permittis. His dictis, vinculisque cum gaudio
» acceptis, postquàm pro Ecclesiâ orâsset, ac eam cum
» lacrymis Domino commendâsset, velut insignis aries,
» dux præclari gregis, à ferocibus et sævis militibus rap-
» tus est, feris sanguivoris in cibum Romam adducen-
» dus. » (*Act. S. Ignat.*)

Longior via, et decem militum, quos ipse *leopardos* propter crudelitatem vocat, crescente in dies sævitiâ, vix tolerabilis; neque tamen cessabat prædicans ubiquè verbum Dei, et Ecclesias quas prætergrediebatur in sanâ fide confirmans. Smyrnæ Polycarpo, et ipsi olim sancti Joannis Evangelistæ discipulo colloqui datum, nec non et missos à diversis Ecclesiis episcopos verbis simùl et exemplis ad christianas virtutes incitare. Imò et ut absentibus non esset inutilis, quatuor scripsit à Smyrnâ epistolas, primam ad Ephesios, secundam ad Magnetes, tertiam ad Trallenses, quartam deniquè ad Romanos, quâ preces eorum, quibus à morte liberari metuebat, maximâ cum eloquentiâ deprecatur; cujus verba, licèt in omnium ore versentur, tamen cùm non minùs ad christianos, quàm ad oratores informandos conducere valeant, silentio prætererire nefas videretur.

« Ego Ecclesiis scribo omnibusque mando, quòd pro
» Deo ultrò et libens morior, si quidem vos non impedia-
» tis. Obsecro vos ne intempestivam mihi benevolentiam
» exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse, per quas
» Deum consequi licet. Frumentum sum Dei, et per fe-

» rarum dentes molor, ut purus panis Christi inveniar. » Feris potiùs blandimini, ut mihi sepulcrum fiant, nihilque mei pectoris relinquant, ne, postquàm obdormiero, gravis alicui fiam. Tunc verè Christi discipulus » ero, cùm neque corpus meum mundus videbit... A Syriâ Romam usquè, terrâ marique, noctù et interdiù » cum bestiis pugno decem leopardis vinctus, quæ est » militum turma, qui etiam beneficio accepto pejores » fiunt. Verùm illorum injuriis magis erudior, sed non » *propter hoc justificatus sum.* (1. Corinth. 4. 4.) Utinàm fruar bestiis mihi præparatis, quos et opto mihi » promptas inveniri, quibus et blandiar, ut citò me devorent, non ut quosdam veritæ non tetigerunt. Si autem illæ repugnantes noluerint, ego vi impellam. » Veniam mihi date; quid mihi prodest ego novi. Nunc » incipio discipulus esse. Nihil visibilium et invisibilium » mihi æmuletur, ut Jesum Christum consequar. Ignis » et crux, ferarum catervæ, lacerationes, distractiones, » disjunctiones ossium, concisio membrorum, totius cor- » poris contusiones, dira diaboli tormenta in me veniant: » solummòdò ut Jesum Christum consequar. » (*Act. S. Ignat.*)

In quâ epistolâ hoc maximè, præter animosam cogitationum excellentiam, notandum èst, quòd inscriptione quâdam peculiari ab aliis differat. Sic enim cæteræ omnes incipiunt : Εκκλεσιη τη ουση εν Εφεσω, id est, *Ecclesiæ Ephesi, vel Magnesiæ etc.* Epistola autem ad Romanos dirigitur: *Ad illam quæ in Romanorum regione præsidet:* ἥτις Προχαθηται εν τοπω Ρωμαῖων, quibus verbis jàm ab hoc tempore innuitur divina Ecclesiæ Romanæ auctoritàs.

Hinc, relictâ Smyrnâ, pertransiit Troadem, undè ad Ecclesias Philadelphiæ et Smyrnæ generales, particularem verò ad S. Polycarpum mittere curavit epistolas, quæ non

secùs ac aliæ continuis emicant amoris divini quasi scintillantibus radiis. Romam deniquè vigesimâ decembris die ejusdem anni 107 devenit, statimque ad amphitheatrum deductus est, ubi à duobus ità devoratus est leonibus, ut duriora tantùm ossa quædam remanerent, quæ à fidelibus excepta, et honorificè asservata; Antiochiæ suis adhùc temporibus devotè veneranda prædicabat ipse Chrysostomus. (*Homil. in Ignat.*) Nunc autem Romæ coluntur in Ecclesiâ S. Clementis, papæ et martyris. Ejus encomium Chrysostomus celebravit, in quo hoc præcipuè notandum : « Cum Apostolis, inquit, strenuè versatus est, » et fluenta hausit spiritualia. Qualem igitur eum esse » par fuit, qui cum illis educatus est, et ubiquè vixit, et » omnium quæ ab illis vel dicta, vel non dicta sunt par» ticeps fuit, et tanto principatu dignus ab ipsis est ju» dicatus? Quid igitur primum persequemur? Apostolo» rum doctrinam quam in omnibus exhibuit, an præsentis » vitæ contemptum, an virtutis præstantiam quâ Eccle» siam administravit? Quem laudabimus? Martyrem? » Episcopum? an Apostolum? Triplicem enim coronam » gratia Spiritûs contexuit, quâ sanctum illius caput re» dimivit, imò verò multiplicem ... ex præfecturæ am» plitudine, ex ordinantium dignitate, ex difficultate tem» porum, ex civitatis magnitudine, ex virtute illius, qui » ei tradidit præfecturam. » (*Ibid.*) Et iterùm : « Si quis » è fundamentis magnum lapidem eruat, alterùm omninò » parem in ejus loco conatur constituere, nisi velit to» tum ædificium concutere, ac debilius reddere : ità cùm » Petrus Antiochiâ esset discessurus, alterum Petro pa» rem præceptorem gratia spiritûs substituit, ne structa » jàm ædificatio successoris imbecillitate debilior fieret.» (*Ibid.*) Sic deniquè illum cum sole conferendum eleganter asserit : « Sol è superioribus partibus currebat sen-

» sibilem oculis lucem impertiens : Ignatius autem deor-
» sùm splendebat, intelligibile doctrinæ lumen animis
» infundens. Et ille quidem in occidentis partes descen-
» dens absconditur, ac noctem confestìm obducit : hic
» autem ad occasûs partes accedens splendidiùs in illis
» effulsit. » (*Ibidem.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcæ habentur duæ editiones, quibus genuinæ 7 epistolæ, cum aliis quibusdam spuriis, continentur, quarum prior excusa est *Dillingæ, Valentini Pacei* curâ, an. 1557, in-8.°; posterior verò, et illa quidem nitida, an. 1558 et 1562, apud *Joan. Morellum*, in-8°.

Latina reperitur ex antiquâ translatione *Roberti* studio *Jacob. Usserii*, an. 1644, in-4°.

Græco-latinæ, præter *Cotelerii* in Patribus apostolicis curas, potiores sunt, tùm illa quæ 1709 cum Polycarpi epistolâ, et notis *Joan. Pearsonii* anteà ineditis *Oxonii* in-4.° lucem vidit, tùm recentior altera quæ *Amstelodami* prælo est subjecta, an. 1724. (in-fol.).

VERSIONES GALLICÆ.

Excusæ sunt gallico sermone Ignatii epistolæ an. 1717. *Paris.* in bibliâ gallicâ ex versione. D. *Legras*, in-fol., et separatìm in-12, cum scriptoribus temporum apostolicorum. Deniquè longiora habentur eorumdem excerpta apud D. *Fleury*, hist. ecclesiast. lib. 3. c. 5. 11.

§ II.

S. Polycarpus, Smyrnensis. An. 169.

GRÆCUS.

S. Polycarpus, episcopus Smyrnensis à S. Joanne apostolo constitutus, quinque tantùm, sed splendidissimis vitæ circumstantiis innotuit.

Primâ quidem, quod non modò transeuntem Ignatium, sed et scriptam ab eo post transitum epistolam susceperit.

Secundâ, quòd, cum Apostolis conversatus, eorum indivulsè doctrinis inhæserit, ut maximè patet ex epistolâ B. Irænæi ejus discipuli ad Florinum: « Vidi te, inquit, » cùm adhuc puer essem, in inferiore Asiâ apud Polycar- » pum splendidè agentem in palatio, et magnoperè labo- » rantem ut te illi approbares. Etenim ea quæ tunc temporis » gesta sunt meliùs memoriâ teneo, quàm illa quæ nuper » acciderunt: adeò ut et locum ipsum dicere possem, in » quo beatissimus Polycarpus sedens disserebat; processus » quoquè ejus et ingressus, vitæque totius formam, et cor- » poris speciem, sermones deniquè quos ad populos ha- » bebat, et familiarem consuetudinem quæ illi cum Joanne, » ut narrabat, et cum reliquis qui Dominum vidissent, » intercesserat; et qualiter illorum dicta commemorabat, » et quæcumque de Domino ab iisdem audierat; de mi- » raculis quoquè illius atque doctrinâ, prout ab iis qui ver- » bum vitæ ipsi conspexerant Polycarpus acceperat, eo- » dem prorsùs modo referebat, in omnibus cum scrip- » turâ sacrâ consentiens. Hæc ego, divinâ mihi largiente » clementiâ, tunc studiosiùs audiebam, non in chartâ, » sed in corde meo audita describens, eademque per » Dei gratiam assiduè repeto et revolvo. » Idem alibi testatur hunc eumdem beatum virum « Non solùm ab

» Apostolis edoctum, et conversatum cum multis ex iis
» qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis
» in Asiâ, in eâ quæ est Smyrnis Ecclesiâ constitutum
» fuisse episcopum, qui docuit semper quæ ab Apostolis
» didicerat, quæ et Ecclesia tradidit, et sola sunt vera;
» et testimonium his perhibent quæ sunt in Asiâ Ecclesiæ
» omnes, et qui usquè adhuc successerunt Polycarpo. »
(*Advers. hæres. lib.* 3. *c.* 3.).

Tertiâ verò, quòd epistolam ad Philippenses et ipse scripserit, de quâ S. Irenæus: « est autem et epistola Poly-
» carpi ad Philippenses scripta perfectissimè, ex quâ ca-
» racterem fidei ejus, et prædicationem veritatis, qui
» volunt, et curam habent suæ salutis, possunt discere. »
(*Id. ibid.*) Cujus sententiæ assentiunt et Eusebius, qui propria B. Irenæi verba retulit, (*Hist. lib.* 4. *c.* 14) et B. Hieronymus qui ità de eâdem epistolâ loquitur: « scripsit
» ad Philippenses valdè utilem epistolam, quæ usquè
» hodiè in Asiæ conventu legitur. » (*De Script. Eccl.*)

Quartâ porrò, quòd Romam deveniens de celebrando Paschate cum S. Aniceto sermonem contulerit, ità tamen ut unusquisque in suâ consuetudine permaneret. Hic inventum Marcionem, qui ab ipso quærebat utrùm agnosceret eum, repulit his verbis: *Agnosco te primogenitum satanæ.* Hic, cùm aliquid Ecclesiæ doctrinæ contrarium audiret, exclamare solebat: *Deus bone, quæ me in tempora reservâsti!* (Euseb. lib. 5. c. 20.) Hic multos à Valentino deceptos reduxit ad veritatem, Ecclesiæque restituit.

Quintam deniquè, quâ præcipuè inclaruit causam in martyrio reperimus, quod in igne fortiter tulit, an. C. 169. Ità verò beatam ejus mortem referunt Smyrnenses in celebri illâ quam eâ de re scripserunt ad Philadelphienses epistolâ: « Sub vespertinum tempus supervenien-

» tes *qui eum ad mortem quærebant*, ipsum repere-
» runt in quodam superiore cubiculo discumbentem.
» Undè poterat quidem in aliud prædium abire, sed no-
» luit dicens : *Fiat voluntas Domini.* Cùm ergò astantes
» audivisset, et descendisset, collocutus est cum eis. Mi-
» rantibus autem illis ipsius ætatem atque constantiam,
» quidam ex eis dicebant : tantum ne adhibendum erat
» studium, ut hujusmodi vir senex comprehenderetur ?
» Statìm igitur jussit tunc ipsis apponi cibum ac potum,
» quantùm vellent. Petiit autem ab illis, uti darent ei
» horæ spatium, quò liberè precaretur. Quod cùm con-
» cessissent, stans orabat plenus gratiâ Dei, adeò ut per
» duas horas tacere non posset, ac obstupescerent audi-
» tores, multique eorum pœnitentiâ ducerentur, quòd
» adversùs tam divinum senem venissent.

» Ut verò precationem finiit, in quâ mentionem fecerat
» omnium, qui aliquandò cum ipso congressi fuerant,
» parvorum juxtà et magnorum, clarorum et obscurorum,
» totiusque, quæ per orbem terrarum catholicæ Ecclesiæ ;
» cùm hora profiscicendi venisset, asino eum imponentes,
» in civitatem duxerunt die magni sabbati. Et occurit ei
» Irenarcha Herodes, ac pater ejus Nicetas, qui et eum in
» vehiculum suum transtulerunt, assidentesque hortabàn-
» tur illum his verbis et aliis similibus : Quid enim mali est
» dicere, *Domine Cæsar*, et sacrificare, atque ità salvum
» evadere ? Ille autem primùm quidem eis non respondit.
» Sed cùm instarent : Non sum, inquit, facturus, quod sua-
» detis mihi. Tùm illi, frustrati spe flectendi eum, contu-
» meliosa ei verba dixerunt, et cum impetu deturbârunt
» illum, adeò ut è vehiculo descendens tibiam distraheret.
» Verùm, nequaquàm commotus, ac si nihil mali passus
» esset, alacriter et properè pergebat ductus ad stadium :

» tantus verò erat tumultus in stadio, ut nemo posset
» audiri.

» Porrò Polycarpo intranti in stadium vox è cœlo facta est: Fortis esto et viriliter age, Polycarpe. Et eum quidem qui vocem emisit vidit nemo, vocem autem qui ex nostris præsentes erant audierunt. Introducto autem illo, magnus erat tumultus audientium comprehensum esse Polycarpum. De cætero adductum eum interrogavit proconsul, an ipse esset Polycarpus? Cùmque fateretur, hortabatur ille ut negaret, dicens: reverere ætatem tuam; aliaque his similia, ut illi solent, proferens: jura per genium Cæsaris; resipisce; dic: *Tolle impios.* Tunc Polycarpus gravi ac severo vultu turbam omnem sceleratorum, qui in stadio erant gentilium contuens, manumque in eos intentans, simùlque gemens ac cœlum suspiciens, dixit: *Tolle impios.* Insistente verò proconsule, atque aiente: Jura, et dimitto te; convicium fac Christo. Polycarpus respondit: Octoginta et sex anni sunt ex quo servio ei, nec me ullâ affecit injuriâ; et quomodò possem convicia dicere adversùs regem meum, qui salvum me fecit?

» Urgente rursùs illo, ac inquiente: jura per genium Cæsaris; respondit: si ambitiosè contendis, ut jurem per Cæsaris, ut tu vocas, genium, simulas autem te ignorare quis sim, palàm audi: Christianus sum. Si verò cupis christianæ religionis rationem discere, da diei spatium, et audi. Proconsul dixit: Persuade populo. Polycarpus respondit: te quidem sermone ac ratione dignatus sum; edocti namque sumus principibus et potestatibus à Deo ordinatis honorem, prout decet, qui nobis non officiat, dare; illos verò indignos censeo quibus rationem reddam.

» At proconsul ad ipsum dixit: Bestias habeo, his te

» objiciam, nisi resipueris. Ipse verò : Eas, inquit, ar-
» cesse. Neque enim resipiscere solemus eâ resipiscentiâ
» quâ à melioribus ad deteriora mutatio fit. Bonum est
» autem me à malis ad justa transire. Rursùs ad Poly-
» carpum proconsul : quandoquidem bestias spernis, ef-
» ficiam ut igne consumaris, nisi sententiam mutes. Cui
» Polycarpus : ignem minaris, qui ad horæ spatium ar-
» det ac paulò post exstinguitur ; ignoras enim illum fu-
» turi judicii et æternæ pœnæ ignem, qui impiis reser-
» vatur. Verùm quid moraris ? Profer quodcumque vo-
» lueris. »

« Hæc verò atque alia plura cùm diceret, fiduciâ et
» gaudio replebatur, illiusque vultus plenus gratiæ erat,
» adeò ut non solùm iis, quæ ipsi dicebantur, turbatus
» non concederet, sed contrà proconsul stuperet, suum-
» que mitteret præconem, ter in medio stadio proclama-
» turum : Polycarpus confessus est Christianum se esse.
» Quod ubi pronuntiâsset præco, universa multitudo Gen-
» tilium ac Judæorum, qui Smyrnam incolebant, effræ-
» natâ irâ et magnâ voce conclamabant : Hic est Asiæ
» magister, pater Christianorum, nostrorum deorum
» eversor, qui multos docet ne sacrificent, ne-ve deos
» adorent. Ista inquientes acclamabant, rogabantque
» Asiarcham Philippum, ut leonem adversùs Polycarpum
» mitteret. At Philippus negavit id sibi licere, quia ve-
» nationes seu gladiatoria spectacula jam expleverat. Tunc
» placuit illis uno consensu inclamare, ut Polycarpus vi-
» vus combureretur.

» Quandò autem rogus apparatus est, Polycarpus sibi
» detractis omnibùs vestimentis, et cingulo soluto, co-
» nabatur etiam se excalceare, quod priùs non faciebat,
» quoniàm semper singuli fidelium contendebant, quis-
» nam celeriùs corpus ejus tangeret. Cùm verò etiam

» clavis ab illis affigendus esset, dixit : Sinite me sic; qui
» enim mihi dat ignem pati, dabit et sinè vestrâ ex clavis
» cautione immotum pyro permanere. Illi ergò non qui-
» dem clavis defixerunt, sed ligaverunt eum. Hic verò ma-
» nibus post tergum positis, ac revinctus, tanquàm aries
» insignis è magno grege ad oblationem, holocaustum
» acceptabile Deo præparatum, cœlum contuitus dixit :
» Domine, Deus omnipotens, pater dilecti ac benedicti
» filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accepimus,
» Deus Angelorum, et virtutum, ac universæ creaturæ, to-
» tiusque justorum generis qui vivunt in conspectu tuo,
» benedico te, quoniam me hâc die atque horâ dignatus
» es, ut partem caperem in numero martyrum tuorum,
» in calice Christi tui, ad resurrectionem vitæ æternæ,
» animæ et corporis, in incorruptione Spiritûs Sancti. In-
» ter quos utinàm suscipiar hodiè coram te, in sacrificio
» pingui et accepto, quemadmodùm præparâsti, et præ-
» monstrâsti, et implevisti, mendacii nescius ac verax
» Deus. Quapropter de omnibus laudo te, benedico te,
» glorifico te, cum sempiterno et cœlesti Jesu Christo,
» dilecto tuo filio, cum quo tibi et Spiritu Sancto gloria
» et nunc et in futura secula. Amen.

» Et postquàm amen emisisset, precationemque com-
» plêsset, homines seu ministri ignem accenderunt. Cùm
» verò ingens flamma emicâsset, grande miraculum vi-
» dimus, quibus spectare concessum fuit. ... Ignis enim
» fornicis speciem præbens, tanquàm navis velum à vento
» repletum atque sinuatum, undiquè circumdedit mar-
» tyris corpus, quod quidem in medio positum, non ut
» caro assa videbatur, sed veluti panis coctus, vel sicut
» aurum et argentum in fornace candens. Tantam quippè
» fragrantiam odorabamus, ac si thus, aut aliud quod-
» dam pretiosorum aromatum oluisset. Tandem igitur

» cernentes improbi corpus ipsius ab igne non posse con-
» sumi, jusserunt confectorem propiùs accedere, pugio-
» nemque capulo tenùs abdere. Sic defunctus est maximè
» admirandus martyr Polycarpus, qui nostris temporibus
» Apostolicus et Propheticus doctor exstitit. — Omne si-
» quidem verbum quod ore suo emisit, aut impletum est,
» aut implebitur. »

Acta martyrii ejus jam olim lecta in Ecclesiâ, et dies natalis celebratus; nunc quoquè sepulcrum ejus quot annis festo ipsius memoriæ consecrato, solemniter invisi testatur *Thomas Smithus* in notitiâ 7 Ecclesiarum Asiæ, ubi et mentio ampli, quod Smyrnæ adhuc ostenditur, amphitheatri, in quo coronatus martyrio Polycarpus fuit, cujus in memoriam Romæ in templo S. Stephani in Cælio monte legitur illa Siracidæ sententia :

Eccli. 51. 6. *in medio ignis non sum æstuatus.*

« Phœnicen si quis medio miretur in igne
» Emori, et exstincto se reparare rogo;
» Obstupeat, Polycarpe, avidas tibi parcere flammas,
» Non ausas sacrâ te violare face.
» Mille nitent tædæ, rutilantque hinc indè favillis,
» Atque in te Dominum, quem colis ipse, colunt.
» Præmia nunc majora tibi sed reddit Olympus,
» Ignea qui pedibus subjicit astra tuis. »

Ex dictis liquet Polycarpum non immeritò Ecclesiarum *totius Asiæ principem* ab Hieronymo appellatum fuisse in catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Sed et Ignatius martyr, quem Polycarpus Romam adeuntem susceperat, cuique morti proximus Ecclesiæ Antiochenæ curam commisit, eum *dignum Deo episcopum* appellat in epistolâ

ad Smyrnenses. Irenæus pariter ad Florinum scribens *beatum illum et apostolicum præsbyterum* vocat. Undè mirum videri non debet, quòd Polycrates Ephesiorum episcopus, in epistolâ quam ad Victorem papam scripsit, primum, post Apostolum Joannem, locum inter illustriores Asiæ viros Polycarpo concesserit. « Etenim, inquit apud Eusebium, in Asiâ magnâ quædam » lumina exstincta sunt, Philippus unus è duodecim » Apostolis .... Joannes, qui in sinu Domini recubuit .... » Polycarpus quoquè qui apud Smyrnam episcopus et » martyr fuit. » (*Euseb. Hist. lib.* 5. *c.* 24.)

Non verbis tantùm, sed etiam scriptis aliquot Ecclesiam illustraverat Polycarpus, ex quibus unica superest, de quâ suprà locuti sumus, ad Philippenses epistola.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Latinè inter *Francisc. Rous.* Mella Patrum, *Londini* 1650, in-8°.

Græcè autem et *latinè* apud Patres apostolicos *Cotelerii* an. 1672, et iterùm *Amstelodami* 1698 et 1724, in-fol., studio D. *Leclerc.*

GALLICÆ VERSIONES.

Gallicè legitur saltèm quoad magnam partem apud D. *Fleury* hist. eccles. lib. 3. c. 13., integra verò apud Bibliam magnam à *Desprez* excusam, D. *Legras* interprete, *Parisiis* 1717; quæ quidem versio separatìm in-12 prodiit cum aliis Patribus temporum apostolicorum.

§ III.

Sanctus Justinus martyr, *an.* 167.

GRÆCUS.

Sanctus Justinus ex Samariæ provinciâ, Neapolis verò civitate oriundus, Prisco patre et Bacchio atavo natus circà annum Christi 103, non Samaritanus religione, sed paganus, è philosopho Christianus, sacram doctrinam non temerè, sed post longas veritatis disquisitiones, annum agens circiter trigesimum, non imbibit modò, sed et ore et scripto adversùs Judæos et Ethnicos defendit. Audiamus ipsum quis sit, quo genere et quo loco natus Apologiæ initio evolventem his verbis : « Imperatori Tito Ælio » Adriano Antonino Pio, Cæsari Augusto, et Verissimo, » filio adoptivo, humanioris litteraturæ fautori, sacro- » sancto etiam senatui et populo Romano, pro his qui ex » universo hominum genere immeritò et injustè rapiuntur » in odium, ignominiisque vexantur, Justinus, Prisci » Bacchii filius, ex gente Flaviâ Neapolis urbis Syriæ Pa- » lestinæ, unus ex illorum numero, supplex obnoxiis pre- » cibus hanc meam petitionem offero. »

Quomodò autem ad religionis cognitionem pervenerit in dialogo cum Tryphone narrantem iterùm audiamus : « Me Stoïco cuidam dedi, atque cum hoc longo satis ver- » satus tempore, quia nihil ampliùs de Deo didiceram, » ab eo descivi et ad alium me contuli, Peripateticum » vocitatum, hominem, ut ipsemet existimabat, acu- » tum. Hic me primis diebus secum passus, posteà mer- » cedem à me sibi designari petiit, ne infructuosa mihi » esset cum eo consuetudo. Ego verò illum hanc ipsam » ob causam reliqui, ne philosophum quidem omninò

» esse opinatus. Porrò cùm impensiùs adhùc animus meus
» audire, quod philosophiæ proprium atque præcipuum
» est, expeteret, ad Pythagoricum quemdam magni no-
» minis, multique in sapientiâ supercilii virum accessi;
» et cum eo, auditor ejus et familiaris esse volens, egi.
» Ibi : quid, inquit ille, versatus-ne es in musicâ, et astro-
» nomiâ, et geometriâ ? An existimas quidquam te perspi-
» cere eorum posse quæ ad beatitudinem conducunt, nisi
» hæc priùs cognoveris, quæ animum à sensibilibus ad
» intelligibilia percipienda aptum commodumque red-
» dunt, ut id ipsum quod pulchrum et quod bonum est,
» contemplari queas ? Et cùm studia ea summoperè lau-
» dâsset, necessariaque ea dixisset, me ità à se dimisit;
» nam me nescire confessus sum. Ægrè igitur hoc tuli,
» sicut par erat, quod spe excidissem, idque eò magis,
» quòd scire illum aliquid putarem. Ac rursùm tempus
» ipsum mecum considerans, quod in disciplinis eis con-
» terendum erat, rem longiùs differre non sustinui. In
» hujusmodi verò consilii inopiâ placitum mihi est cum
» Platonicis quoquè conversari. Itaquè in urbe nostrâ cum
» viro prudenti atque inter Platonicos excellenti, qui non
» ità pridem eò convenerat, plurimùm fui, promovi, et
» maximè quotidiè crevi. Valdè me delectabat incorpo-
» reorum notio, et idearum contemplatio mentem meam
» quasi alis quibusdam altiùs evehebat, atque intrà breve
» tempus sapientem me esse factum rebar, illicòque
» Deum perspecturum esse per stultam persuasionem
» sperabam.

» Ad hunc modum affecto mihi visum aliquandò est so-
» litudine prolixiùs uti, et vitare hominum vestigia. Proindè
» locum quemdam mari proximum petii, à quo cùm non
» multùm abessem, ut solus ipse mecum agerem, vetulus
» quidam senex aspectu minimè contemnendus, lenes

» simùl et graves præ se ferens mores, modico me intervallo assectabatur : atque ubi conversus substiti, et hominem sum acriùs intuitus, ille: nosti me, ait? Negavi id ego. Quid ergò, inquit ille, me ità contempláris ?— Miror, inquam, te hìc unà mecum esse. — Tu verò quid rerum hìc, ille mihi dixit ? — At ego : deambulationibus, inquam, ejusmodi gaudeo, cùm nihil intercedit solitariis meis collocutionibus impedimenti; nihil videlicet adversi afferentibus.—Sermonis ergò amator quispiam, inquit, tu es : operis amator autem haudquaquàm, neque veri studiosus, neque etiam potiùs operosus, quàm sophista et verbosus esse contendis. »

Tunc refert Justinus longos cum eodem sermones, quibus philosophorum placita contemnere, Christianæ autem religionis excellentiam agnoscere didicit.

Post susceptum baptisma, philosophi habitum nùnquàm deposuit, plurimaque ad asserandam religionis veritatem opera confecit, nempè 1.° *duas apologias*, quarum prior, quæ posteriorem locum in editionibus occupat, Tito Antonino, posterior verò quæ priorem tenet locum, Marco Aurelio, et Lucio Vero oblata est; in quibus Christianorum doctrinam et mores ab omnibus Paganorum objectis acerrimè vindicat; 2.° *Dialogum cum Tryphone*, quo victricibus Judæos debellat argumentis; 3.° tractatum *de Monarchiâ*, sivè de *uno Deo*, qui dimidiatus tantummodò superest; 4.° *Parœneticum librum*, qui græcè λογος παραινετικος dicitur, seu potiùs ut Eusebius, Photius, Hieronymusque appellant, ελεγχος προς Ελληνας, id est, *invectiva contra Græcos*, quo Paganos iterùm exagitat; 5.° *orationem ad Paganos*, quâ mutatæ vitæ rationem exponere videtur; 6.° *epistolam ad Theognetum*, quæ à quibusdam rejecta, tamen Justino potest adjudicari.

Quamvis autem de Ecclesiæ mysteriis satis accurratè loquatur, non desunt tamen inusitata quædam verba, ut potè quæ à philosophiâ deprompta fuerint, imò et errores quidam circà Angelorum dæmonumque naturam, necnon circà vana *Millenariorum* inventa, quibus falsò delusus nimiùm inhærebat. Non obstantibus autem illis quasi necessariis, nondùm evolutâ fide, levioribus mendis, nemo est sivè apud antiquos, sivè apud recentiores, qui non tanquàm optimè meritum ab Ecclesiâ Justinum laudaverit.

Sic Tertullianus, (*in lib. adversùs Valentinum c.* 6.) laudans *viros, et sanctitate et præstantiâ insignes*, qui antè ipsum adversùs hæreticos decertârant, primo loco recenset Justinum philosophum et martyrem. Sic Photius (*in bibliothecâ*) : « Est, inquit, vir ille ad philosophiæ » tùm nostræ, tùm potissimùm profanæ summum evec- » tus fastigium, multiplicisque eruditionis et historiarum » copiâ circumfluens : sed rethorico artificio nativam » philosophiæ suæ pulchritudinem colorare haud studio » habuit. Oratio ejus pollens alioqui ac valida, scientifi- » cumque servans stylum, illa rethorica condimenta non » spirat, nec illecebris et blandimentis vulgus auditorum » attrahit. »

Nec minor in ejus laudibus Eusebius: « Justinus, ait, » philosophi habitu, tùm verbum Dei prædicando, tùm » scriptis pro fide acriter concertando, magnâ famæ ce- » lebritate enituit, *qui*, omnium admiratione comprimis » eximius, multa sanè et præclara sui ingenii sacrarum » litterarum cognitione accuratè informati, et in iisdem » diligenter valdè exercitati monumenta nobis reliquit, » eaque certè plena utilitatis et commodi cujusque gene- » ris. » (*Hist. Eccles. lib.* 4. *c.* 11. *et* 16.)

S. verò Hieronymus: « Justinus philosophus, habitu

» quoquè philosophorum incedens, de Neapoli urbe Pa-
» lestinæ, patre Prisco Bacchio, pro religione Christi plu-
» rimùm laboravit, in tantùm ut Antonino Pio et filiis ejus,
» et Senatui librum contra gentes scriptum daret, igno-
» miniamque crucis non erubesceret, etc. » (*de Script.*
» *Eccles.*)

S. Deniquè Irenæus : « Justinus vir sanctus et Dei
» amans, Samaritanus genere, Christi fidem amplexus,
» ac magnoperè in eâ exercitatus, tùm multiplici virtutis
» specimine per vitam edito, tandem martyrii pro Christo
» perfectam coronam meritus est in territorio Romano,
» Rustico præside, Adriano imperatore, annum agens 30,
» vel potiùs 50, in constanti ætatis gradu. » (*Panar.*
lib. 1.)

Quâ autem occasione, cujusque insidiis martyrium per-
pessus sit, ità explicat eodem ac suprà loco B. Hierony-
mus : « Hic, inquit, cùm in urbe Româ haberet τας διατριϐας,
» et Crescentem Cynicum, quia multa adversùs
» Christianos blasphemabat, redargueret gulosum, et
» mortis timidum, luxuriæque et libidinum sectatorem,
» ad extremum studio ejus et insidiis accusatus quòd
» Christianus esset, pro Christo sanguinem fudit. »

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Integra prodierunt S. Justini opera.

Græcè, an. 1551, *Rob. Stephano* curante, typis regiis in-fol.

Latinè, tùm in bibliothecis Patrum Coloniensi et Lugdunensi, tùm separatìm an. 1565, ex versione *Joann. Langi*, Silesii, qui commentarios etiam addidit. *Basileæ*, in-fol.

Græcè et latinè, *Wirceburg*. an. 1777, inter opera Pa-

trum græcorum, studio *Fr. Oberthiir*, voluminibus tribus prioribus, in-8.°, et cum *Athenagorâ*, curante *Prudentio Marand*, Benedictino, *Hagæ comitum*, an. 1742, in-fol.

Commendari etiam potest *apologiæ pro christianis* privata et commoda editio, ex recensione *Grabianâ à Christ. Guil. Thalemanno*, *Lips.* an. 1755, in-8.°

GALLICÆ VERSIONES.

1.° In linguam gallicam versa sunt integra Justini scripta à *Joan. Demaumont*, et *Parisiis* excusa, an. 1554 et 1559, in-fol.

2.° *Apologia* longior gallicæ fidei reddita à *Chanuto*, cum nomine *Petri Fondati* prodiit *Parisiis*, an. 1670, in-12, et an. 1686 repetita est cum vero *Chanuti* nomine.

3.° *Liber Parœneticus* à *Martino Dupin* interpretatus est, et excusus, an. 1580, *Parisiis*.

4.° *Epistola ad Diognetum*, vertente D. *Legras*, in lucem emissa est, *Parisiis*, an. 1725, in-12.

§ IV.

Athenagoras, circà an. 180.

GRÆCUS.

Athenagoras, Atheniensis, è philosopho Ethnico Christianus, à paucis veterum memoratur, videlicet à Methodio apud Epiphanium et Photium, atque à Philippo Sidensi in fragmento quod edidit notisque illustravit Dodwellus ad calcem dissertationum in Irenæum, cujus Philippi hæc sunt verba : « Scholæ præfuit Alexandrinæ pri-

» mus Athenagoras, qui Adriani floruit temporibus atque
» Antonini, quibus etiam legatoriam orationem pro chris-
» tianis obtulit, religionem christianam in ipso quoquè
» pallio professus et scholæ academicæ præfectus. Hic
» cùm antè fixum haberet in animo Christianos scriptis
» oppugnare, lustratis eâ mente Scripturis ut susceptam
» oppugnationem institueret accuratiùs, ità captus à Spi-
» ritu Sancto est, ut ad exemplum magni Pauli ex per-
» secutore doctor effectus sit illius fidei, quam fuisset
» persecutus. » *Apologiam, seu legationem pro Christianis*, intrà annum Christi 177 et 180, scriptam obtulit Marco Aurelio, et Lucio Commodo; jàm in partem regni assumpto. Prætereà librum confecit de *resurrectione*, ut illam fieri posse ostendat.

Quibus quidem scriptis inter præstantissimos Ecclesiæ doctores, maximaque ejusdem ornamenta collocari meritus est Athenagoras, qui ingeniosus simùl, et doctus, et eloquens, Christianæ religionis mysteria certâ methodo; validis argumentorum momentis, facilique elocutione, licet aliquandò forsitàn diffusâ nimis et intersectâ, vel exponit, vel confirmat.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè solus reperitur *liber de resurrectione. Lugduni Batavorum*, an. 1588, in-fol.

Latinè cuncta leguntur inter bibliothecas Patrum, et *Patrum Mella francisc. Rous, Londini*, 1650, in-8.°

Græcè autem et *latinè* imprimis prædicanda est editio *Prudentii Marand*, Benedictini, cum ejusdem Justino, an. 1742, *Hagæ comitum*, in-fol.

VERSIONES GALLICÆ

1.° *Apologia* gallicè versa à *Guidone Gaussarto* prodiit an. 1574, *Parisiis*, in 8°.

2.° Utrumque autem opus interpretatum ab *Arnoldo Ferrono, sive Ferrierio*, *Burdeg.* excusum est an. 1577, in-4°.

§ V.

Sanctus Theophilus, circà annum 186.

GRÆCUS.

S. *Theophilus*, ex pagano christianus, Eroti sextus post Petrum episcopus in pontificalem Antiochiæ sedem suffectus est, anno Christi 168.

Ex pluribus quos contra hæreticos scripsisse testantur Eusebius (*lib.* 4. *c.* 24.) et Hieronymus (*de script. eccl. c.* 25.) soli supersunt tres ad Autolycum libri, ubi de religionis veritate potissimum disserit. Qui hùc usquè inter manus versantur, amissorum desiderium injiciunt: in doctrinâ veritas, in argumentis rectitudo, in cogitationibus jucunditas, in dictione verò sublimis urbanaque varietas deprehenditur. Sacræ profanæque disciplinæ peritissimum arguunt laudata sæpiùs hinc poëtarum philosophorumque placita, hinc Prophetarum Apostolorumque oracula. Antiochenam Ecclesiam rexisse creditur usquè ad annum 186.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

S. Theophili opera in lucem emissa sunt:

Græcè, curante *Conrado Gesnero*, an. 1546, *Zurich*, cum scriptis Tatiani, in-fol.

Latinè, tùm apud bibliothecas Patrum, tùm separatìm an. 1546, ex versione *Conradi Clauseri*, *Zurich.*

Græcè et *latinè* præsertìm an. 1724, *Hamburgæ*, studio *Joan. Chrystoph. Wolfi.*

Nulla mihi occurrit Theophili gallica versio.

ANNOTATIO.

Plures alii primis hisce temporibus extitêre Doctores, quales dixerim *Dionysium Corinthium*, *Papiam*, *Tatianum*, *Melitonem*, etc., de quibus cùm nulla vel pauca supersint opera, dicere prorsùs inutile visum est.

CAPUT III.

De Sanctis Patribus tertii Ecclesiæ seculi.

Nostræ methodo inhærentes exhibemus antè omnia post Imperatorum et Summorum Pontificum successionem, quales fuerint illi, qui hoc seculo religionem Christianam impugnârunt, et quâ auctoritate damnati evanuerint.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica tertii Ecclesiæ seculi.

§ I.

Imperatorum series.

Qui, desinente seculo secundo, solium tenebat *Septimius Severus*, usquè ad annum regni 18, Christi autem 211 perseverat.

Huic substituitur *Antoninus*, cognomine *Caracalla*, qui, occiso *Getâ* fratre, solus imperium invadit, non ultrà annum regni 6, Christi 217 processurus.

Ejus interfector simul et successor *Macrinus* minùs adhuc diuturnum tenet imperium, et post 14 menses, anno Christi 218 à militibus perimitur.

Post illum *Heliogabalus*, Marcelli vel Caracallæ filius, devicto occisoque Macrino, 4 ferè annis solium omnibus vitiis fœdat, et anno Christi 222 mortem occumbit.

Imperium ad *Alexandrum Severum* transfertur Christianis minimè infensum, qui anno regni 13, Christi 235, juxtà communem tunc morem occiditur.

Cum ejus successore, *Maximino* I, recrudescere cœpit persecutio; ejus tempore electi Romæ duo *Gordiani*, imperium acceperunt, et tribus mensibus consumpti sunt; quibus substituti *Puppienus Maximus* et *Balbinus* occisi interierunt anno 238, quo pariter juxtà Aquileiam occisus est Maximinus.

Sex ferè annis regnat *Junior Gordianus* et anno 244, ut antecessores, gladio cæditur.

Illo defuncto regni habenas suscipit *Philippus*, quem Christianum fuisse contendunt; sed anno Christi 249, regni 5, iterùm jugulatur.

Tunc *Decii* imperium, crudelisque ab eo suscitata persecutio; post duos cum sex mensibus regni annos, anno Christi 251, dùm bellum gerit, insidiis proditus interimitur.

Gallus, ejus successor, persecutorque Ecclesiæ, et S. Cornelii interfector, cum filio *Volusiano*, 2 circiter abhinc annis, anno Christi 253, à militibus occiditur. Hinc breve *Æmiliani* regnum, quo rursùs à *Valeriano* dejecto, Ecclesia in pace aliquandiù quievit. Quinto autem regni anno persecutionem renovavit, quâ

inter alios S. Stephanus et S. Cyprianus absorpti sunt. Anno imperii 7, Christi 260, à Sapore Persarum rege captivus ducitur.

Qui cum eo jam ab anno 253 imperaverat *Gallienus* filius, inter plures hinc et indè exurgentes tyrannos, regnum per 8 adhùc annos producit, pacemque reddit Ecclesiæ. Jugulatur anno Christi 268.

Claudius II imperio potitur per 2 annos, et anno Christi 270 peste consumptus, diem obit supremum.

Sub *Aureliano* ejus successore nova excitatur persecutio; sed propter crudelitatem anno Christi 275, regni 5 occiditur.

Sex mensibus vacat imperium; deindè suscipitur à *Tacito*, qui annum regni non complevit, et anno 276, à militibus occisus est.

Hinc *Probus*, post dejectum *Florianum* Taciti fratrem, eligitur; præclarum ejus regnum per 6 annos productum occisione consummatur, an. Christi 282.

Substituitur *Carus*, qui antè biennium in bello contra Persas, desinente anno 283 interiit.

Hujus brevi interemptis filiis, *Carino* et *Numeriano*, extollitur *Diocles*, dictus posteà *Diocletianus*; qui secum in partem regni assumpsit *Maximianum Herculium*; Diocletiani imperium cœpit an. Christi 284, Maximiani autem 286. Hinc contra Christianos nova persecutio, quæ, iisdem regnantibus, initio sequentis seculi exarsit. Adoptati à Diocletiano *Galerius*; et à Maximiano *Constantius Chlorus*, cum Cæsarum nomine in imperii partem vocantur.

ANNOTATIO.

Anno 226, restituto Persarum regno, imperavit in oriente *Artaxerxes*, cujus locum posteà occupavit *Sapor*, qui persecutionem in Christianos suscitavit. Devic-

tus est ab *Odenato* Palmyræ rege, cui defuncto successit conjux *Zenobia*, regnantibus Gallieno et Claudio II. Ab Aureliano autem debellata est, et in captivitatem redacta an. Christi 273, reliquumque vitæ tempus juxtà Romam placidè traduxit.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

Moritur *S. Victor* an. 202, successorque ejus *S. Zephyrinus*, post 17 pontificatûs annos, diem supremum obit an. Christi 218. Illo pontificatum moderante, Septimius Severus Christianos persequitur, Romam adit Origenes, et ad Montani errores deflectit Tertullianus.

Excipitur ejus locus à *S. Callisto* I, Romano, qui sedem pontificalem 4 ferè annis occupavit, id est, usquè ad annum Christi 222. Cœmeterium condidit, quod, ejus nomine dictum, 46 Romanis pontificibus, et 174 millibus Martyrum insigne prædicatur.

Incipiente anno sequenti eligitur *S. Urbanus* I, qui per 8 ferè annos, usquè ad annum Christi 230 perduravit.

Successor ejus *S. Pontianus* per 5 annos pontifex agit, et an. Christi 235 è vitâ decedit, Maximini persecutionis particeps factus.

Vices ejus, post *S. Antherum* unius mensis pontificem, implet per 14 annos, *S. Fabianus*, divino modo electus, annoque Christi 250 ad vitam meliorem Martyrio vocatur.

Per 16 menses vacat sancta sedes; sed, anno 251 dimidiante, eligitur *S. Cornelius*, cujus locum frustrà occupare tentavit *Novatianus*. Incipiente autem secundo pontificatûs anno, et labente jam Christi 252, Martyr in persecutione Decii ad cœlos transfertur.

Post illum *S. Lucius*, Ecclesiâ per 6 tantùm menses ad-

ministratâ, eamdem coronam sanguinis effusione promeretur.

Suscipitur à *S. Stephano* I, qui pontificatum exercuit 4 annis, et an. Christi 257, Valeriano christianos insectante, Martyrii palmam adeptus est. Hujus tempore exorta celebris de baptismo Hæreticorum quæstio, cum S. Cypriano vehementer agitatur.

Hujus in pontificali sede et in martyrio successor *B. Sixtus*, vel *Xistus* I, 1 episcopatûs anno, Christi 258, in æternum regnum transfertur.

Vacat uno anno sancta sedes; cui *S. Dionysius* imponitur an. 259, annisque 10 regit Ecclesiam, an. 269 defunctus.

Sequitur *S. Felix* I, cujus 5 annorum pontificatus inter Aurelianensis persecutionis procellas usquè ad annum 274 processit, quo Domini Confessor in pace quievit.

Illo defuncto, *S. Eutychianus* Papa renunciatur, et 9 ferè annis gubernatâ Ecclesiâ, an. 283 migrat ad Dominum. Hujus tempore exorta est Manichæorum hæresis.

Ejus loco *S. Caius* eligitur, expletoque 12 annis ministerio, an. Christi 296, animam Domino reddit.

S. demùm *Marcellino* Sacerdotii culmen tenente, exardescit Diocletiani persecutio, quæ præsertìm initio sequentis seculi debacchata est.

§ III.

Ecclesiæ adversarii.

Inter *Ethnicos*, *Porphyrius*, ex Christiano paganus philosophus, plurima contra religionem Christianam mentitus est, floruitque sub Gallieno, ejusque successoribus.

Inter hæreticos verò, vel schismaticos, præcipuè no-

tandi sunt, *Novatiani*, *Sabelliani*, *Paulianistæ*, *Manichæi et Origenistæ.*

1.° *Novatiani*, primùm schismatici, electo anti-papâ contra S. Cornelium Novatiano, deindè in hoc hæretici facti sunt, quòd majora post baptismum commissa peccata ab Ecclesiâ condonari non posse contenderent.

2.° *Sabelliani*, *Praxeæ*, *Noëti*, et *Sabellii* discipuli, Deum non triplicem esse in personis, sed unum tribus vocari nominibus somniabantur.

3.° Ex quâ hæresi pullulaverunt, *Pauli Samosateni*, episcopi Antiocheni, errores, qui impietatem eò usquè produxit, ut Christum etiàm Deum esse negaret.

4.° *Manichæi*, sic à *Manete* hæresiarchâ dicti, omnes veterum innovârunt errores: duo enim esse Principia, unum quidem bonum, alterum verò malum; bonam pariter ac malam animam quemlibet hominem sortiri; Christum corpore tantùm *phantastico* fuisse donatum; nec liberum esse hominem, nec in Adamo peccâsse, nec baptismo, nec fide indigere; imò neque sacris libris deberi fidem, neque matrimonio uti licere docebant.

5.° Tandem *Origenistæ* dicebantur, qui imputatos Origeni errores propugnabant. In vitâ Origenis quid de illo sentiendum sit expendetur; de discipulis autem dicendum est quòd in multis erraverint, atque in hoc maximè, quòd animam Christi Verbo Divino antè Incarnationem copulatam; quòd cujusque hominis mentem antè corpus creatam, et propter præcedentium peccatorum pœnam in corpus, tanquàm in carcerem, detrusam; quòd Christum pro ipsis dæmonibus mortuum; quòd deniquè pœnas Inferni non esse æternas prædicaverint.

§ IV.

De Conciliis Generalibus tertii seculi.

Persecutionibus exagitata sæpiùs Ecclesia nullum hoc seculo congregare potuit Generale Concilium.

ARTICULUS II.

De vitâ et scriptis Sanctorum Patrum tertii Ecclesiæ seculi.

Floruerunt hâc præclarâ ætate *S. Irenæus*, *S. Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *S. Hippolitus*, *Origenes*, *S. Cyprianus*, *et S. Gregorius Thaumaturgus.*

§ I.

Sanctus Irenæus, *an.* 203.

GRÆCUS.

Sanctus Irenæus natus est circà annum Christi 120, natione Græcus, et, ut videtur, ex Asiâ minori oriundus. In vitâ B. Polycarpi Smyrnensis Episcopi jam notavimus Irenæum in ejus sanctissimi viri scholâ educatum fuisse, cunctaque tanti Doctoris quasi odoratum esse vestigia. Quâ occasione, quove tempore in Gallias ex Asiâ accesserit, non satis compertum habemus, quamquàm S. Gregorius Turonensis à B. Polycarpo missum illum prædicet. (*Histor. Franc. lib.* 1. *c.* 20.) Hoc autem certum est eum anno 177, quo maximè efferbuit Lugduni adversùs Christianos persecutio, ejus urbis Ecclesiæ præsbyterum fuisse, cùm à martyribus Lugdunensibus destinatus fue-

rit, qui ad Eleutherum Papam epistolas deferret, non solùm ut Ecclesiæ Lugdunensis *præsbyter*, sed ut *æmulator testamenti Christi* commendatus.

Quin et eum aliquot antè hanc persecutionem annis in eâ civitate fuisse conversatum, collegi potest ex eo quòd non solùm Romam rerum Ecclesiæ gerendarum causâ missus fuerit, sed etiàm quòd omnes redeuntem judicaverint dignum, qui S. Pothino episcopo persecutione sublato, in tàm impeditis Ecclesiæ temporibus substitueretur.

In episcopali cathedrâ constitutus, ministerii sibi à Deo commissi partes egregiè adimplevit, Ecclesiam non modò verbis et vitæ sanctimoniâ, sed etiam multis præclarè scriptis illustrando. Asserit Gregorius Turonensis illum *modici temporis spatio prædicatione suâ maximè in integro civitatem reddidisse christianam.* (Histor. Franc. lib. 3. c. 29.) Cùm autem, jubente Septimio Severo imperatore, tanta concitata fuisset persecutio, ut juxtà eumdem historiographum, *per plateas flumina currerent de sanguine christiano*, (Ibidem.) Martyrii et ipse gloriâ coronatus est cœlestem secum ad æterna regna velut exercitum ducens, undè in ejus Ecclesiâ hoc legitur carmen :

« Millia dena novemque fuerunt sub duce tanto. »

S. Irenæi Martyrium, quantùm conjici potest, anno circiter 203, contigisse dicendum est, senili jam ejus ætate, cùm S. Epiphanius passim eum *beatum senem* appellet.

Ex omnibus, quæ scripserat, operibus tantummodò supersunt quinque contrà hæreticos libri, in quibus hoc maximè notandum quòd romanæ Ecclesiæ excellentiam extollendo his verbis profiteatur : « Maximæ et antiquis-
» simæ, et omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus
» Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ

» Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, » et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum » coporum suorum pervenientem usquè ad nos indi» cantes confundimus omnes, qui quoquo modo, præter» quàm oportet, colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam » propter potiorem principalitatem necesse est omnem » convenire Ecclesiam.* » (lib. 3. c. 3.)

Cætera B. Irenæi scripta vel penitùs exciderunt, vel non nisi truncata usquè ad nos, Eusebio transcribente, pervenerunt, (*Hist. eccles. lib.* 5. *cap.* 20. 24.) inter quæ præcipuè notanda : 1.° *epistola* ad Florinum, cujus fragmentum in S. Polycarpi vitâ retulimus; 2.° *epistola* ad Blastum de *schismate*; 3.° egregia quam ad Victorem Papam scripsit *epistola*, ut eum à consilio, quod adversùs Asiæ Ecclesias ob disceptationem de paschatis die commotam animo conceperat, revocaret. Hujus epistolæ quædam refert fragmenta Eusebius, quibus in Irenæi elogium subjungit : « Irenæus quidem nomini suo verè res» pondens (Ειρηναιος quippè græcè, latinè pacificum » sonat,) nec solo nomine, sed etiàm vitæ instituto ac » proposito pacifico pro Ecclesiarum pace hæc monuit et » allegavit. » (*Euseb. ibid.*)

De quo etiam ità S. Epiphanius loquitur : « Optimus » ille senex Irenæus..... vir omninò Spiritûs Sancti donis » instructissimus tanquàm fortis athleta productus à Do» mino, et cœlestibus ornamentis, ut ità dixerim, ad » certamen perunctus, qui sinceræ fidei ac scientiæ » præsidiis, omnia illorum prostravit et evertit menda» cia. » (*Hæres.* 31. *n.°* 33.)

Ejusdem opera S. laudat Hieronymus, in epistolâ ad Magnum oratorem Romanum, quorum ope Patres adversùs quoslibet hæreticos decertârunt; imò et alibi (*in Isaiæ c.*64.) eum non modò *Episcopum* et *Martyrem*, sed

etiàm *Virum Apostolicum* appellat. S. Basilius Magnus ipsius auctoritate pro asserendâ Spiritûs Sancti divinitate usus est. (*Lib. de Spir. Sanct. c.* 29.)

Eamdem S. Augustinus contrà Pelagianos adhibuit, qui etiam Irenæum *antiquum hominem Dei* cognominat. (*contra Jul. lib.* 1. *c.* 3.) His adjungi possunt S. Clemens Alexandrinus apud Eusebium, (*Hist. lib.* 6. *c.* 13.) et S. Cyrillus Hierosolymitanus, (*Cath.* 16.) qui honorabilem de illo mentionem faciunt.

Theodoretus illum dicit *lumen occidentalium Gallorum.* (*Dialog.* 1.) Undè non immeritò Irenæum inter *viros sanctitate et præstantiâ insignes*, qui hæreses nascentes retuderunt, numerat Tertullianus, eumque *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* appellat. (*lib. adver. Valentin.*) Et re quidem verâ hunc beatum antistitem sacras et profanas optimè scientias calluisse, ex ipsius operum lectione facilè quisque advertere potest, quamvis simplicem scribendi modum et omni verborum ornatu destitutum se amplexum fuisse dicat in præfatione ad libros contra hæreses.

Hoc unum illi exprobrandum occurrit, quòd malè interpretato Apocalypsis textu mille annorum fabulæ nimiùm credulus adhæserit, undè Photius *Ecclesiasticorum dogmatum certam veritatem spuriis rationibus fucari* in aliquibus asserit, (*Cod.* 120.) qui quidem error nondùm ab Ecclesiâ proscriptus, interrogatâ juxtà Irenæi placitum traditione, posteà reprobatus est.

Græcè scripserat, non latinè, licèt græcis quoad magnam partem careamus præter ea quæ S. Epiphanius ex libro primo servavit, et quæ aliundè viri docti eruerunt.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Duæ præcipuæ recenseri possunt B. Irenæi editiones, quarum prior luculenta et nitida lucem vidit operâ et studio *Ernesti Grabe, Oxonii*, an. 1702, in-fol.; posterior autem, curante *Renato Massueto*, Benedictino, cum tribus ejusdem exquisitis dissertationibus, an. 1710, *Parisiis*, in-fol.; quæ quidem an. 1734, *Venetiis* recusa est, additis fragmentis Irenæi anecdotis à *Psaffio* editis *Hagæ Comitum*, 1715, in-8°.

GALLICÆ VERSIONES.

Videri potest ejus operis breviarum apud D. Fleury, hist. Eccles. lib. 4. c. 23.

§ II.

Sanctus Clemens Alexandrinus, circa an. 217.

GRÆCUS.

Titus Flavius Clemens, patriâ Atheniensis, (*S. Epiph. Hæres.* 32. *n.*° 6.) vel, ut alii volunt, Alexandrinus, ex ethnico philosopho christianus, multùm humanioribus litteris, philosophiâque maximè Platonicâ, sacrarumque imprimis doctrinâ Scripturarum emicuit. Quantam in discendo curam adhibuerit Strômatum initio ipse testatus est, cùm referat se duobus magistris usum, uno quidem ex Cœlesyriâ, altero autem ex Ægypto oriundis, quorum posteriori maximè « adhæsit, utpotè qui tanquàm Sicula » apis, prophetici et Apostolici prati flores decerpens, » sinceram quamdam et incorruptam cognitionem inge» neraret eorum, qui audiebant, animis. » (*Strôm.* 1.)

Ultimum autem illum quem in Ægypto audire perseveravit magistrum, Pantænum fuisse vulgò creditur, qui christianæ in Alexandriâ scholæ præerat, et à Demetrio episcopo in Indiam missus est. Hujus in celebri illâ scholâ vices suscepit Clemens, sacerdosque consecratus honorificum illud ab Alexandro Hierosolymitano in epistolâ ad Ecclesiam Antiochenam testimonium habere meritus est: « Hæc vobis Domini et fratres scripta transmisi per Cle- » mentem beatum præsbyterum, virum illustrem et pro- » batum, quem vos quoquè scitis, et nunc pleniùs reco- » gnoscetis, qui cùm hùc venisset juxta providentiam et » visitationem Dei, confirmavit et auxit Domini Eccle- » siam. » (*Euseb. hist.* 6. 11.) Qui similiter ad Origenem scribens, Clementis et Pantæni tanquàm familiarium suorum mentionem facit his verbis : « Hæc enim voluntas » Dei fuit, ut nôsti, quò amicitia nostra jam indè à ma- » joribus inchoata, sacra atque inviolata maneret, imò » ferventior ac firmior redderetur. Patres quippè agno- » vimus beatos illos, qui viam nobis præiverunt, et quos » brevì secuturi sumus, Pantænum scilicet verè beatum » ac Dominum meum, et S. Clementem Dominum item » meum, qui me plurimùm adjuvit. » (*Euseb. hist.* 6. 14.)

Inter præcipuos Clementis discipulos primum certè locum occupat Origenes, qui, illi in persecutione Septimii Severi Alexandriâ cedere coacto, in docendi munere successit. In Cappadociam secedens, Alexandri cujusdam confessoris Ecclesiam aliquandiù administratam in fide veritatis confirmavit. Quo autem tempore, quove loco tandem diem extremum obierit, non certè potest definiri; videtur tamen Alexandriæ sub Antonino Caraccalâ, id est, non post annum 217, quo ille defunctus est, ad meliorem vitam migrâsse.

Tria potissimùm supersunt Sancti Clementis opera,

nempè, 1.° *exhortatorium ad gentes* græcè προτρεπτικος, quâ fictionibus carminibusque poëtarum continuò armatus propriis adversarios telis perfodit, congestasque super insani cultûs ruinas elegans simul et immotum christianæ religioni templum erigit, quod ratione fundatum cunctis virtutibus exornatur; 2.° *Pædagogus* quem juxtà vim verbi Παιδαγωγος præceptorem dixerim, qui puerum quasi ab incunabulis in *unitate fidei* virtutisque perfectione informandum suscipit, *donec occurrat in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*; (Eph. 4. 13.) 3.° *Strômata*, Στρωματεις, quæ meliùs latinè *tapetes*, quorum octo libris sinè ordine quidem, sed non sinè gratâ varietate diffusam omnem Christi philosophiam percurrere gaudebis, de quibus ità ipse Clemens: « Sunt autem » libri Strômatum utiquè similes non illis elaboratis hortis, » in quibus sunt arbores et plantæ in certum ordinem ad » delectandos oculos digestæ, sed alicui potiùs spisso et » umbroso monti, in quo simul sunt plantatæ cypressi et » platani, laurus et hedera, mali et oleæ et ficus, ità ut » de industriâ fertilium simul et non fertilium plantæ arborum sint commixtæ. » (*Strômat. lib.* 7.) Octavus liber S. Clementi non videtur adscribendus. Tribus autem illis operibus perficere christianum intendisse dixerim, cùm primo opere futuros purgare christianos à sordibus adhærentium superstitionum; secundo jam purgatos initiare et instituere; tertio deniquè ad sacra maxima supremamque Dei contemplationem admittere conetur.

Præter illa autem scripta remanent etiamnùm 1.° parvus liber de *divite salvando*, et 2.° *Hypotyposeôn*, Ὑποτυπωσεων, truncatæ quædam partes, quæ ad Platonicorum sophistarum placita, nimìs tunc in Alexandrinâ scholâ diffusa, plus æquo inclinare videntur.

S. Clementis scripta altâ præsertìm doctrinâ inter om-

nes veterum elucubrationes commendantur. « Feruntur, » inquit Hieronymus, ejus insignia volumina, plenaque » eruditionis et eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, » quàm de secularis litteraturæ instrumento. (*De script.* » *Eccles. c.* 38.) Vir meo judicio eruditissimus..... Quid » (in illius libris) indoctum ? Imò quid non è mediâ phi- » losophiâ est ? » (*Epist.* 83. *ad Magn.*) Idem Eusebii judicio *mirabilis Clemens* prædicatur *vir omnium rerum experientiâ scientiâque præditus, et in usu plurimorum negotiorum prudentissimus.* Addo et S. Cyrillum Alexandrinum, qui illum vocat « virum imprimìs studio- » sum, qui eorum, quæ apud Græcos leguntur, altitudi- » nem curâ ac studio perscrutatus est, quo pauci ex iis » qui ubiquè eum præcessêre. » (*lib.* 7. *in Julian.*)

Photius deniquè sic illius elocutionem depingit : « Dictio » florida attemperatam quamdam gravitatem non sinè » jucunditate adsurgit, et varia illa, quæ in iis est, rerum » cognitio nihil habet minùs conveniens. » (*Bibl. cod.* 110.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Excusa habentur S. Clementis Alexandrini scripta :

Græcè an. 1550, recensente *Petro Victorio*, *Florentiæ*, et an. 1592, *Heidelb.* cum castigationibus *Frid. Sylburgii*, in-fol.

Latinè autem tùm inter bibliothecas Patrum, tùm inter Patrum Mella *Fransc. Rous, Londini*, an. 1650, in-8°.

Græcè et latinè, *Oxonii*, ex recensione *Joan. Potteri*, Oxoniensis episcopi, an. 1715 ; quæ quidem editio recusa est *Venetiis, an.* 1757, cum fragmentis novis ex *Fabricio* excerptis.

GALLICÆ VERSIONES.

1.° *Exhortatorium ad gentes* gallicè prodiit auctore *D. Cousin*, *Parisiis*, an. 1684, in-12.

2.° *Pædagogus* cum tractatu *de divite salvando* Gallicæ fidei redditus est, et excusus apud *Pralard.*, an. 1696, in-8°.

§ III.

Tertullianus, circa an. 245.

LATINUS.

Quintus Septimius Florens Tertullianus, origine Carthaginiensis, proconsularis Centurionis filius, anno 160 natus est, omniumque scientiarum studio ab infantiâ deditus, inter coævos, juxtà Hieronymum, tanquàm in linguâ latinâ eloquentissimus habebatur. (*Hist. contr. Jovin. c.* 7.) Junior adhuc, jocandi causâ, librum de incommodis matrimonii scripserat, nec ideò matrimonium penitùs declinavit, ut patet ex scriptis ad uxorem monitis. Ex Paganorum erroribus ad Christi fidem conversus, plura elucubravit Ecclesiæ utilissima opera; sacerdotii verò dignitate insignitus, cùm, ut Hieronymus refert, *usquè ad mediam ætatem præsbyter Ecclesiæ permansisset*, (de Scrip. Eccl. c. 53.) Romanorum clericorum invidiâ injuriisque vexatus, *ad Montani dogma delapsus est*, et tam gravi lapsu non totam solùm tremefecit Ecclesiam, sed omnia terrore concussit Ecclesiæ secula. Durum, severum, violentumque Tertulliani ingenium hujus sectæ rigore delectabatur, quâ nimiùm extollebatur continentia, fuga martyrii prohibebatur, pluraque imponebantur jejunia, vigiliæ et orationes; quin et credulioris animi deliramentis abreptus, eò devenit erroris, ut omnibus Montani ipsiusque discipulorum somniis fidem adhiberet. Hinc catholicos, secundum hujus temporis hæreticorum morem, *Psychicorum* nomine designare cœpit.

Cùm verò concatenati errores alius vulgò ab alio nascantur, non Millenariorum modò placitis favit, sed ab ipsis deindè Montanistis alienatus, conventus privatos, privatosque habuit discipulos, qui Tertullianistæ dicti Carthagine per ducentos annos usquè ad Augustini ætatem perduraverunt, quo tempore ad Ecclesiam catholicam rediêre.

Quandò autem defunctus sit difficilè potest assignari, quamquàm minimè dubitandum videatur, quin vitam usquè ad extremam senectutem produxerit. Undè conjici potest illum circa annum Christi 245 obiisse.

Cùm verò in illius operibus plura præclarè, plura etiam hæreticè dicta reperiantur, non parvì refert inter ejus libros apprimè cognoscere, qui pravos sensus, qui integram redoleant doctrinam, ne rejectis salubribus pascuis, purum ebibamus venenum. Hæc sunt igitur opera quæ hæreticus, hæreticèque aliquandò in nonnullis conscripsit: 1.° *Quinque contra Marcionem libros*, in quibus de falso *Paracleto*, novisque loquitur Prophetis, de quibus inter ipsum et *Psychicos* exsurgere dicit controversiam; 2.° *adversùs Praxeam* tractatum, quo, licèt post discessum exarato, nihil contra catholicam fidem occurrit; 3.° *contra Hermogenem* accuratum satis librum; 4.° *de animâ, de carne Christi, de resurrectione carnis*, in quorum operum primo animam dicit corporalem, licèt non materialem, in ultimo autem Priscam et Pricillam prophetissas laudat; 5.° *de martyrii fugâ*, quam contra Sanctorum exemplum Christique ipsius consilium damnat; 6.° *Scorpiace*, ubi contra eos qui à martyrio fideles retrahebant, satis catholicus agit; 7.° *adversùs Judæos* tractatum, cui nulla videntur exprobranda; 8.° *ad Scapulam*, ubi hunc Africæ proconsulem ad reprimendam persecutionem in nullo reprehendendus exhortatur; 9.° *de Monogamiâ*, ubi

secundas reprobat nuptias; 10.° *de jejuniis*, quas à Montanistis superaddita propugnare nititur; 11.° *de pudicitiâ*, cujus amissæ detrimentum nullâ resarciendum pœnitentiâ asserit; 12.° *de coronâ*, ubi coronam, quam milites in quibusdam circumstantiis ferebant, velut idololatricam respuit; 13.° *de virginibus velandis*, ubi nubiles puellas velis obtegi longioribus, maximè in Ecclesiâ, jubet; 14.° *de pallio*; 15.° *de exhortatione castitatis.*

In his autem omnibus libris non cuncta æquè damnanda deprehenduntur; sed inter scaturientes hinc et inde errores multa et magna elucent, quæ ad religionis defensionem laudemque Ecclesiæ non indecenter possunt accommodari. Erravit autem tum circa dogmata, tum circa morum regulas, tum etiam circa dictamen rationis: circa dogmata quidem; quia ut S. Augustini verbis utar, *animam quamvis immortalem, corpus tamen esse contendit, neque hanc tantùm, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dixit licèt non effigiatum*: (lib. de Hæres.) circa morum autem regulas, quia juxtà eumdem Augustinum, *transiens ad Cataphrygas, cœpit secundas nuptias contra apostolicam doctrinam tanquàm stupra damnare*, (Ibidem.) martyrii fugam, tanquàm aliquod impietatis apostasiæque genus reprobare, imò et quædam peccata, homicidium nempè, et adulterium, et fornicationem tanquàm à Deo nunquàm remittenda prædicare; circa deniquè rationis dictamen, quia tanto ingenio tantâque doctrinâ præditus, cùm auctoritatem Ecclesiæ et hæreticorum insaniam in libro *de præscriptionibus* demonstrâsset, posthabitâ tamen illius Ecclesiæ tam fortiter assertâ auctoritate, eò tamen dementiæ præcipitatus est, ut Montanum, sicut *Paracletum*, Priscam autem et Priscillam sicut prophetissas habere non erubuerit.

Inter libros verò quos catholicus catholicèque confecit, (licèt et in illis quædam non satis accurata jam exoriri potuerint) connumerari possunt, 1.° *de baptismo*, cujus necessitatem, adhibitis sacræ Scripturæ testimoniis vindicat; 2.° *de pœnitentiâ*, ubi loquitur de illâ quæ vel antè baptismum per peccati detestationem, vel post baptismum per *exomologesim*, seu iniquitatis confessionem peragitur; 3.° *de oratione*, ubi quosdam circa orationem abusus reprehendit; 4.° *ad uxorem*, cui auctor est, ut ad pagani, si ipse moriatur, nuptias non convolet. Illo in tractatu hæc maximè notanda, quibus uxorem interrogans : « Latebis-ne, inquit, cùm lectulum, cùm corpus» culum tuum signas, cùm aliquid immundum flatu ex» plodis, cùm etiam per noctem exsurgis oratum? Et non » magis aliquid videberis operari? Non sciet maritus quid » secretò ante omnem cibum gustes? Et si sciverit pa» nem, non illum credit esse qui dicitur? ... Cujus ma» num desiderabit? De cujus poculo participabit? Quid » maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Quæ » Dei mentio? Quæ Christi invocatio? ubi fomenta fidei » de Scripturarum interjectione? ubi spiritus? ubi refri» gerium? ubi divina benedictio? ... Undè (verò) suffi» ciamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod » Ecclesiæ conciliat et confirmat oblatio, et obligat bene» dictio, Angeli renuntiant, Pater ratò habet? Quale ju» gum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius dis» ciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo con» servi, nulla spiritus carnisve discretio. Simul orant, simul » volutantur et simul jejunia transigunt, alterutrò docen» tes, alterutrò hortantes, alterutrò sustinentes. In Ec» clesiâ Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter » in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis. Liberè » æger visitatur, indigens sustentatur. Eleemosynæ sinè

» tormento, sacrificia sinè scrupulo. Sonant inter duos » psalmi et hymni, et mutuè provocant quis meliùs Deo » suo cantet. » (*Lib.* 2. *c.* 5. 6. *et* 8.) 5.° *De idololatriâ*, ubi omnem prohibet idololatriæ participationem; 6.° *ad martyres*, quos ad passiones fortiter sustinendas exhortatur; 7.° *de patientiâ*; 8.° *de cultu feminarum*, quas ab exquisitoribus ornamentis deterret, tùm multis aliis rationibus, tùm præsertim instantis persecutionis cogitatione dicens: « Nescio an manus spathalio circumdari solita in » duritiem catenæ stupescere sustineat: nescio an crus » periscelio lætatum in nervum se patiatur arctari; timeo » cervicem, ne margaritarum ac smaragdorum laqueis » occupata locum spathæ non det. Quarè, Benedictæ, » meditemur duriora, et non sentiemus: relinquamus » lætiora, et non desiderabimus. » (*Lib.* 2. *c.* 13.) 9.° *ad Nationes*; 10.° *adversùs Judæos*; 11.° *adversùs Valentinianos*.

Sed inter omnia Tertulliani opera præsertim eminent tractatus illi *de spectaculis*, *de præscriptione hæreticorum*, *et apologeticus contra gentes*; quorum primus an. 204 celebratis ab imperatore Septimio Severo secularibus ludis; secundus fortè post lapsum, cùm in libro contra Marcionem ad illum quasi futurum remittat; tertius autem paulò anteà, ineunte circà annum 202 ejusdem Severi persecutione, conscripti vulgò creduntur.

Quàm fortiter in spectacula invehitur, cùm *secularibus erroribus* spectaculorumque voluptatibus addictos quærendo urget, quomodò « quæ facere (non possumus » innocentes) talia facientibus conferamur? (*De Spect.* » *c.* 15.) Cur liceat videre quæ loqui non licet?..... Cur » æquè liceat audire quæ facere flagitium est? Cur quæ » ori prolata communicant hominem ea per oculos et au» res admissa non videantur hominem communicare?

» (*c.* 17.) Cur ille qui filiæ virginis ab omni spurco
» verbo aures tuetur, ipse eam ad theatrum ad illas vo-
» ces gesticulationesque deducat ? (*c.* 21.) Quomodò re-
» cogitare posset de Deo positus illic ubi nihil est de Deo ?
» Quale sit de Ecclesiâ Dei in Ecclesiam diaboli tendere ?
» De cœlo, quod aiunt, in cœnum ? Quid illas manus
» quas ad Deum extuleris post modum laudando histrio-
» nem fatigare ? Quid ex ore quo *amen* in sanctum pro-
» tuleris gladiatori testimonium reddere ? (*c.* 25.) Nonne
» maximè intelligunt (pagani) factum christianum de
» repudio spectaculorum ? » (*Ibid.*, *c.* 24.) Quod deni-
què discrimen inter vanas transeuntis mundi delicias, et
tam horrendum illud extremi judicii, vel tam dulce exul-
tationis æternæ spectaculum !

Quàm facilè simul et efficaciter, in libro *de præs-
criptione* obmutescere cogit hæreticorum linguas, cùm
variis illorum disputationibus prætermissis, invictum
illud argumentum sæpiùs iteratum revolvit : « Nonne
» vera est illa doctrina quam Ecclesia ab Apostolis,
» Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit ? (*c.* 21.)
» Edant ergò (adversarii) originem Ecclesiarum suarum,
» evolvant ordinem episcoporum suorum per successiones
» ab initio decurrentem.... Hoc enim modo Ecclesiæ ca-
» tholicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ec-
» clesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert, sicut
» Romanorum Clementem à Petro ordinatum itidem ;
» perindè utiquè et cæteræ exhibent quos ab Apostolis in
» episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces
» habeant. » (*c.* 32.)

Sed quibus dignè verbis laudari posset, tantis jam me-
ritò laudibus celebratus, præclarus ille adversùs gentes
apologeticus liber, quo nihil perfectius, nihil pretiosius in
primis Ecclesiæ seculis emicuisse videtur ? Quantâ verbo-

rum virtute contra religionis fidem disciplinamque intentata victor refellit ? Quantâ animi libertate ipsis etiam præsidibus injustitiam et crudelitatem exprobrare non veretur ? Quis non miraretur, cùm paganis christianos ostendit « Suspicientes manibus expansis, quia innocuis,
» capite nudo, quia *nesciunt* erubescere, ità orantes pro
» omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium
» securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fi-
» delem, populum probum, orbem quietum, et quæ-
» cumque hominis et Cæsaris vota sunt ? » (*Apol. c.* 30.)
Ut christianorum vires patientiamque commendat, cùm testes appellans adversarios : « Hesterni, inquit, sumus,
» et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella,
» municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias,
» palatium, senatum, forum ; sola vobis relinquimus
» templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus,
» etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si
» non apud istam disciplinam magis occidi liceret quàm
» occidere ? .... Si enim tanta vis hominum in aliquem
» orbis remoti sinum abrupissemus à vobis...... procul
» dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silen-
» tium rerum, et stuporem quemdam quasi mortui or-
» bis. » (*c.* 37.) Ut eorumdem innocentiam non ratiocinio, sed exemplis vindicat : « Vestros, inquit, jam con-
» testamur actus, qui quotidiè judicandis custodiis præ-
» sidetis.... Tot à vobis nocentes variis criminum elogiis
» recensentur : quis illic sicarius, quis manticularius, quis
» sacrilegus et corruptor,... idem etiam christianus ad-
» scribitur ? ..... De vestris semper æstuat carcer ; de
» vestris semper metalla suspirant ; de vestris semper bes-
» tiæ saginantur ; de vestris semper munerarii noxiorum
» greges pascunt. Nemo illic christianus, nisi hoc tan-
» tùm ; aut si aliud, jam non christianus. Nos ergò soli

» innocentes. » (*c.* 44.) Quem pudicitiæ amorem in Christianis insitum prædicat, cùm præsidibus infames exprobrans sententias : « Proximè, ait, ad lenonem damnando Christianam potiùs quàm ad leonem, confessi » estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ » et omni morte reputari. » (*c.* 48.) Quæ tandem fortitudo, quis suppliciorum mortisque contemptus in his verbis elucet, quibus excellentem illum tractatum concludit : cæterùm, « hoc agite ; boni præsides, cruciate, » torquete, damnate, atterite nos.... Plures efficimur, » quoties metimur à vobis ; semen est sanguis Christia- » norum...... Sententiis vestris gratias agimus...... cùm » damnamur à vobis, à Deo absolvimur. » (*Ibidem.*) Talis fuit tam mirandus ille, et tam deflendus Tertullianus, qui modò magnis dotibus, modò erroribus insignis ; modò Ecclesiæ subditus, modò rebellis, modò humili pietate flagrans, modò inani superbiâ tumens, attonitum docuit orbem et quid excogitare, et quid delirare possit humanum ingenium.

Nullum autem melius de tam stupendo viro ferri potest judicium quàm illud Vincentii Lirinensis : « Quid hoc, in- » quit, viro doctius ? Quid in divinis atque humanis rebus » exercitatius ? Nempè omnem philosophiam et cunctas » philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum, » omnesque earum disciplinas, omnem historiarum ac » studiorum veritatem mirâ quâdam mentis capacitate » complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi ac vehe- » menti excelluit, ut nihil sibi penè ad expugnandum » proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pon- » dere eliserit. Jam porrò orationis suæ laudes quis exe- » qui valeat, quæ tantâ nescio quâ rationum necessitate » conserta est, ut ad consensum suî, quos suadere non » potuerit, impellat. Cujus *quot penè verba, tot senten-*

» *tiæ sunt, quod sensus, tot victoriæ.* Sciant hoc Mar-
» ciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gen-
» tiles, Gnostici, cæterique, quorum ille blasphemias
» multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut qui-
» busdam fulminibus, evertit.... Et tamen hic quoquè,
» post hæc omnia, hic, inquàm, Tertullianus, catho-
» lici dogmatis, id est, universalis ac vetustæ fidei pa-
» rùm tenax, ac disertior, multò quàm fidelior. » (*S. Vinc. Lir. Comment.* 1.)

Non mirum igitur, quod illum *omnium Ecclesiarum sermone celebrari* testetur Eusebius; (*Chronic.*) quòd B. Cyprianus *ne unam quidem diem absque Tertulliani lectione prœterierit, crebrò notario dicens : da magistrum;* quo nomine *Tertullianum significare intendebat;* (Hiero. catal.) quòd mirans S. Hieronymus inclamaverit : *Quid Tertulliano eruditius ? Quid acutius ?* (Epist. 83. ad Magn.) Quòd deniquè Augustinus ipse *multa legi opuscula eloquentissimè ab illo scripta* libenter profiteatur : Quamquàm cum Lactantio (*Inst.* 5. 1.) post Hieronymum (*Epist. ad Paulinum.*) dici possit, *in loquendo parùm facilis, et minùs comptus et multùm obscurus.*

Nihil igitur junioribus maximè scriptoribus qui cogitationibus egentes, verbis nimiùm luxuriari solent, utilius excogitari potest, quàm Tertulliani operum lectio, qui verborum parcior, multiplici cogitationum pondere gravis semper incedit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Potior Tertulliani editio ea est quæ prodiit an. 1634 et 1641, studio *Rigalti.* Posterior magis commendatur; quæ tamen ut perfecta sit, addendum est volumen notarum an. 1635 *Parisiis* excusum in-fol., quamquàm notæ

» circumscribit ; » (*Euseb. Hist.* 6. 22.) 6.° fragmentum libri *contra Platonem*, vel *de omni* ; 7.° de *charismatibus apostolica traditio*, quæ adhuc superstes in octavo constitutionum Apostolicarum libro legi creditur.

Hippoliti ingenium sublimitate pollet, et mansuetudine delectat ; argumenta solida, probatæ cogitationes, simplex et obvium dicendi genus. Undè non immeritò à Theodoreto, *spiritalium fontium fluenta* ministrare ; (*Dialog.* 3.) à Chrysostomo inter *chorum Episcoporum et Doctorum, qui tanquàm luminaria in mundo resplenduerunt, suavissimus et benevolentissimus consedere* ; (Orat. 41.) ab Anastasio autem *sacratissimus et magnus Doctor, veritatisque testis fidelis, concorditer cum aliis omnibus Sanctis catholicæ Dei ac apostolicæ Ecclesiæ, fidei integritatem confiteri prædicatur.* (In collect. Sirmundi, tom. 3. pag. 290.) Hinc ab Hieronymo *vir disertissimus*, (Epist. 28. àd Lucian.) à martyrologioque Romano *eruditione clarissimus* celebratus est. (*Martyr. Rom.* 22. *August.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Unica elaborata est à *Fabricio* completa S. Hippoliti operum editio, quæ lucem vidit *Hamburgæ* duobus voluminibus in-fol., quorum prius anno 1716, posterius verò anno 1718 emissum est in publicum.

Gallica versio nullibi reperitur.

§ V.

Origenes, *an.* 253.

GRÆCUS.

Origenes, aliter *Adamantius*, vel etiam *Calcenterus* (Hieron. epist. 18), Alexandriæ natus est circa annum

Christi 185. A patre Leonidâ ità junior in fide Christi est eruditus, ut non liberalium modò disciplinarum, sed sacræ imprimìs Scripturæ, cujus aliqua quotidiè testimonia memoriæ commendabat, studio sedulus incumberet. Nec legere, nec ediscere contentus, abstrusiores divinorum oraculorum sensus pervadere contendebat, patremque sæpiùs quæstionibus fatigatum interrogando obmutescere coëgisset, nisi hìnc ille nascenti perspicaciâ lætus, indè futurâ fortè superbiâ territus, supra captum ætatis extollentem se animum objurgando potiùs reprimere, quàm respondendo citiùs illuminare prudenter instituisset. « Clàm » tamen, ut ait Eusebius, apud se singulari gaudio per» fusus, Deo bonorum omnium auctori gratias agebat » maximas, quòd se talis filii parentem efficere dignatus » fuisset. Ac sæpenumerò dormientis pueri cubiculum » ingressus, pectus ejus nudâsse dicitur, et velut quod» dam divini Spiritûs sacrarium religiosè illud deosculà» tus, semetipsum beatum ejusmodi prole prædicâsse. » (*Euseb. Hist.* 6. 2.) » Hinc S. Hieronymus, licèt Origeni infensus, *magnum* hunc *ab infantiâ virum* extitisse fateri compellitur. (*Epist.* 75. *ad Pammach.*)

Ætate paulò provectior celebri Ammonio philosophiæ, docto autem S. Clemente Alexandrino theologiæ magistro usus est. Vix sextum aut septimum supra decem annum attigerat, cùm exoriri cœpit Alexandriæ persecutio, anno Septimii Severi decimo, Christi autem 202. Detento patre, et in carcerem propter fidei defensionem detruso, martyrii desiderio flagrans, persecutoribus semetipsum objicere ardebat; cùm autem, celatis etiam vestibus, mater obstaret, exhortatorias ad patrem epistolas conscripsit, in quibus hæc inter alia dicebat : « Cave, mi Pater, ne causâ nostrâ » sententiam mutes. (*Euseb.* 6. 2.) » Quibus filii consiliis incitatus Leonidas, martyrium non ità multò pòst, ob-

truncato capite, consummavit. Indè patris facultates in fiscum principis inferuntur; remanet alenda cum junioribus fratribus mater; urget egestas. Alexandrina autem matrona, vel merito allecta, vel miserta paupertatem, illum donis adjutum intra domum etiam recipit. Hic famosum Antiochensem hæreticum nactus, qui ab eâdem in filium adoptatus publicas habere non timebat collationes, nunquàm cum illo, disciplinæ ecclesiasticæ memor, orationis ministerium communicare voluit. Imò ut ejus matronæ donis ampliùs non indigeret, ità humanioribus studiis operam dedit, ut brevi grammatices edocendæ capax effectus, indè victum sibimetipsi suppeditare prævaleret.

Discedente propter persecutionis metum S. Clemente, 18 annos natus, ad catechistæ munus à Demetrio Alexandrino antistite assumptus est, librosque omnes profanos eâ conditione vendidit, ut quatuor obolos quotidianos in vitæ subsidium reciperet. Austero laboriosoque vivendi generi hæc modica sufficiebant, crescentibusque virtutum insignibus crescebat et numerus discipulorum, quorum etiam plurimi martyrii coronâ decorati sunt; nec multùm abfuit quominùs et ipse, à paganis sæpiùs exagitatus, eamdem martyr palmam assequeretur. In hoc autem deliquisse fatentur omnes, quòd, cùm nimio castitatis abriperetur amore, et Christi spiritale verbum naturali sensu perperàm acciperet, *eunuchus* fieri voluerit *propter regnum Cœlorum*. (Matth. 19. 12.)

Diffundebatur intereà hùc et illùc Origenis nomen, quod, emisso *Tetraplorum* opere, clarius adhùc evasit. Alexandriam undiquè doctissimi viri Origenem invisuri confluebant. Româ primùm, deindè Arabiâ peragratis, instante bello, Cæsaream Palestinæ devenit, ubi rogatus ab episcopis, docendi publicè in ecclesiâ populi officium

aggressus est. A Demetrio, qui laïcum coram episcopis concionantem ægrè ferebat, Alexandriam revocatus, Antiochiamque citò à Juliâ Mammæâ Alexandri Severi matre arcessitus, et Alexandriam iterum redux, ibique aliquantulùm commoratus, cùm Achaïam, acceptis ab antistite commendatitiis epistolis, perlustraret, sacerdos à Palestinæ episcopis anno ætatis 45, Christi 230 consecratus est. Hinc odio Demetrii Alexandriâ pulsus, conciliòque Ægyptiorum episcoporum à Sacerdotio dejectus, imò et *congregato* Romæ *senatu* similiter damnatus (*Hier. Epist.* 29. *ad Paul.*) Cæsaream iterùm se recepit, ubi à Theoctisto ejus civitatis pontifice, et ab Alexandro Hierosolymitano ità exceptus est, ut et ipsi illum publicè docentem tanquàm magistrum suspicerent, et inter ejus discipulos Gregorius Thaumaturgus numerari gloriaretur.

Recrudescente sub Maximino persecutione, an. Christi 235, Athenis primùm, deindè Cæsareæ in Cappadociâ delituit. Tribus circiter post hoc annis, Gordiano juniore imperante, Beryllum Bostrorum in Arabiâ episcopum, circà Christi personam, quam ante Incarnationem non exstitisse contendebat, errantem, habitâ collatione, in veritatis viam reduxit; quâ iterùm propugnatâ, Philippo regnante, in episcoporum conventu, recitatisque diù quotidianis ad populum concionibus, cùm etiam, ut refert Hieronymus, epistolam ad summum pontificem Fabianum rescripsisset, sub Decio captus, catenasque, et carcerem, et varia tormenta constanter perpessus, posteà verò libertati redditus, desinente Galli imperio in pace defunctus est, anno Christi 253, ætatis verò 69.

Plura circa Origenem expendenda occurrunt: nempè 1.° quæ fuerit ejus in docendo methodus; 2.° qualia ediderit opera; 3.° quid de ejus erroribus sentiendum;

4.° quid sperandum de æternâ salute; 5.° quid de ingenio cogitandum; 6.° quibus laudibus ab antiquis donatus sit.

I.° Quidem docendi methodum sic exposuit diuturnus Origenis auditor S. Gregorius Thaumaturgus; ità quomodò ipse cum Athenodoro fratre fuerit ad doctrinam simul et pietatem informatus enarrans : « Ille tanquàm si bonùs » quispiam agricola terram vacuam atque otiosam, eam- » que nec fertilem prorsùs, sed salsuginosam et adustam, » saxisque et arenâ obsitam, aut non planè quidem ste- » rilem, nec inertem, sed naturâ præstante, verùm in- » cultam atque neglectam, spinis hærentem, silvestribus- » que dumetis, ac minimè tractabilem *accipiat*.... Quasi » rusticâ quâdam arte suâ lustrans ac penitùs introspi- » ciens... altiùsque effodiens et intima pertentans; inter- » rogans, et proponens, respondentesque audiens... Tùm » subigere, invertere, irrigare, omnia movere, omnem » adhibere artem suam ac curam, sedulòque exercere » nos cœpit. Spinas quidem ac tribulos et genus omne » agrestium herbarum atque stirpium, quotquot luxurians » et sylvescens, utpotè incomposita et præceps, anima » nostra turbida profundebat, penitùs resecans ac de- » trahens, reprehendendo, prohibendoque: nunc Socra- » tico more, scitèque admodùm nos perstringens: nunc » etiam oratione suâ prosternens, sicubi nos fræno re- » luctantes, tanquàm feros quosdam equos, extra viam » exilientes ac temerè circumcursantes videbat; quoad » persuasione quâdam atque necessitate, velut fræno, suo » nos sermone quietos, sibique obsequentes reddidit. » (*Orat. in Origen.*) Ut verò eos ità ritè ad excipiendos veritatis sermones præparavit, *logicam* primùm, deindè *dialecticam*, *physicam* quoquè et *mathematicam* disciplinam illos edocere curavit. Quod verò omnium est multò maximum, divinas animæ virtutes, non verbis tantùm, sed

et exemplo mentibus inserebat, quibus fusè enumeratis ità pergit B. Gregorius: « Præter cæteram verò industriam » ac studium, illud, quo in theologiæ doctrinâ et reve- » rentiâ nobis instituendis est usus, quibus verbis eloqui » possim, aut ipsos viri sensus penetrare, quo consilio et » apparatu omnes de Deo sermones atque sententias edis- » cere nos vellet? Sedulò cavens ne uspiàm in re omnium » necessariâ, hoc est, in primæ omnium causæ cogni- » tione periclitaremur... Ipse autem simul incedens præi- » bat, manuque ducens tanquàm in viâ, si quid usquàm » flexuosum occurreret, aut infidum et ad fraudem com- » positum, velut peritus artifex, cui è longo usu atque » exercitatione philosophandi nihil insolens sit nec inex- » pertum, et sublimis ipse in tuto manet, ac manum aliis » porrigens, veluti qui demergantur extrahens servat: » ità quidquid apud singulos philosophos utile ac verum » erat deligens nobisque apponens, quæ verò falsa secer- » nens, tùm alia, tùm maximè quæ hominum propria » sunt ad pietatem. » Hæc de Origenis methodo præci- pua S. Gregorius Thaumaturgus. (*Ibid.*)

II.° Innumera confecerat scripta, quorum Eusebius et Hieronymus catalogum nunc amissum contexerant. Hæc nunc celebriora supersunt, 1.° *Periarchôn*, sive de *Principiis* liber, qui multis à Rufino curis in latinum sermonem versus et emendatus, pluribus tamen gravissimis contra Ecclesiæ doctrinam præsertìmque sanctæ Trinitatis fidem pravè excogitatis scaturire videtur; 2.° *De exhortatione martyrii* liber, quo captivos Christi ad patientiam virtutemque incitat: 3.° *Epistola ad Africanum*, quâ de quibusdam circa Scripturam quæstionibus, ac præsertìm de historiâ Susannæ, Belis et draconis quasi transeundo disserit; 4.° tota Scriptura sex ordinibus disposita, quod ἑξαπλα, latinè *Hexapla* vocavit, quorum ordinum primo

continebatur lectio hebraïca hebraïcis litteris, secundò eadem hebraïco quidem sermone, sed litteris græcis; cæteris autem græco sermone et litteris græcis, tùm Aquilæ, tùm Symmachi, tùm Septuaginta Interpretum, tùm Theodotionis versiones; quibus duæ insuper adjunctæ græcæ versiones nuper inventæ, sed incertis auctoribus, ὀκτάπλα, ut aiunt, latinè *Octapla* informârunt; quarum potior, Origene teste, illa à Septuaginta interpretata lectio, ideòque medios inter ordines posita, ut cæteræ illâ faciliùs possint emendari; 5.° celebres illi, quorum excerpta tantùm supersunt, in Scripturam Sacram *commentarii*, quibus libros omnes, omniumque librorum partes, modò scholiis brevibus ad difficiliora loca explananda, deindè fusioribus ad enucleandas quæstiones dissertationibus, simplicibus tandem ad populi mores informandos homiliis, doctè simùl et piè explicare curavit; 6.° *mille* quarum plurimæ etiamnùm leguntur, ad plebem Christianam *orationes*, à notariis, dùm extemplò loqueretur, litteris mandatæ, posteà verò à Symmacho vel Hieronymo latinæ liberiùs linguæ accommodatæ; 7.° *Tractatus de oratione;* 8.° Deniquè *Tractatus contra Celsum*, quo Tertulliani coævus simùl et æmulus non impar, tantâ sivè christianâ sivè profanâ doctrinâ, tàm validis invictisque argumentorum momentis, tàm ardenti nitidoque sermone religionis propugnator adversarium et percellit, et urget, ut nihil tàm ingeniosum, quod non refellat, nihil tàm subtile, quod non expediat, nihil tàm dolosum, quod non resolvat, callidus hostis prætermiserit; felix quidem ingenio, virtute verò felicior, si *caritatem* quæ humilitate *ædificat*, magis quàm *scientia* quæ superbia *inflat*, (1. Corinth. 8. 1.) fideliter sectatus, adversantia Ecclesiæ paci salutique animarum semina, sivè volens, sivè nolens, post mortem etiam propaganda non reliquisset.

III.° Plures enim illi exprobrantur errores; 1.° quidem circa ejus de Trinitate doctrinam scinduntur antiqui Patres, alii catholicam, hæreticam alii fuisse contendentes; si quid autem inter tales dijudicandum liceret, dicendum videretur, plurima reperiri, quæ dura sonant, personarumque æqualitati detrahere penè crederentur, sed quæ tamen qualemcumque possunt benignam interpretationem admittere; 2.° non ità verò de ejus circa creaturas doctrinâ; certum est enim illum docere materiam ab æterno fuisse creatam, plures jam extitisse orbes, pluresque adhùc probabiliter extituros; spiritus autem quosdam, perfectè pares et corporibus immunes, fuisse primùm à Deo confectos, qui, in diversa peccata lapsi, secundùm diversorum peccatorum gravitatem diversis fuerunt corporibus addicti, ità ut in homines, vel astra, vel angelos, pœnaliter transmutati nunc appareant. Angelos enim subtilioribus corporibus donatos, astra verò tanquàm splendidiores carceres animabus, quæ leviores culpas admiserunt, habitata effingere non dubitavit; imò et mentem illam quæ ab initio perfectissimâ caritate Creatori adhæsit, perfectissimâ eâdemque indissolubili societate Deo conjungi promeruisse, quæ est anima Christi. Quemadmodùm autem, juxtà illum, Beatorum mentes possunt ab innocentiâ, et felicitate detrudi, ità et dæmon ipse aliquandò Dei misericordiam, destructâ pravâ voluntate, obtinere gaudebit; quod tamen non nisi post multa secula fiet, cùm everso præsenti orbe, plures alii sint divinâ potentiâ informandi, ne iners unquàm et otiosa remaneat; 3.° in hoc etiam inculpatur, quòd liberum hominis arbitrium gratiâ Dei vix indigere supponat; quòd homines ità perfectos fieri posse excogitet, ut non à peccatis tantùm, sed ab ipsis tentationibus immunes evadant; quòd peccata, accepto Spiritu Sancto perpetrata, non ultrà remitti posse

affirmet; quòd de originali peccato quasi dubitando loquatur; quòd deniquè ignem infernum nihil aliud esse quàm conscientiæ reatum, damnatorumque pœnas non fore æternas, contra communem Ecclesiæ doctrinam, sæpiùs ingerat. Adde quòd in interpretatione Scripturarum allegoriis nimiùm indulgeat, et omnium ferè Origeni objectorum seriem uno intuitu perspicies.

Non desunt tamen qui illius defendendi curam susceperint, et illi quidem tres excusationes afferunt; 1.° quidem notandum volunt plura esse ab hæreticis, qui sub magni nominis umbrâ decertare gaudebant, fraudulenter submissa, ut ipse vivus adhuc, Rufino teste, (*de adulter. lib.* 2.) in epistolâ ad amicos conquestus est; 2.° quæ philosophorum, Platonicorum præsertìm, et quandoquè forsàn hæreticorum placitis consentanea viderentur, ab illo quasi dubitando fuisse proposita, undè et Athanasius de synodi Nicenæ decretis distinguit inter ea quæ Origenes scripsit ζητῶν et γυμνάζων, et quæ ὡς αὐτὸς φρονῶν ὁρίζων. Quin et ipse Origeni infensus Hieronymus hæc dicere sustinuit : « Damnatur à Demetrio episcopo, ex» ceptis Palestinæ et Arabiæ et Phœnicis atque Achaïæ » sacerdotibus. In damnationem ejus consentit Urbs Ro» mana; ipsa contra hunc cogit senatum, non propter » dogmatum novitatem, non propter hæresim, ut nunc » adversùs eum rabidi canes simulant, sed quia gloriam » eloquentiæ ejus et scientiæ ferre non poterant, et, illo » dicente, omnes muti putabantur. » (*Hier. epist.* 29. *ad Paul.*) 3.° Si quæ tandem peccaverit, illa abundè fuisse expiata tùm laboribus quos pro Ecclesiâ suscepit, tùm suppliciis quæ pro Christo perpessus est, tùm pœnitentiâ, quam, scriptis ad Fabianum epistolis, pro seipso subire potuit.

IV.° Undè illis magis placet *Joan. Dallæi* modestia

benè de illius salute sperantis, nec audentis eum æternis addicere suppliciis, quanquàm 1.° magnam vitæ partem extra plurimorum episcoporum et quidem catholicorum communionem produxerit; 2.° depositus ab illis et ab ipso Romano pontifice sacra ministeria subire non timuerit; 3.° scripta ejus fuerint in concilio constantinopolitano II, generali V, damnata; 4.° deniquè defensor ejus Joan. Picus, Mirandulæ comes, à censoribus olim notatus fuerit, ac si temerarium aliquid ac hæresim sapiens statuisset dicens, *rationabilius esse credere Origenem esse salvum, quàm credere ipsum esse damnatum.* Quod quidem judicium, quanquàm aliundè non contemnendum, liceat paulò severius habere, credatque qui voluerit, illum vel non tàm graviter deliquisse, vel graviter perpetrata pœnitentiâ et tormentis diluisse, quamvis de ejus salute magnus ambigendi locus adhùc permaneat.

V.° Certiora autem, et feliciora simul de illius ingenio dicenda; ingenium enim altum, et subtile et perspicax, et imaginandi virtute stupendum; nimis fortè in eviscerandis, ut ità dicam, rebus ineptum; nemo unquàm faciliùs dicenda invenire, nemo inventa faciliùs dicere prævaluit; undè nec in inventis satis cautus, nec in dictis politus satis deprehenditur: memoriâ potens; memoriâ, cui plus æquo sæpè indulgebat, non semel delusus; eruditione insignis, philosophiæque præsertim Platonicæ magis quàm Christianum decet addictus; omni humaniore disciplinâ excultus; omni historiæ fabularumque cognitione informatus; omni scripturæ sacræ, quam totam memoriæ commendârat, ubertate ditatus; omni tandem ità scientiarum genere plenus, ut de quâcumque disserat, hanc unam didicisse videatur.

VI.° Hìnc, expugnatâ ejus doctrinâ, omnes sivè amici, sivè adversarii, ingenium laudibus extulerunt. Hìnc, Atha-

nasio judice, θαυμαστος και φιλοπονωτατος, id est, *admirabilis* et *laboriosus* scriptor prædicandus est; hinc Hieronymus : « Origenem, inquit, post Apostolos, Ecclesiarum » magistrum nemo nisi imperitus negat. » (*Præf. de Nom. Hebr.* Et alibi : « Vellem cum invidiâ nominis ejus habere » etiam scientiam Scripturarum. » (*Proœm. Tradit. Hebr.*) Et rursùm : « Quis nostrûm tanta potest legere, » quanta ille conscripsit? Quis ardentem in Scripturis » animum non miretur? Quòd si quis Judas Zelotes opposuerit nobis errores ejus, audiat liberè :

» .... Interdùm magnus dormitat Homerus,
» Verùm operi longo fas est obrepere somnum.

» Non imitemur ejus vitia cujus virtutes non possumus » sequi. (*Ep. 41. ad Pammach.*) Undè illud de immortali » ejus ingenio non tacebo, quod dialecticam quoquè et geo- » metriam, et arithmeticam, musicam, rhetoricam et gram- » maticam, omniumque philosophorum sectas ità didicit, » ut studiosos quoquè litterarum secularium sectatores ha- » beret, et interpretaretur eis quotidiè, concursusque ad » eum miri fierent; quos ille propterea recipiebat, ut sub » occasione secularis litteraturæ in fide Christi eos insti- » tueret.... (*De Script. Eccl.* 54.) Græcia tota in illo » mirata est quòd in paucis non dicam mensibus, sed » diebus, ità hebraicæ linguæ vicisset difficultates, ut in » discendis canendisque psalmis cum matre contenderet. » (*Epist.* 22. *ad Paul.*)

Longiùs etiam progreditur Vincentius Lirinensis, cujus hæc sunt verba : « Si vita facit auctoritatem, magna illi » industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si » genus vel eruditio, quid eo nobilius qui primùm in eâ » domo natus est, quæ est illustrata martyrio? Deindè » pro Christo non solùm patre, sed omni quoquè facul-

» tate privatus, tantùm inter sanctæ paupertatis profecit
» angustias, ut pro nomine dominicæ confessionis sæ-
» piùs, ut ferunt, affligeretur: neque verò hæc in illo sola
» erant, quæ cuncta posteà tentationis forent, sed tanta
» etiam vis ingenii tàm profundi, tàm acris, tàm elegan-
» tis, ut omnes penè multùm longèque superaret: tanta
» doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca
» forent divinæ, penè fortassè nulla humanæ philosophiæ,
» quæ non penitùs assequeretur: cujus scientiæ cùm
» græca concederent, hebræa quoque elaborata sunt. Elo-
» quentiam verò quid memorem? Cujus fuit tam amœna,
» tàm lactea, tàm dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius
» non tàm verba, quàm mella quædam fluxisse videantur.
» Quæ non ille persuasu difficilia disputandi viribus elim-
» pidavit? Quæ factu ardua, non ut facillima viderentur,
» effecit? Sed forsitan argumentorum tantùmmodò nexi-
» bus assertiones suas texuit? Imo planè nemo unquàm
» magistrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur
» exemplis. Sed credo pauca conscripsit? Nemo mortalium
» plura; ut mihi sua omnia non solùm non perlegi, sed
» ne inveniri quidem posse videantur. » (*Commonit.*)
Imò ejus opera tanti ponderis ab eruditissimis doctoribus habita sunt, ut Basilius ipse et Gregorius Nazianzenus congregandis ejusdem sententiis navarent operam, collectionemque *Philocalia* dictam in publicum emitterent.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè, omnia quæ hâc linguâ exstant Origenis excerpta collecta fuêre à doctissimo viro *Huetio* et *Rothomagi* excusa an. 1668, 2 vol. in-fol. Eadem posthàc *Parisiis*, an. 1679, et *Francofurti*, an. 1685 recusa sunt.

Latinè studio *Gilberti Genebrardi* plurima prodierant

Origenis opera primùm an. 1574, *Parisiis*, deindè ibidem annis 1604 et 1619, ac deindè an. 1620 *Basileæ*. Nonnulla tamen in istis editionibus desiderantur.

Græcè et *latinè* omnia demùm excusa sunt Origenis scripta, curantibus *Carolo* et *Vincentio de la Rue*, Benedictinis, ab an. 1739 *ad* 1759, *Paris.* 4 vol. in-fol.

GALLICÆ VERSIONES.

Gallicæ fidei reddita sunt :

1.° *Opus contra Celsum*, ex elaboratissimâ *Heliæ Boherelli* interpretatione, *Amstelodami*, an. 1700, in-4.°.

2.° Homiliæ quædam Origenis et aliorum Patrum in gallicum sermonem versæ à D. *Deloyac* in opere cui titulus : *Bibliotheca sacra*, *Parisiis*, an. 1634, in-4.°.

§ VI.

Sanctus Cyprianus, an. 258.

LATINUS.

Cyprianus, vir magni ingenii, philosophiâ excultus, bonis imbutus litteris, præsertìmque eloquentiâ, cujus leges diutiùs magister publicè exposuerat præstantissimus, parentibus illustribus quidem, sed ignotis, Carthagine natus est. « Illum pravis consuetudinibus deditum, » ad agnitionem veræ divinitatis à seculari errore correxit Cæcilius, et ætate tunc, et honore præsbyter, » quem toto honore atque omni observantiâ diligebat, » obsequenti veneratione suspiciens non jam ut amicum » animæ coæqualem, sed tanquàm novæ vitæ parentem. » (*Pont. de vitâ Cyprian. n.°* 4.) Hìnc Cæcilii nomen

Thascii nomini, quo jam vocabatur, adjunxit, itå ut diceretur *Thascius Cæcilius Cyprianus*. Quantis verò internis quasi certaminibus primùm impugnata fuerit ejus ad Deum conversio, quantis autem posteà remunerata deliciis ipse ad Donatum scribens his verbis exprimere conatus est: « Ego cùm in tenebris, atque in nocte cæcâ
» jacerem; cùmque in cœno jactantis seculi nutabundus
» ac dubius, vestigiis oberrantibus fluctuarem; vitæ meæ
» nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsùs ac
» durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salu-
» tem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis re-
» nasci denuò posset, utque in novam vitam lavacro
» aquæ salutaris animatus, quod priùs fuerat exponeret,
» et corporis licèt manente compage hominem animo ac
» mente mutaret. Qui possibilis, aiebam, est tanta con-
» versiò, ut repentè ac pertinaciter exuatur, quod vel
» genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpa-
» tum diù senio vetustatis invaluit? Altâ hæc et profundâ
» penitùs radice sederunt. Quandò parcimoniam discit,
» qui epularibus cœnis et largis dapibus assuevit? Et qui
» pretiosâ veste conspicuus in auro atque in purpurâ fulsit,
» ad plebeium se ac simplicem cultum quandò deponit?
» Fascibus ille oblectatus et honoribus, privatus et in-
» glorius esse non potest. Hic stipatus clientium cuneis,
» frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœ-
» nam putat esse, cùm solus est. Tenacibus semper ille-
» cebris necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflet
» superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet,
» crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet.
» Hæc egomet sæpè mecum: nam ut ipse quàm plurimis
» vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui
» me posse non crederem, sic vitiis adhærentibus obse-
» cundans eram, et desperatione meliorum malis meis

» veluti jam propriis ac vernaculis favebam. Sed post-
» quàm undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersâ,
» in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infu-
» dit; postquàm cœlitùs Spiritu hausto in novum me ho-
» minem nativitas secunda reparavit, mirum in modum
» protinùs confirmare se dubia, patere clausa, lucere te-
» nebrosa, facultatem dare quod priùs difficile videbatur,
» geri posse quod impossibile putabatur esse, agnoscere
» terrenum fuisse quod priùs carnaliter natum delictis
» obnoxium viveret, Dei esse cœpisse quod jam Spiritus
» Sanctus animaret. Scis ipse perfectò et pariter mecum
» ipse recognoscis quid detraxerit nobis mors ista crimi-
» num, vita virtutum. » (*Ad Donat. de grat. Dei, n.° 5.*)

Baptismo consecratus est, ut videtur, circa annum Christi 246. Ut autem se Deo magis devotum profiteretur, venditis quæ uberrima possidebat prædiis, nec servatis quidem, quibus juxta Carthaginem hortis fruebatur, pauperum simul pater, et pauper ipse Christi factus, *inter fidei suæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quàm si continentiam tueretur.* (Pont. Diac. c. 2.) Cùm de lectione divinâ quædam didicisset, statim rapiebat, quod promerendo Deo profuturum videbatur. Nullus inter sacros Doctores Tertulliano acceptior, quem sedulus revolvere et magistrum vocare solebat. (*Hieron. de Script. eccles.*)

Tanta brevì illius virtus enituit, ut *judicio Dei et plebis favore* (Pont. Diac. cap. 5.) ad officium sacerdotii, et non ità multò post ad episcopatûs gradum invitus reperetur, circa an. Christi 248. Exindè « quemadmodùm se
» gesserit, quis referre sufficiat? quæ illi pietas? qui vi-
» gor? misericordia quanta? quanta censura? tantum sanc-
» titatis et gratiæ ex ore ejus lucebat, ut confunderet in-
» tuentium mentes. Gravis vultus et lætus; nec severitas

» tristis, nec comitas nimia; sed admixta utrinque tem-
» peries, ut esset ambigere vereri plùs an diligi merere-
» tur..... Cyprianum de suo talem accepit cathedra, non
» fecit. » (*Ibid.* 6.)

Ingruente Decii persecutione, verbi divini memor, *cùm in unâ civitate persecuti vos fuerint, fugite in aliam,* (Matth. 10. 23.) SS. Dyonisii Alexandrini, Gregoriique Thaumaturgi exemplo, secessit in tutiorem locum, non mortis formidine, sed amore plebis, quam inter quotidianas mortis imminentis minas regere et docere non destitit.

Cùm, temperato persecutionis furore, in lucem iterùm prodire licuit, hinc Felicissimum fraudis, rapinarum, adulteriique reum, et à perdito viro Novato diaconum ordinatum; indè Fortunatum ab hæretico Privato Carthaginiensem pseudoantistitem consecratum; imò et Fortunatianum, qui in persecutione lapsus episcopalia munera nihilominùs obire volebat, ab Ecclesiæ communione depulsos, disciplinæ defensor intrepidus superare valuit; cui ut faceret satis plurima collegit concilia, quorum in primo reprobatus est Novatus, Sanctusque Cornelius legitimus Ecclesiæ Romanæ pontifex declaratus; in secundo plura de lapsis sancita fuerunt; in tertio denìquè valere collatum infantibus baptisma decretum est.

Duo posteriora celebrata leguntur à S. Cypriano de baptismo hæreticorum concilia, quæ à S. Stephano fuerunt reprobata. Circa enim an. 254 exorta inter catholicos pontifices magna quæstio omnium animos commovit, utrùm scilicet repetendum esset datum ab hæreticis baptisma. Affirmabat inter primos Cyprianus qui rebaptizandi ab hæreticis baptizatos morem ab Aggrippino prædecessore, *contra divinum canonem*, ut ait Vincentius Lirinensis, *contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra institutionem*

majorum, (Common. 1. 9.) pravè inventum et introductum acceperat; stabat cum illo S. Dionysius Alexandrinus, pluresque alii non mediocris auctoritatis antistites, qui speciosis delusi argumentis potiùs quàm Ecclesiarum traditioni inhærebant; stabat ex adverso Romanæ Ecclesiæ pontifex Stephanus, qui reluctantes memorabili semper effato confutabat : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est. Vicit* autem, ut Augustini verbis utar, *vicit pax Christi in cordibus eorum*, ne unitas Ecclesiæ scinderetur. Si quis autem Cypriani animæ sanctæ candorem nævus ob hunc errorem affecerit; si quid, juxta ejusdem Doctoris effatum, *iratus et paulò commotior in Stephanum deliquerit*, statim *à caritatis uberibus contectum fuisse credendum est*, utpotè *quem falx passionis purgaverit, et compensaverit caritatis ubertas. Imò quamvis correxisse sententiam non inveniatur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quòd correxerit, et fortassè suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt.* (S. Aug. Epist. 93. n.° 38.)

Post tot verò martyres quos ad cœlos præmiserat Cyprianus, et ipse tandem glorioso martyrio coronatus est. « Præcesserat, inquit Augustinus, Cyprianum multi martyres, quos flagrantissimis exhortationibus suis ad vincendum diabolum accenderat : et erat utiquè justum ut quos veridicus loquendo præmiserat, patiendo intrepidus sequeretur. » (*Serm.* 309.)

Renascente enim, Valeriano et Gallieno imperantibus, persecutione, Cyprianus episcopus, coram Paterno proconsule captus sistitur, quo exquirente de nomine respondit : « Christianus sum, et Episcopus. Nullos alios deos » novi, nisi unum et verum Deum, qui fecit cœlum et » terram, et quæ sunt in eis omnia. Huic Deo nos chris-

» tiani deservimus : hunc deprecamur diebus ac noctibus,
» pro nobis et pro omnibus hominibus et pro incolumi-
» tate ipsorum imperatorum. Paternus proconsul dixit :
» In hâc ergò voluntate perseveras ? Cyprianus episcopus
» respondit : Bona voluntas quæ Deum novit, immutari
» non potest. Paternus proconsul dixit : Poteris ergò se-
» cundùm præceptum Valeriani et Gallieni exsul ad urbem
» Curubitanam proficisci ? Cyprianus episcopus dixit :
» Proficiscor.... Paternus proconsul dixit : Si quis *impe-*
» *ratorum* salubre præceptum non observaverit, capite
» plectetur. Cyprianus episcopus respondit : Fac quod
» tibi præceptum est. Tunc Paternus proconsul jussit
» B. Cyprianum episcopum in exilium deportari. Cùm-
» que diù ibidem moraretur successit Aspasio Paterno
» proconsuli Galerius Maximus proconsul, qui S. Cy-
» prianum episcopum ab exilio revocatum sibi jussit præ-
» sentari;.... cùmque oblatus fuisset, Galerius Maximus
» proconsul Cypriano episcopo dixit : Tu es Thascius Cy-
» prianus ? Cyprianus episcopus respondit : Ego sum. Ga-
» lerius Maximus proconsul dixit : Tu papam te sacrilegæ
» mentis hominibus præbuisti ? Cyprianus episcopus res-
» pondit : Ego. Galerius Maximus proconsul dixit : Jus-
» serunt te sacratissimi imperatores cæremoniari. Cy-
» prianus episcopus dixit : Non facio. Galerius Maximus
» ait : Consule tibi. Cyprianus episcopus dixit : Fac quod
» tibi præceptum est ; in re tam justâ nulla est consul-
» tatio..... Tunc Galerius decretum ex tabellâ recitavit :
» Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cy-
» prianus episcopus dixit : Deo gratias. »

Sic martyrium consummavit B. Cyprianus, qui, juxta Pacianum Barcinonensem episcopum, « in concordiâ
» omnium, in pace communi, in confessorum grege pas-
» sus est ; et sæpè confessus, iteratis persecutionibus, et

» multâ laceratione vexatus, et novissimè salutari calice » propinatus est. » (*Pacian. Epist.* 2. *ad Sympron.*)

Qui vivens Ecclesiæ profuerat, et moriens Ecclesiam fœcundavit, defunctus etiam multis mirabilibus scriptis totum irradiavit orbem christianum. Hanc autem ab eo scripta nobis adhùc legere datur: 1.° Librum de *idolorum vanitate*, de quo ità B. Hieronymus : « Cyprianus quòd » idola dii non sint, quâ brevitate, quâ historiarum om- » nium scientiâ, quorum verborum et sensuum splen- » dore perstrinxit. » (*Epistol.* 83. *ad Magnum.*) 2.° De » *testimoniis*, qui non Africanis tantùm, verùm et Orien- » talibus Ecclesiis, famâ prædicante, et scripta ejus » longè latèque diffundente, *tempore jam Beati Augus-* » *tini*, nôtissimus evaserat. » (*Aug. contra duas epist. Pelagian. lib.* 4. *c.* 8. *n.*° 21.) 3.° De *habitu virginum*, quem B. Hieronymus *egregium* esse *volumen* testatus est. (*Epist.* 97 *ad Demetriad.*) 4.° De *unitate Ecclesiæ*, quam ità præsertim inter plurima alia præclarè dicta asserit et vindicat : « Ecclesia, inquit, una est, quæ in » multitudinem latiùs incremento extenditur; quomodò » solis radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, » sed robur unum tenaci radice fundatum; et cùm de » fonte uno rivi plurimi defluunt,.... unitas tamen serva- » tur in origine. Avelle radium solis à corpore, divisio- » nem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, » fractus germinare non poterit; à fonte præcide rivum, » præcisus arescet. Sic Ecclesia Domini luce perfusa, per » orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen » est, quod ubique diffunditur, ... unum caput est et » origo una, et una mater fœcundis successibus copiosa.» Et alibi : « Non pervenit ad Christi præmia, qui relinquit » Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. » Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam

» non habet matrem...... Tales etiamsi occisi in confes-
» sione nominis *Christi* fuerint, macula ista nec san-
» guine abluitur....... Ardeant licèt flammis, et ignibus
» traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit
» illa *mors*, fidei corona, sed pœna perfidiæ. Occidi talis
» potest, coronari non potest. » 5.° De *lapsis*, cujus plurima in testimonium verba ad Hilarium, (*Epist.* 57.) et ad Bonifacium, (*Epist.* 98.) scribens S. Augustinus refert. 6.° De *oratione dominicâ*, de quo ità idem Augustinus ad Valentinum : « Admoneo caritatem vestram, et
» multùm exhortor, ut beati Cypriani librum quem scripsit
» de oratione dominicâ diligenter legatis, et quantùm vos
» Dominus adjuverit intelligatis memoriæque mandatis. »
(*Lib. de libero arbitr. c.* 13.) 7.° De *mortalitate*, « Librum,
» ut idem ait Augustinus, multis ac penè omnibus qui
» Ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter notum..» (*De Prædest. Sanct. c.* 14.) 8.° *Exhortationem ad martyrium*, quâ martyres ad patientiam auctor idem et exemplar accendit. 9.° *Contra Demetrianum*, quem ità confutat, ut Ecclesiam ab ejus calumniis vindicet. 10.° De *eleemosynâ*, quo *grandi volumine, quantas vires habeat eleemosyna et quibus donanda sit præmiis prosequitur.* (Hieron. Epist. 54. ad Pammach.) 11.° De *bono patientiæ*, quem ad Bonifacium scribens iterùm laudat Augustinus. (*lib.* 4. *c.* 8. *et* 9.) 12.° De *zelo et livore*, quem *librum valdè optimum* Hieronymus vocat. (*lib.* 3. *in cap.* 4. *Epist. ad Galat.*) 13.° Plures circa fidem vel disciplinam epistolas, inter quas multæ iterùm deprehenduntur quæ baptisma repetendi falsam doctrinam sapiunt.

« Impossibile est, ut ait Cassiodorus, omninò com-
» plecti quantùm inter alios scriptores Ecclesiæ conferat
» B. Cyprianus. (*lib. divin. inst. cap.* 19.) Cujus reve-
» rendi episcopi et venerandi martyris laudibus nulla

» lingua sufficeret, nec si se ipse laudaret. (*S. August. Serm.* 313. *de S. Cypr.*)

Omnia enim ejus opera doctrinâ prosunt pariter, et suavitate placent, et argumentorum vi animos legentium subjiciunt. Præcipua religionis dogmata stabilire, integram Ecclesiæ disciplinam vindicare, immaculata Evangelicæ puritatis principia exponere, plurima deniquè passim Sanctarum Scripturarum testimonia explanare valuit.

Si quis autem voluerit ejus elocutionis dignitatem, efficaciam, et ubertatem meliùs cognoscere, audiat Lactantium dicentem : « Cyprianus magnam sibi gloriam ex artis » oratoriæ professione quæsierat, et admodùm multa con» scripit in suo genere admiranda. Erat enim ingenio » facili, copioso, suavi, et quæ sermonis maxima est » laus, aperto : ut discernere nequeas, utrùmne ornatior » in loquendo, an facilior in explicando, an promptior » in persuadendo fuerit. » (*Instit.* 5. 1.)

S. autem Hieronymus : « B. Cyprianum miratur, instar » fontis purissimi, dulcem et placidum incedentem, » (*Hieron. Epist. ad Paulam.*) in tantam gloriam venisse » eloquentiæ, (*Comment. in Jon.* 3.) ut *non solùm* ora» toriam doceret Carthagini, *sed iis commendaretur scrip*» *tis quorum* superfluum sit indicem texere, cùm sole cla» riora sint ejus opera. » (*de Script. Eccles.*)

Nec dissentit B. Augustinus, quo teste, *illum inter raros et paucos excellentissimæ gratiæ viros numerat pia mater Ecclesia ;* (lib. de Bapt. 6. 5.) de quo etiam præclarum illud canit encomium : « Magna itaque framea » Dei anima beatissimi Cypriani, splendida caritate, » acuta veritate, pugnantis Dei acta et vibrata virtute, » quæ bella confecit ! Quas contradicentium catervas » redarguendo superavit ! Quot percussit infensos ! Quot » prostravit adversos ! » (*Serm.* 313. *cap.* 5.) Et alibi :

« Magnus, inquit, orator Cyprianus....(*Tract. in Joan.*)
» cujus laudem consequi non valeo, cujus multis litteris mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector. » (*Epist.* 1. *contra Crescent.* 32.)

Neque sanè displicebit Maximi Taurinensis, et Cassiodori de eodem Cypriano judicium audire, cujus prior : « Fuit, inquit, in Cypriano, sicut compertum habemus, » et contra errores diaboli, spiritalis sapientiæ plenitudo; » et adversùm persecutiones mundi, Christiani pectoris » indefatigata constantia. Quis non hujusmodi virum, » quantis valet, encomiis prosequatur, cujus eloquentia » inspirata divinitùs, et Ecclesias docuit, et seculum » confutavit? Verè hic mirabilis, atque omnium ubiquè » studiis celebrandus, quem sanctitas sacerdotem, peri» tia doctorem, fides martyrem consecravit. *Pretiosa*, » inquit David, (*Psalm.* 115.) *in conspectu Domini mors* » *Sanctorum ejus.* Videte, Carissimi, in quantum vene» rabilis Cyprianus etiam Propheticam supergressus est » laudem, cujus in conspectu Domini, non solùm mors, » sed et vita exstitit pretiosa. Moriendo namque próprium » Christo sanguinem dedit, vivendo nihilominùs cohor» tatione fortissimâ innumeros cœlo martyres acquisivit. » Quid hoc clarius sacerdote, qui inter hominum turbas » gloriâ cœlestis conversationis emicuit, atque inter An» gelicos cœtus et suâ factus est, et aliorum morte con» spicuus. » Cassiodorus autem : « Beatissimus, ait, Cy» prianus velut oleum decurrens, in omnem suavitatem » lingua composita, declamator insignis, doctorque ad» mirabilis. Quantos enim ille dubitantes non pertulit » labi, lapsos verò firmissimâ prædicatione solidavit, con» fessores ad martyrium ipse perduxit? Et ne minor esset » prædicationibus suis, ipse quoquè martyrii coronâ, » Domino præstante, decoratus est. » (*Div. lect.* 19.)

Hæc omnia Cypriani encomia Prudentii carminibus absolvam, ità canentis :

« Incubat in Lybiâ sanguis, sed ubiquè lingua pollet ;
» Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit.
» Dùm genus esse hominum Christus sinet, et vigere
« mundum,
» Dùm liber ullus erit, dùm scrinia sacra litterarùm,
» Te leget omnis amans Christum, tua, Cypriane, discet.
» Spiritus ille Dei qui fluxerât auctor in prophetas
» Fontibus eloquii te cœlitùs actus irrigavit.»

Et inferiùs : (*Hymn.* 13.)

» Desinè flere bonum tantum : tenet ille regna cœli ;
» Nec minùs involitat terris, nec ab hoc recedit orbe :
» Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
» Nec Lybiæ tantùm populos regit, exitusque in ortum
» Solis ; et usquè obitum Gallos fovet ; imbuit Britannos,
» Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Iberis :
» Deniquè doctor humi est, idem quoquè martyr in su-
» pernis,
» Instruit hìc homines, illìc pia dona dat patronus. »

Multa etiam alia de S. Cypriano afferri possent testimonia, quæ brevitatis causâ prætereo. Scire sufficiat plurimos de illius festo ab antiquis patribus habitos fuisse sermones. Homilias duas de eo edidit Maximus Taurinensis, (*tom.* 5. *bibliothec. Patrum, edit. Colon.*) unam Petrus Chrysologus. De eodem sermonem egregium habuit S. Fulgentius Ruspensis episcopus : et ante hos omnes Gregorius Nazianzenus unam orationem, quæ scilicet est decima octava tomi 1, de eodem sancto martyre composuit. Verùm

in eâ illud est incommodi quod magnum Cyprianum confundat cum alio Cypriano, qui ex Mago Christianus factus, cum Justinâ virgine, quam veneficiis frustrà corrumpere tentaverat, martyrium Nicomediæ, sub Diocletiano, subiisse fertur. In eumdem scopulum impegisse videntur Prudentius in hymno de S. Cypriano, et alii nonnulli potissimùm è Græcis. Sed præ omnibus aliis in laudando Cypriano excelluit B. Augustinus, qui quinque sermones de illo ad populum habuit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Prodierat an. 1682, *Oxonii*, et 1700, *Parisiis* S. Cyprani operum ampla et accurata editio, nitidis typis commendanda, cum *Dodwelli* tredecim dissertationibus, in-fol Sed anno 1726 emissa est editio Benedictinorum, à *Bauzio* dudùm præparata, et typis regiis excusa, curante D. *Prudentio Marand*, cui omnes cedunt elaboratæ priùs editiones.

VERSIONES GALLICÆ.

Gallicè prodierunt :

1.° *Sermones* S. Cypriani ex interpretatione D. *de Belle Forest Parisiis*, an. 1565. in-8°.

2.° Opera Cypriani studio *Jacobi Tigeou*, *Angevini*, Metensis Canonici, *Parisiis*, an. 1574.

3.° Liber de *lapsis*, vertente *Simone Goularto* calvinistâ, paris. an. 1574.

4.° Tractatus de *oratione dominicâ, et de mortalitate*, curante D. *de Laval*, id est, ut creditur, Duce *De Luynes*, *Parisiis*, an. 1664.

5.° Tractatus de *pietatis operibus*, sivè de *Eleemosynâ*,

ad calcem secundi voluminis tractatûs de *Eleemosynâ* à D. *de Sancto Cyrano.*

6.° *Omnia* Sancti Doctoris *opera* ex versione *Lomberti* propter elegantiam commendanda, *Parisiis*, an. 1672, quæ *Rothomagi*, an. 1716 recusa est, in-4°.

7.° *Epistolæ ad Confessores*, auctore D. *Lenfant*, *Amstelodami*, in-12.

§ VII.

Sanctus Gregorius Thaumaturgus, seu Neocæsariensis, circa an. 270.

Græcus.

S. Gregorius, qui priùs *Theodorus*, à virtutis et doctrinæ præstantiâ *Magni*, à miraculis autem *Thaumaturgi* et *alterius Mosis* cognomine insignitus, nobilibus et opulentis parentibus Ethnicis natus est Neocæsareæ Ponti. Post obitum patris quatuordecim annorum juvenis jam aliquo Christianæ religionis amore cœpit allici; Rhetoricam autem ità curante matre didicit, ut futuræ eloquentiæ non minimam injiceret opinionem. Nec defuit etiam linguæ latinæ, quin et Romani juris studium, undè Berytum proficiendi desiderio petiit, unà cum Firmiliano patricio Cappadoce, episcopo posteà Cæsariensi, et fratre suo Athenodoro, ad episcopatum Ponti itidem deindè provecto. Cùm autem Cæsaream Palestinæ deflexisse, detentus ab Origene, per quinque annos, quibusdam interjectis intervallis, ab ejus ore tùm in hâc ipsâ urbe, tùm Alexandriæ, tùm iterùm Cæsareæ pependit, à quo ad Christum adductus philosophicisque primùm disciplinis imbutus, tùm præsertim sacra mysteria edoctus est; quæ ità fideliter

non animo tantùm, sed moribus ebibit, ut insultantem scortum non contempserit modò, sed maligno spiritui traditam ante pedes subitò prostraverit

Baptismo tinctus, priusquàm à Cæsareâ discederet, Origenem præsentem magnâ convocatâ frequentiâ celebravit, eique gratias egit insigni sermone panegyrico, qui etiamnùm exstat, et à Pamphilo apologiæ Origenis pridem insertus fuit. Absens indè et latitans à Phædimo episcopo primus Neocæsariensis pontifex electus est, licèt vix septemdecim tùm in hâc urbe numerarentur Christiani.

Cùm autem an. 240 consecratus, in elucidandâ fidei doctrinâ pernoctaret, apparuit illi, inter circumfusi luminis radios mater Domini cum Joanne evangelistâ, à quo, Mariâ jubente, dictata suscepit mysteria, manuque conscripta suis in hunc modum successoribus transmisit : » Unus est Deus Pater verbi viventis, sapientiæ subsis- » tentis et potentiæ, et figuræ æternæ, perfectus perfecti » genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex » solo, Deus de Deo, figura et imago deitatis, verbum » efficax, sapientia constitutionis rerum universarum » comprehensiva, et potentia totius creaturæ effectrix, » Filius verus veri Patris, visum effugientis, et corrup- » tioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, et morti » non obnoxius morti non obnoxii, et æternus æterni. » Unus Spiritus Sanctus ex Deo ortum et existentiam ha- » bens, quique per Filium apparuit videlicet hominibus : » imago Filii perfecti perfecta, vita viventium causa, fons » sanctus, sanctificationis suppeditatrix, per quam ma- » nifestatur Deus Pater, qui est super omnia et in omni- » bus, et Deus Filius per omnia permanat. Trinitas per- » fecta quæ gloriâ atque æternitate et regno non dividitur » neque abalienatur. Ergò neque creatum quidquam aut » servum in Trinitate est, neque adscititium quidquam

» et adventitium est quod priùs quidem non esset, nec sup» peteret, posteriùs autem introductum sit; neque verò » deest unquàm Filius in Patre, neque in Filio Spiritus: » sed immutabilis et inalterabilis eadem semper Trinitas est. » (*Greg. Nyss. in vitâ Thaumaturg.*)

Hinc unà cum episcopatu incipere stupenda illa miraculorum series, quibus ad *Thaumaturgi* gloriam assurrexit. Modo dæmonibus silentium imponere, modò transferre lapides; modò stagna in siccitatem redigere; modò aquis redundantibus, defixâ in terram virgâ, magnamque in arborem transmutatâ, obicem opponere nunquàm superandum. Comanæ episcopum consecrare rogatus, Alexandrum *Carbonarii* nomine notum, deterso, quo humilis tegebatur, pulvere, ad pontificatum provexit.

Exortâ Decii circa an. 250 persecutione, fugiendi periculi populo auctor fuit, quod ità feliciter successit, ut nemo tormentis addictus in apostasiam prolaberetur. Ipse in vicinum desertumque collem, cum diacono ab idolis, quorum primùm sacerdos erat, converso delituit, obcæcatisque persequentium oculis, qui arborem ejus loco videre crediderant, salvus tandem evasit.

Persecutionis vices pestis excepit, cujus originem faustumque eventum ità narrat Gregorius Nyssenus: « Feriæ quæ» dam publicæ et universales erant in urbe Dæmoni cuidam » domestico, patrio quodam ritu ac more solemni cele» brari consuetæ, ad quas unà cum urbanis celebrandas » universa propemodùm gens ex totâ eâ regione conflue» bat: atque eorum qui concurrebant theatrum plenum » erat, et eorum qui postremi affluxerant multitudo sub» selliis undiquè superfundebatur, atque omnibus ad » spectacula atque acroamata orchestram intueri cupien» tibus, plena erat scena tumultûs et trepidationis, » irritaque præstigiatoribus mirabiliumque spectaculorum

» artificibus ostentatio, tumultu sese mutuo constipantium non modò oblectationem musicæ impediente, sed ne circulatoribus quidem et præstigiatoribus suas artes ostentandi tempus concedente. Tùm verò communis ab omni multitudine erumpit vox dæmonem, cui diem festum agebant implorantium, et ab illo sibi laxitatem fieri petentium. Posteaquàm autem omnibus simul loquentibus in altum vox tollebatur, ac totius civitatis veluti unius oris sermo esse videbatur, quo hæ preces dæmoni adhibebantur, (erat autem precatio ut ipsa verba ejus audiantur *Jupiter fac nobis locum;*) audito sanè magnus ille vir sono nominatim invocantium dæmonem, à quo laxitatem civitati fieri petebant, quodam ex astantibus ad eos misso, laxitatem ait ipsis mox datum iri majorem, quàm optarent. Hâc autem ab eo voce tanquàm tristi quâdam sententiâ prolatâ, pestilentia frequentem illum ferias agentium, et ludos celebrantium conventum excipit: ac statim trepidantium choris lamentatio miscebatur, adeò ut in luctus et calamitates eis voluptates converterentur, cùm pro plausibus et cantu tibiarum aliæ super alias næniæ cantusque lugubres urbem passim invasissent. Cùm enim semel homines morbus invasisset, opinione citiùs propagabatur atque serpebat, ignis in modum domos depascens, adeò ut ædes quidem sacræ, quò spe sanationis atque remedii confugiebant, iis qui morbo peribant, repletæ: fontes verò, aquæductus scaturiginesque et putei eorum, quos atrocitate morbi sitis exurebat referti essent,.... multi etiam item ultrò transirent ad sepulcra, eò quòd superstites sepeliendis mortuis non ampliùs sufficerent: nec inopinato malum homines invaderet; sed quasi spectrum quoddam ad eas ædes quibus pernicies imminebat, accederet: ità certum exitium sub-

» sequeretur.... (Tunc) magno isti viro supplices fiunt, » orantes, ut per eum quem ipse Deum agnosceret ac » prædicaret, quem solum reverà Deum esse, et in om- » nes imperium habere confiterentur, mali impetum sis- » teret et inhiberet. Cùm spectrum illud ante futuram » pestem alicui domui appareret, ac protinùs desperatio- » nem vitæ habitatoribus injiceret, una periclitantibus sa- » lutis ratio erat, si illas ædes Magnus Gregorius ingre- » deretur, ac per preces morbum, qui domum invasis- » set, repelleret ac summoveret. Cùm autem celeriter » per eos qui primi eâ ratione servati fuerant ad omnes » fama permanâsset, omnia, quæ priùs vanitate atque » stultitiâ adducti curabant, omittebantur oracula, sa- » crificia, piacularia, in delubris simulacrorum commo- » ratio, omnibus magnum sacerdotem intuentibus, et » unoquoque eum ad se totius familiæ suæ servandæ gra- » tiâ alliciente. Mercedem autem ab iis qui servabantur, » salutem animarum consequebatur. » (*Greg. Nys. in vit. Thaum.*)

Interfuit unà cum Athenodoro fratre suo congregatis Antiochiæ contra Paulum Samosatenum episcopis anno 264, celebremque scripsit canonicam epistolam, quæ nonnullas circa pœnitentiam regulas complectitur. Cùm autem Paulus Samosatenus in Antiochensi synodo intentatam dissimulavisset hæresim, congregatum est, anno 269, secundum ad eamdem urbem concilium, cui subscripsit Theodorus quidam, qui si pro nostro doctore assumatur, mors ejus ad annum 270 referenda videtur. Morti proximus, sollicitè inquisivit, utrùm vel in urbe, vel in territorio aliqui etiamnùm remanerent Ethnici, compertoque quòd adhùc septemdecim supererant, Deo gratias agens : » Totidem, inquit, erant fideles, cùm cepi episcopatum. » (*Idem, ibidem.*)

Locum quo sepeliretur, emi prohibuit dicens, posteritati sciendum, omni hæreditate expertem Gregorium alieno, et illo quidem mutuum accepto tumulatum fuisse sepulcro. Defunctus est circa an. 265, 17 novembris die quâ ejus festum, cum S. Dionysii Alexandrini eodem tempore defuncti memoriâ, Ecclesia celebrare consuevit. Martyrem nemo antè Rufinum dixit, nec illo, nisi latè accepto vocabulo, rectè potest appellari.

Ex dictis patet illum scripsisse, 1.° *Orationem ad Origenem, quam panegyricam et charisteriam, convocatâ grandi frequentiâ, ipsoque Origene præsente recitavit;* (Hieron. de Script. Eccles. c. 65.) 2.° *Symbolum*, de quo supra jam mentionem fecimus, et quam *divinam institutionem et disciplinam* Gregorius Nyssenus prædicat; (*in vit. Thaumat.*) 3.° *Epistolam unam*, quæ ab omnibus, excepto Dodwello, admittitur, et vocatur *canonica;* 4.° *Metaphrasim in Ecclesiasten, brevem quidem, sed valdè utilem*, (Hieron. de vir. illustr.) *quam* Rufinus asserit *magnificentissimè scriptam.* (Hist. Eccles. lib. 7. c. 25.)

Hunc autem *virum Apostolicorum signorum atque virtutum* ab Hieronymo (*Epist.* 84. *ad Magn.*) vocatum, et à plerisque laudatum veteribus, ità imprimis encomiis extollit S. Basilius : « Cæterùm Gregorium Magnum, et » illius voces quo loco ponam ? Annon cum Apostolis et » Prophetis, virum qui eodem spiritu, quo illi versatus » sit, quique Sanctorum vestigiis per omnem vitam in» hæserit, quique Evangelicæ conversationis vigorem, » quamdiù vixit præstiterit? Equidem illud dixerim : pro» fectò injuriâ affecerimus veritatem, si non animam » illam annumeremus iis qui Deo juncti sunt, qui velut » insignis magnaque lucerna in Ecclesiâ Dei resplenduit, » qui è Spiritûs ope tremendam habuit adversùs dæmones » potestatem. Nam tantam acceperat gratiam ad obedien-

» tiam fidei inter gentes, ut assumptis non plùs septemdecim Christianis, universum populum et urbanum et rusticum per agnitionem adjunxerit Deo. Ille et fluminum cursus in diversum vertit, præcipiens illis in magno nomine Christi : et paludem exsiccavit, belli causam præbentes fratribus avaris. Cæterùm prædictiones de futuris ejusmodi sunt, ut nihilò sit inferior cæteris prophetis..... Cujus et in hodiernum quoquè diem magna est apud ejus regionis homines admiratio, recensque ac semper vigens memoria sic infixa est Ecclesiis ut nullo tempore abolescat. » (*S. Basil. lib. de Spiritu Sancto, cap.* 29.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Universa quæ exstant Thaumaturgi opera excusa fuerunt, pleraque *græca* et *latina*, curante *Gerardo Vossio, Moguntiæ*, an. 1604, in-4.° Anno autem 1622 lucem vidit editio Parisiensis plenior et accuratior. Eadem *latinè* reperiuntur apud bibliothecas Patrum.

GALLICÆ VERSIONES.

Vide apud D. *Fleury* epistolam canonicam gallicè versam *Hist. Eccles. lib.* 7. *c.* 62.

CAPUT IV.

De Sanctis Patribus quarti Ecclesiæ seculi.

Magnum et eventibus et viris illuxit quartum Ecclesiæ seculum ; eventibus quidem, cùm imperatores jam ex persecutoribus filios habere cœperit religio; viris autem, cùm splendidioribus veluti luminibus irradiata emicuerit. Factorum ità se habet series.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica quarti Ecclesiæ seculi.

§ I.

Series Imperatorum.

Diocletianus et *Herculius*, an. 305 ab imperio se abdicant, relictis *Constantio Chloro* et *Galerio* imperatoribus, Cæsaribus autem *Severo et Maximino.*

Mortuo Eboraci *Constantio Chloro* an. 306, *Constantinus* è Galerii manibus feliciter elapsus imperator à militibus eligitur; quod imitatus Romæ *Maxentius*, Galerii filius, imperatoris pariter invadit dignitatem; qui, cùm iterùm purpuram, quam dudùm abdicaverat, *Maximiano Herculio* restituisset, sex eodem tempore principes imperium partiti sunt, nempè *Galerius*, *Severus*, *Maximinus*, *Constantinus*, *Herculius senex*, et *Maxentius.*

Victus ab Herculio dejicitur, et, sectis venis, perimitur *Severus* an. 307; cujus in locum substituitur eodem anno à Galerio *Licinius.*

Herculius, paratis Constantino insidiis deprehensus strangulatur an. circiter 310.

Galerius, an. 311, dato tandem in Christianorum gratiam edicto, morbo vitam consummat.

Maxentius, an. 312, crucis virtute à Constantino debellatur, et Tiberis præceps aquis absorbetur.

Anno 313, edictum pro Christianis à Constantino et Licinio datur.

Eodem anno 313 victus à Licinio *Maximinus* veneno vitæ fidem imponit.

Hinc duo tantùm imperatores *Constantinus* et *Licinius*, novaque pro Christianis edicta.

Mutatus brevì *Licinius* Christianos persequitur, bellumque Constantino intentat. Vincitur, et tamen in imperio relinquitur, sed, renovato iterùm bello, è solio dejicitur, novasque molitus insidias, anno tandem 324 interimitur.

Ab anno 324 solus regnat *Constantinus*, religionis patronus, sed Arianis nimiùm favens, usquè ad an. 337, imperii autem 31. Ipso imperante habitum Nicææ primum generale concilium.

Suscipitur à *Constantino* II, sivè *Juniore*, *Constantio* et *Constante*, Constantini Magni filiis, imperium.

Constantinus Junior an. 340 à Constantii militibus occiditur; quo interfecto, regnat in occidente *Constans*, in oriente autem *Constantius*.

Constans à Magnentio imperium ambiente, post 13 regni annos, morte afficitur, an. 350; Catholicus Catholicos semper defendit.

Magnentius, *Vetranio*, et *Nepotianus* tyranni à Constantio mox dejecti, anno sequenti 351 jam evanuerant; undè solus regnavit *Constantius*.

Hic Catholicorum Arianus persecutor, *Juliano* jam principatum in Galliis tenente, morbo correptus an. Christi 361, regni autem 38, moritur.

Julianus apostata, religionem christianam novo persecutionis genere exagitat, et, contra Persas pugnando, exclamans: *Vicisti, Galilææ!* jaculo perfossus vitam simul et coronam amittit an. Christi 363, regni verò ferè 8.

Jovianus, electus imperator, diadema suscipere recusat, quoadusquè Christianis militibus se præesse certior fiat. Vita brevior, brevius imperium ante annum finem accipit, an. scilicet 364.

Valentinianus I; post Jovianum electus, cum *Valente* fratre dividit imperium, et illi, servato Occidente,

Orientem administrandum committit. Catholicus, sed Arianæ uxori nimis aliquandò indulgens, ruptâ, dùm irascitur, venâ, anno Christi 375, imperii autem 12, diem obit extremum.

Valens autem, Arianis deditus, episcopisque catholicis infensus, victus à Gothis, flammis intra domum fugitivus exuritur an. 378.

Gratianus, patris jam in Occidente successor, catholicis favet, Orientemque *Theodosio* concedit an. 379. Rebellantem in Britanniâ *Maximum* insectatus, sed juxta Parisios ab exercitu derelictus, Lugduni interficitur an. 383.

Quo occiso, partem regni invadit *Maximus* tyrannus, et perseverat usquè ad annum 388, quo à Theodosio victus à militibus perimitur.

Valentinianus II, Gratiani frater, infans adhùc, diviso jam priùs cum fratre imperio, defuncti locum occupat, Theodosiique ductu pacem imperio religionique procurat; sed Justinæ matri nimiùm credens, Arianorum partibus tantisper favet. Ab Arbogasto rebelli, nondùm baptizatus, sed fide commendandus strangulatur an. 392, laudaturque ab Ambrosio.

Theodosius jam ab anno 379 in regni partem Orientalem, post Valentem, à Gratiano vocatus, Valentinianum II, devicto Maximo tyranno, vindicat, religionem protegit, pœnitentiam publicam agere non veretur, *Magnique* nomen et pietate, et virtutibus optimè meretur. Solus ab anno 392 imperium occupat, et 395 moritur post regnum 18 annorum.

Hinc imperium in Occidentale et Orientale dividitur, nunquam ab uno jam regendum. *Honorius* et *Arcadius*, Theodosii filii, regnum dividunt; prior Occidentem sus-

cipit, posterior verò Orientem; illorum regnum in sequentem ætatem producuntur.

§ II.

Summorum Pontificum Successio.

An. 304 post 8 pontificatûs annos defuncto *S. Marcellino*, vacat tribus annis et sex mensibus Romana sedes.

Hinc *S. Marcellus* pontificatum exercet per annum unum et octo menses, moriturque circa annum 310.

S. Eusebius ejus successor quatuor tantùm mensibus Ecclesiam regit, et eodem anno vitam consummat.

Mensibus 9 vacat sancta sedes. Posteà autem S. *Melchiades*, vel *Miltiades* duobus annis et sex mensibus pontifex agit, et an. 314 Deo restituitur. Eo pontificatum exercente, Christianam religionem profitetur *Constantinus* imperator.

S. Silvester papa concilio Nicæno per Osium legatum præsidet, annoque 335 Ecclesiæ regendæ curis eripitur, post 22 ferè pontificatûs annos.

S. Marcus post unum, nec integrum, episcopatûs annum coronam sanctitatis accipit an. 336.

S. Julius I, S. Athanasii defensor acerrimus, 15 annis pontificali cathedræ insidet, et an. 352 in cœlum transfertur.

Liberius, Romanus, formulæ Sirmianæ, quæ nullum errorem continebat, sed doctrinam catholicam, deleto *Consubstantialis* verbo, non satis clarè exprimebat, malè subscribit : sed brevì repudiatâ concilii Ariminensis formulâ, Athanasio rursùs conjungitur, vitamque piè claudit, an. 364, pontificatûs 15. Primus omnium Summorum Pontificum inter Sanctos non annumeratur.

Illo absente, in ejus locum à Constantio substituitur *Felix*, dictus II, quem tanquàm Liberii vicarium Ecclesiam Romanam rexisse nonnulli credunt, alii autem pseudopontificibus annumerant, plures nihilominùs inter Sanctos recensent, propter actam sanè, si erraverit, pœnitentiam. An. 365 defunctus est.

Postquàm sancta sedes aliquamdiù vacâsset, extollitur *S. Damasus*, Hispanus, cui frustrà *Ursicinus* pseudopontifex sacram præripere cathedram conatus est. Post 18 pontificatûs annos in pace quievit an. 384.

S. Siricius, Romanus, 14 Apostolici ministerii anno, Christi autem 398, damnato Joviniano, vitæ sanctæ sanctum finem imponit.

S. Anastasius I, Romanus, ab Hieronymo *vir insignis* vocatus, incœptum quarto seculo pontificale munus, quinto agere perseverat.

§ III.

Ecclesiæ adversarii.

Inter Ethnicos, *Julianus Apostata*, non auctoritate tantùm, sed et scriptis christianam religionem impugnavit. *Inter hæreticos* et *schismaticos*, maximè commemorandi *Donatistæ*, *Ariani*, *Macedoniani*, *Anomæi*, *Aëriani*, *Photiniani*, *Messaliani*, *Luciferiani*, *Apollinaristæ*, *Priscillianistæ*, *Jovinianistæ*, *Collyridiani*.

1.° *Donatistæ*, schismatici primùm propter ordinatum contra Canones Majorinum Carthaginensem episcopum, hæretici deindè ideò facti sunt, quòd collatum extra Ecclesiam baptisma iterandum esse, Ecclesiamque ubicumque terrarum exstinctam, nullibi, nisi apud se, reperiri contenderent; famosum sibi sacrilegiis nomen compara-

verunt, nec nisi seculo sequenti ad Ecclesiam redierunt.

2.° *Ariani*, qui tantas in Ecclesiâ pugnas concitaverunt, Filio unam eamdemque cum Patre substantiam denegabant. Damnati sunt à Concilio Nicæno I, item I generali, an. 325.

3.° *Macedoniani*, sicut Arius Filio divinitatem abjudicabat, itâ divinitatem Spiritui Sancto minimè competere delirabant. Damnata est illa hæresis à Synodo Constantinopolitanâ I, generali II, an. 381.

4.° *Anomæi*, sivè *Eunomii*, Deum incomprehensibilem negabant, reliquias martyrum abjicere non verebantur, baptismi formam immutabant, magnaque crimina non impedire, quominùs salvarentur fideles, jactitàbant.

5.° *Aërius*, æquales episcopis sacerdotes, inutiles pro defunctis orationes vanaque Ecclesiæ jejunia, propugnabat.

6.° *Photinus*, non solùm cum Ario Christum Patri inæqualem, sed et purum hominem magis adhuc impius traducebat.

7.° *Messaliani*, aliter *Euchytæ*, seu orantes, et etiam *Enthousiastæ*, orationem tantùm esse necessariam, baptismumque nihil prodesse fingebant. Damnati sunt posteà in Concilio Ephesino, generali III, an. 431.

8.° *Lucifer*, Caralitanus episcopus, ab Ecclesiâ discessit, quia redeuntes Ariani ab eâ suscipiebantur; de ejus vitâ et scriptis infrà disseremus.

9.° *Apollinaristæ*, Apollinaris, de quo infrà dicemus, discipuli, circa animam Christi aberrantes, illum tantùm corpore et divinitate constare prædicaverunt, itâ ut Verbi æterni ipsa substantia in corpus transierit; impugnârunt etiam Spiritûs Sancti divinitatem, Millenariorumque fabulas innovârunt.

10.° *Priscillianistæ* plures quasi coagulatos Gnostico-

rum, Manichæorum et Sabellianorum errores propugnabant, quos ut faciliùs celarent, licitum esse docebant mendacium.

11.° *Jovinianistæ*, virginitatem matrimonio non anteponebant; improbabant jejunia; Christum non ex Virgine natum, hominem post baptismum nullo obnoxium peccato, omnia demùm peccata, cunctaque simul Beatorum præmia perfectè æqualia contendebant.

12.° Deniquè *Collyridiani* Sanctam Virginem Mariam divinis honoribus malè prosequebantur.

§ IV.

Conciliia generalia quarti Ecclesiæ seculi.

An. 325 celebratur Nicææ in Bythiniâ concilium generale I, cui aderant 318 episcopi, Osio, Cordubensi episcopo, tanquàm summi pontificis Silvestri legato præsidente. Venit et Constantinus imperator. Symbolum Nicænum in hoc concilio confectum est, Arianique damnati.

An. 381 habetur Constantinopoli Synodus Æcumenica II adversùs Macedonium et Apollinarem. Aderant 150 episcopi. Amplificatum est Nicænum symbolum, additaque omnia, quæ de Spiritûs Sancti divinitate agunt, cunctaque usquè ad finem sequentia.

Articulus II.

De vitâ et operibus Sanctorum Patrum quarti Ecclesiæ seculi.

Hoc seculo floruerunt *Arnobius*, *Lactantius*, *Eusebius Cæsariensis*, *S. Hilarius Pictaviensis*, *Victorinus*, *Lucifer Caralitanus*, *S. Eusebius Vercellensis*, *S. Athanasius*, *Marcellus Ancyranus*, *S. Basilius Magnus*, *S.*

Ephræm, Apollinares, S. Optatus Milevitanus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Macarius senior, Pacianus Barcinonensis, S. Gregorius Nazianzenus, S. Amphilochius et S. Ambrosius.

§ I.

Arnobius, post an. 300.

LATINUS.

Arnobius rhetoricen apud Siccam Numidiæ urbem in Africâ docuit, imperante Diocletiano. Cùm paganus esset, velletque in Christianorum numerum suscipi, 8 libros adversùs gentilium deliramenta adhuc cathecumenus conscripsit, et veluti certissima fidei pignora episcopis, ut sibi gratia baptismi traderetur, ipse tradidit. Hinc plura catholicæ doctrinæ, quam nondùm apprimè callebat, non satis consentanea reperiuntur, illudque imprimis, quòd animam corporalem, suâque naturâ mortalem affirmet, licèt beneficio Dei immortalis evadat.

Opus aliundè rhetore dignum, rhetoricis non destituitur ornamentis, quamquàm eloquium impolitum et aliquandò semibarbarum Africanam redoleat duritiem. Undè Hieronymus : « Arnobius, inquit, inæqualis et nimius, et abs» que operis sui partitione confusus. » (*Epist.* 46. *ad Paulin.*) In impugnando fortior, quàm in propugnando, gentium errores efficaciùs infirmat et dejicit, quàm catholicas corroborat statuitque veritates; quod Neophytis vulgò accidat necesse est, qui, nondùm perfectâ informati doctrinâ, quid in dimissâ religione deficiat potiùs quàm quid in susceptâ præcellat solent deprehendere. Nullam de commentario latino in Psalmos, qui Arnobii nomine circumfertur, mentionem facimus, cùm certum sit hoc opus à nostro Arnobio non fuisse elaboratum.

Quid cæterùm, dùm viveret, egerit, quâ morte vel quo loco fuerit defunctus, penitùs ignoratur. Non est autem ambigendi locus, quin circà quarti seculi initium scripserit, cùm mille quinquaginta circiter annos à Româ conditâ, trecentos verò à conditâ religione jam elapsos enumeret.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Arnobii opus præcipuè legendum est, sivè in bibliothecis Patrum Coloniensi, Lugdunensi et Parisiensi, sivè ad calcem operum S. Cypriani, curante D. *Priore, Parisiis* editorum an. 1666.

Nulla occurrit Arnobii operis gallica versio.

§ II.

Lactantius, circa annum 325.

LATINUS.

Lucius Cœlius Firmianus, cognomine *Lactantius*, fortè propter eloquii lacteam dulcedinem, ad religionem Christianam à juventute conversus rhetoricen in Africanâ Arnobii scholâ didicit, quem brevì ità eloquentiæ laude superavit, ut Nicomediam rhetorices docendæ causâ vocaretur. Cùm verò pauci adessent auditores, quia Nicomedienses, utpotè Græci, de latinâ parùm rhetoricâ curabant, conscribendis libris operam dedit. A Constantino Magno in aulam regiam vocatus, ut Crispum filium liberalibus disciplinis informaret, ità medios inter honores paupertatem coluit, ut, Eusebio teste, (*Chronic. ad an.* 318.) non modò non secularibus indulgeret voluptatibus, sed rebus etiam ad victum necessariis aliquandò indigeret.

Nihil ultrà de Lactantio apud historiam narratum reperimus; exquisita autem supersunt, quæ illum quasi prædicent opera. Præter enim duos libros quorum unus *de opere Dei*, alter verò *de irâ Dei docto pariter et eloquenti sermone pulcherrimè conscriptus* (Hieron. in cap. 4. in Ep. ad Ephes., et de Script. Eccles. cap. 80.) sermonem habet, *institutiones divinas* confecit, quibus, dissipatis paganorum fictionum tenebris, verum religionis Christianæ lumen mundo ostendere nititur. Totum opus septem libris dividitur, quorum primus *de falsâ religione*, secundus *de erroris origine*, tertius *de falsâ sapientiâ*, quartus *de verâ sapientiâ*, quintus *de justitiâ*, sextus *de vero cultu*, septimus deniquè *de vitâ beatâ* disserit. Quæ quidem omnia epitome etiam sivè breviario coarctavit, quo eadem summatim velùti delibata legere datur. Breviarii dimidium, ipso Hieronymi tempore jam amissum, nunc desideratur. Scripsit etiam tractatum *de morte persecutorum*, quo, variis ætatibus perlustratis, servorum Dei persecutores tristi morte peremptos semper et ubiquè demonstrat.

Nullum inter latinos doctores Lactantio facundiorem extitisse nemo est sanè qui ignoret. Ità maximum Romæ paganæ decus Tullium frequenter attentèque pervolverat, ità etiam in scribendo purus, elegans nitidusque effinxerat, ut *Ciceronem Christianum* ab antiquis vocari meruerit. « Lactantius, inquit Picus Mirandulæ comes, Ciceronis » stylum effigiavit, vel, ut quibusdam placet, supergressus est; mihi videtur rebus et sententiis crebrior, nec » numeris injucundior, nec sibi æquabilitate et candore » posterior. Has quippè virtutes maximis viribus et æmulatus et assecutus est; hunc nec æqualem posteri memorderunt; nemo elumbem et fractum, Asianum et redundantem nemo causatus est..» (*l.* 3. *Ep.* 10.) Hinc *clarissi*

mum facundiâ Firmianum Eucherius, (*Ep. ad Valer. de contempt. mund.*) hinc Hieronymus *virum suo tempore eruditissimum et eloquentiæ Tullianæ fluvium* (Epist. 49. ad Paulin.) prædicare non dubitaverunt. Quamvis autem hâc cogitationum verborumque excellentiâ fidem simul disputando, et docendo virtutem persuaserit, fatendum est nihilominùs illum philosophorum placitis theologiam nimiùm involvere. Undè Damasus Papa ad Hieronymum scribens se non libenter opera Lactantii pervolvere fatetur, quia plures occurrunt paginæ, quibus de rebus à religione prorsùs alienis agitur. Gelasius autem papa *opuscula Lactantii apocrypha* declarat, (*Gelas. in concil. Rom.*) propter quosdam hinc et indè occurrentes errores. Illis tamen judiciis non ità severè erga Lactantium actum est, ut ejus lectio sit abjicienda : « Quis enim, inquit » Hieronymus, mihi interdicere potest, ne legam insti- » tutionum ejus libros, quibus contra gentes scripsit for- » tissimè ? » (*Epist. 41. ad Pammach.*) Quis è contrà Christianæ eloquentiæ cupidus ab illo legendo poterit abstinere ?

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Inter Lactantii operum editiones eminere videntur, utpotè pleniores simul et accuratiores, quæ tùm *Oxonii* an. 1684, à *Thomâ Spark*, tùm an. 1685, *Cambrigæ*, tùm an. 1715, *Leipsic.* tùm curantibus DD. *Lebrun* et *Langlet Dufresnoy, Parisiis*, an. 1748 excusæ fuerunt.

Particulares quædam variorum Lactantii operum editiones non contemnendæ videntur, nempè 1.° liber *de opere Dei Geræ in Misniâ* an. 1714, in-8.°; 2.° liber *de morte persecutorum*, an. 1610, *Parisiis*, cum notis D. *Lenourry*; 3.° tandem *epitome institutionum*, sivè *Pa-*

risiis curâ *Matthæi Pfaff* et ejusdem *Lenourry*, sive *Cambrigæ* cum notis *Davisii*, in-8°.

VERSIONES GALLICÆ.

1.° Septem *institutionum* libri à *Renato Fumæo* gallicè interpretati excusi sunt, tùm *Parisiis*, an. 1546, in-8.°, et 1581, in-12.; tùm *Lugduni*, an. 1547 et 1563.

2.° *Primus earumdem liber* versus à *Drouet de Maupertuy* prælo subjectus est *Avenionis*, an. 1710, in-12.

3.° liber *de morte persecutorum* à D. *Maueroix* gallicæ fidei redditus lucem vidit *Parisiis* an. 1680, et iterùm ex interpretatione doctoris *Burnet*, *Utrech*, 1687, in-12.

§ III.

Eusebius Cæsariensis, an. 340.

GRÆCUS.

Eusebius, Pamphili (1) præsbyteri Cæsariensis (2) ac martyris non filius, nec servus, sed amicus ità singularis, ut ab eo nomen tulerit frater vel consobrinus Eusebii (3)

(1) Pamphilus, præsbyter Cæsariensis, studioque addictissimus, collectis doctorum quamplurimis libris bibliothecam in veteribus temporibus perillustrem composuerat : martyrium perpessus inter Sanctos numeratur.

(2) Agitur de Cæsareâ Palestinæ, quæ priùs *turris Stratonis* appellabatur. Hinc sæpiùs Eusebius ab Hieronymo vocatur Palestinus, ut faciliùs ab Eusebio Cæsareæ in Cappadociâ oppidi episcopo discerni possit.

(3) Eusebius Nicomediensis Arianæ causæ nimis addictus, symbolo Nicæno tamen subscripsit, sed malâ fide, ut eventu compertum est. Depositus et in exilium missus, nec ità multò post revocatus, in S. Athanasium rursùs debacchatus est, et Constantinopolim translatus cum benè merito Ariani nomine migravit ad Dominum, cui *sine fide placere impossible est*.

Nicomediensis, natus circa annum 264, ut videtur in Palestinâ, vel ibi saltem educatus, Dorothæum Ecclesiæ Antiochenæ præsbyterum, de sacris Scripturis disserentem, non impiger discipulus audivit. Exindè ab Agapio Cæsariensi episcopo in clerum assumptus, ità huic Ecclesiæ fideliter adhæsit, ut ingruente persecutionum tempestate, à doctrinâ et exhortatione martyrum, inter ipsa custodiarum claustra, minimè cessaverit. Cui pietatis officio cùm perseveranter instaret, captus ipse et in carcerem missus, redemptæ per oblatum idolis sacrificium libertatis suspicionem tulit, non satis quidem meritò, utpotè qui tam graviter lapsus non potuisset ad episcopalem dignitatem assurgere.

Quo in munere Agapii successor an. 315 consecratus, Arii primùm partibus adversùs S. Alexandrum Alexandrinum patrocinatus est, nec ab ejus erroribus in scriptis satis alienus reperitur. In concilio nihilominùs Nicæno impugnatum primò *Consubstantialis* vocabulum, non solùm amplexus est, sed ad populum Cæsariensem scribens, cur illud amplectendum credidisset, exposuit. Magna de fidei ejus sinceritate disputatio; nec inficiendum est plura in operibus occurrere, quæ duriùs et parùm commodè dicta videntur. Fatendum est etiam non facilè excusari posse agendi vel potiùs scribendi rationem, qui neque in historiâ Ecclesiasticâ, neque in vitâ Constantini Magni tam celebrem illam Ecclesiæ pugnam narrare dignum judicaverit; qui de concilii Nicæni gestis ità loquatur, ut nullam ferè aliam, quàm Paschatis quæstionem ab eo solutam suggerat; qui rescriptis Constantini adversùs hæreticos legibus, mandatum illud, quo Arii scripta igne comburenda damnabantur, silentio prætermiserit; qui dequè relato Tyri concilio, ne unum quidem verbum emiserit de S. Athanasii causâ, licèt illius congregandi primum

fuerit objectum. Fatendum deniquè illum à veteribus plurimis et doctoribus et conciliis vehementer tanquàm hæreticum exagitari, cùm à S. Athanasio *Arianæ causæ* procul dubio ità *suffragâsse* incusetur, ut *non veritus sit palam dicere Christum non esse verum Deum ;* (S. Athanas. in tract. de Synod. Arimin. et Seleuc.) cùm à B. Hieronymo vituperetur, quòd *signifer Arianæ factionis pro Origene scripserit, Arianorumque princeps erraverit in dogmatum veritate ;* (Hieron. Epist. 65 ad Pammach. , et lib. 2. adv. Rufin.) cùm præsertìm à Synodo Æcumenicâ VII traducatur tanquàm in *reprobum sensum* traditus, qui subscribens in Synodo *veritatem labiis suis honoravit, cor autem longè ab eâ* cohibuit, *veritatem simulans, vir duplici animo, ut ait Jacobus frater Domini, instabilis in omnibus viis suis.* (Action. 6.)

Illum tamen *consubstantialem* Filium agnovisse, licèt ab *Homousii* Ὁμουσίου vocabulo interdiù abhorruerit, præsertìm cùm in Ecclesiæ pace fuerit defunctus, credere maluerim; neque adeò negâsse Spiritûs Sancti divinitatem, sed modò eum à Patre et Filio distinctum, et à Filio proficiscentem docuisse. Huic sententiæ patrocinantur et Constantinus Magnus qui in epistolâ ad Synodum Antiochenam illum appellat *Sanctissimum Cæsariensium episcopum,* et plurima perantiqua Martyrologia quæ illum festis alicubi celebratis inter Sanctos annumerant tanquàm *episcopum* et *confessorem,* et *excellentissimi ingenii virum.* (Usuard. 21 juin, Nolkerus, ibid.)

Quidquid autem de Eusebii fide credendum esse videatur, tamen dicendum est cum S. Basilio illum *propter multarum rerum peritiam idoneum esse, cui habeatur fides ;* (ad Amph. c. 29.) cum Hieronymo *Ecclesiasticam pulchrè historiam texuisse, tres libros scripsisse elegantissimos vitam Pamphili continentes, virum* etiam

fuisse *doctissimum, in Scripturis* divinis studiosissimum, ità ut mirantis more exclamari possit : *Quis prudentior, doctior, eloquentior Eusebio inveniri potest ?* (Ep. 65. ad Pamm.-Apolog. adv. Rufin.-lib. 2. adv. Rufin.-et de Script. Eccl.) cum Evagrio, *virum* pariter *extitisse* cùm in aliis *rebus disertissimum, tùm in scribendo tantùm valentem, ut possit lectores suos, si non perfectè efficere Christianos, ità tamen impellere, ut nostra libenter amplectantur* : cum Gelasio deniquè Papâ, abjuratis qui identidem occurrere possunt erroribus, propter *rerum notitiam singularem quæ ad instructionem pertinent, libros ejus usquequaquè non esse respuendos.* (De lib. Apocryph.)

Hoc autem in ejus vitâ laudabilius occurrit, quòd oblatum à populo et imperatore Antiochensem episcopatum, ecclesiasticæ disciplinæ fidelis observator, recusare non dubitaverit, de quo illum sic laudavit, scriptis epistolis, Constantinus : « Tu quidem beatum te in hoc ipso » existimare debes, qui totius propemodùm orbis testi- » monio dignus universæ Ecclesiæ episcopatu judicatus » sis. Nam cùm omnes te apud se episcopum esse am- » biant, hanc tuam felicitatem sinè controversiâ adau- » gent. Verùm rectissimè fecit prudentia tua, quæ et » mandata Dei et apostolicam atque ecclesiasticam regu- » lam custodire statuit, episcopatum Antiochensis Eccle- » siæ repudians, et in eo potiùs permanere desiderans, » quem Dei mandatu ab initio suscepisset. »

Sic apud omnes eruditus habebatur, ut à Basilio διὰ πολυπειρίας ἀξιόπιστος, id est, *propter eruditionem fide dignus* vocaretur; (*de Spirit. Sanct. c.* 25.) à Nicephoro τῶν τότε λογίων πρῶτος, *oratorum hujusce temporis princeps*; (Hist. lib. 19.) ab Hieronymo ipso vir *doctissimus*, (lib. 11. adv. Rufin.) *egregius, admirabilis*, (de locis Hæbr.) qui *bibliothecæ divinæ cum Pamphilo martyre*

diligentissimus pervestigator, infinita edidit volumina; (de Script. Eccles.) sic ipsi Constantino imperatori commendandus, ut cùm libros conficiendos cogitaret, nullum reperiret digniorem, cui, scriptis iterùm epistolis, tale opus committeret : « Visum est, inquit, id significare prudentiæ tuæ, ut quinquaginta codices divinarum Scripturarum, quarum apparatum et usum maximè necessarium Ecclesiæ esse intelligis, in membranis probè apparatis ab artificibus antiquariis venustè scribendi peritissimis describi facias, quæ et legi facilè, et ad omnem usum circumferri possint. » Sic deniquè omnibus Ecclesiæ temporibus acceptus, ut de illo dictum fuerit, *nihil esse anteà scriptum, quod non ad unguem cognosceret.* Ità cùm dubiæ fidei, sed non dubiæ eruditionis famâ, in communione nihilominùs Ecclesiæ quievit anno Christi 339, vel 340, ætatis circiter 86, episcopatûs verò 35.

Scripsit autem 1.° *Chronica* sivè Παντοδαπην ιστοριαν, id est, *omnimodam historiam*, ut titulus operis transfertur ab Hieronymo, (*de Script. Eccles. c.* 81.) ab orbe condito usquè ad vicennalia Constantini Magni an. 325, quæ amissa quidem desiderantur, sed S. Hieronymi versione quasi resuscitata supersunt ; 2°. *Præparationem et Demonstrationem Evangelicam*, quæ græcè Ευαγγελικης αποδειξεως προπαρασκευην, et Ευαγγελικην αποδειξιν, inscribuntur, quarum prior animam præparat ad suscipiendam religionis veritatem delusis paganorum deliramentis, astructâque Judaïcæ doctrinæ Christum annuntiantis divinitate; posterior verò contra Judœos demonstrat Judaicæ legi finem impositam, locumque Evangelio datum; 3.° *historiæ Ecclesiasticæ*, Εκκλησιαστικης Ιστοριας lib. 10, à Christianismi exordiis usquè ad Licinium et pacem à Constantino Ecclesiæ redditam, cujus antiquioris gratiâ *historiæ eccle-*

siasticæ pater dignus non immeritò visus est appellari ; 4°. de *martyribus Palestinæ*, cui adjungi potest *B. Pamphili martyrium ;* 5.° librum *contra Hieroclem*, quo Apollonium cum Christo minimè comparandum ostendit ; 6.° *plures* in varios Scripturæ sacræ libros *commentarios*, quos *hæretici hominis in latinum eloquium verti* culpam esse affirmat B. Hieronymus ; (*de Scrip. Eccles.*) 7.° *Constantini Magni* vitam, et *Encomium ;* 8.° libros V *contra Marcellum*, qui licet post Nicænam Synodum scripti, quibusdam tamen vituperiis non indigent ; 9.° *orationem in dedicatione Ecclesiæ Tyri ;* 10.° *epistolam ad Ecclesiam Cæsariensem*, quâ suam in concilio Nicæno agendi rationem legitimam vindicare nititur ; 11.° librum *de situ et nominibus locorum Hæbræorum*, « Quo laboravit, ut » congregaret nobis de Sanctâ Scripturâ omnium penè » urbium, montium, fluminum, viculorum et diverso- » rum locorum vocabula, quæ vel eadem remanent, vel » immutata sunt posteà, vel aliquâ ex parte corrupta... » (*Hieron. in præfat. lib. de sit. et nomin. locor. Hæbr.*) 12.° *Quatuordecim opuscula* quæ à patre *Sirmundo* in publicam lucem sunt emissa ; 13.° *Canones Evangelicos* de concordantiâ Scripturarum.

Nullum inter veteres Eusebio doctiorem extitisse nemo est qui dubitet. Non tantùm autem dicendi venustate, quantùm doctrinæ ubertate excellit ; rerum non verborum curiosus, omni ornamento destituitur, eruditionem quærenti utilissimus, ingratus autem eloquentiam appetenti. De quo ità Photius : « Phrasi neque jucundus us- » piam, neque perspicuus ; homo tamen multæ doctrinæ » est ; tametsi mentis acumine, affectuumque constantiâ, » quantùm in dogmatum accuratâ tractatione est opus, » indigeat. » (*Bibl. Cod.* 9.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Nulla exstat completa Eusebii operum editio. Separatim è prælo exierunt hæc præcipua :

1.° *Chronica*, quorum, græco textu amisso, græca tamen quædam, ut potuit, collegit, ediditque *Scaliger*, sed parùm feliciter, an. 1606, et 1658, in-fol. Adsunt tamen in hâc editione præter latinam versionem doctissimæ ejusdem notæ.

Latinè tantùm legitur accuratior editio inter Hieronymi opera à *Villarso* emissa *Veronæ*, an. 1740, tom. 8, quæ quidem versio recusa est et ejusdem *Villarsi* curis posterioribus aucta an. 1766 et 1782; imò et recentiùs cum *vetustioribus latinorum Scriptorum chronicis*, colligente *Thomâ Roncallio*, in publicum emissa, 2 vol. in-4°.

2.° *PræparatioEvangelica* vulgata est : *græcè* à *Roberto Stephano* typis regiis an. 1544, *Parisiis*, in-fol.

Latinè sæpiùs, ac præsertim anno 1581, in-fol.

Græcè autem et *latinè* ex versione *Francisci Vigerii* an. 1628, *Parisiis*, et 1688, *Lipsiæ*, licèt titulus *Coloniam* præferat. in-fol.

3.° *Demonstratio Evangelica* prodiit : *græcè* typis regiis, è regio codice, curante *Roberto Stephano*, *Parisiis*, an. 1545. in-fol.

Latinè ex *Donati* parùm fideli versione, *Parisiis*, an. 1581. in-fol.

Græcè et *latinè*, cum *Donati* versione, *Parisiis*, an. 1628, et *Coloniæ* seu potiùs *Lipsiæ*, an. 1688, *cum libro contra Hieroclem et quinque libros contra Marcellum*, in-fol.

4.° *Historia Ecclesiastica*, in publicum emissa est :

Græcè, cum Socrate, Theodoreto et Evagrio, elegantissimis typis à *Roberto Stephano*, an. 1544, in-fol.

Latinè ex *Rufini* versione an. 1581, *Coloniæ*, et ex illâ, quæ multò anteponenda est, *Valesii* interpretatione an. 1657 *Parisiis*, vel 1720 *Cantabrigiæ*, vel 1748 *Taurini*, in-fol.

Græcè et *latinè* à *Genevensibus* cum *Joan. Christophorsoni* versione, parùm emendatè, an. 1612.

5.° *Vita Constantini* historiæ Ecclesiasticæ ferè semper adjungitur, et separatìm excusa est latinè, *Parisiis*, an. 1546, in-8°.

6.° *Liber de martyribus Palestinæ* reperitur in editione *græcâ* historiæ Ecclesiasticæ *Roberti Stephani*, et *latinâ Valesii*.

7.° *Liber contra Hieroclem* lucem vidit: *græcè*, edente *Aldo*, cum *Philostrati Apollonio*, *Venetiis*, an. 1502, in-fol., et 1535, in-8°.

Latinè ex pessimâ *Acciaioli* interpretatione sæpiùs ad calcem demonstrationis Evangelicæ.

Græcè et *latinè* an. 1709, *Lipsiæ*, cum novâ versione *Godfridi Alearii* in luculentâ Philostrati editione, in-fol.

8.° *Liber de nominibus Hæbraïcis* legi potest *latinè* inter S. Hieronymi opera; vel *græcè* et *latinè*, sivè in doctis *Bonfrerii* commentariis excusis an. 1631 et 1659 cum novâ versione, *Parisiis*, sivè ex versione B. Hieronymi curante *P. Martianai*, *Parisiis*, an. 1699, vel correctiùs curante D. *Leclerc*, *Amstelodami*, an. 1707. in-fol.

9.° *Quatuordecim opuscula* à Patre *Sirmundo* promulgata sunt latinè, an. 1643, *Parisiis*, in-8°.

10.° *Canones Evangelici* leguntur in *Polyglottis*, et in quibusdam Novi Testamenti editionibus, v. g, *Erasmi* et *Roberti Stephani*, an. 1550, atque *Antonii Cinelli*, *Venetiis*, 1624.

GALLICÆ VERSIONES.

Gallico sermone interpretata sunt :

1.° *Historia Ecclesiastica à Claudio Seysselio*, archiepiscopo Taurinensi, *Parisiis*, an. 1632, in-fol., et novissimè à *Lud. Cousin*, *ibid.*, an. 1675, in-8°.

2.° *Liber contra Hieroclem*, eodem D. *Cousin* interprete, *Parisiis*, an. 1684, in-4°., cum hoc titulo : *Discours touchant les miracles attribués à Appollonius de Thyane.*

3.° Quoad *vitam Constantini* interpretationis instar est quod auctore *Joan. Morino* prodiit opus : *Histoire de la délivrance de l'Eglise Chrétienne par l'empereur Constantin*, an. 1630, *Parisiis.*, in-fol.

§ IV.

Sanctus Hilarius Pictaviensis, an. 368.

LATINUS.

Hilarius Pictavii, ex nobilissimâ Galliarum prosapiâ ortus, paganus adhùc, liberalibus disciplinis eloquentiæque præsertìm ità operam dedit, ut Quintiliani eloquium æmulari contenderet. (*Hieron. Epist.* 84.) Conversi ad religionem Christianam animi sic ordinem exponit ipse in libro de Trinitate, cap. 1 : « Circumspicienti mihi proprium » humanæ vitæ..... multa quidem aderant quæ opinione » communi efficere utilem atque optandam vitam videbantur ; maximèque ea quæ et nunc et semper anteà » potissima inter mortales habentur, otium simùl atque » opulentia... Atque hæc quidem, quanquàm in se summa » atque optima vitæ blandimenta contineant, tamen

» non multùm videntur à consuetudine esse belluinæ
» oblectationis aliena... *Undè* non ineptam hanc *sapien-*
» *tium* esse sententiam et inutilem existimavi, conscien-
» tiam ab omni culpâ liberam conservare, et omnes hu-
» manæ vitæ molestias vel providere prudenter, vel vitare
» consultè, vel ferre patienter. Tamen hi ipsi non satis
» mihi idonei ad benè beatèquè vivendum auctores vide-
» bantur.... Festinabat animus non hæc tantummodò
» agere, quæ non egisse et criminum plenum esset et
» dolorum : sed hunc tanti muneris Deum parentemque
» cognoscere, cui se totum ipse deberet, cui famulans
» nobilitandum se existimabat, ad quem omnem spei suæ
» opinionem referret, in cujus bonitate inter tantas præ-
» sentium negotiorum calamitates tanquàm tutissimo
» sibi portu familiarique requiesceret. Ad hunc igitur vel
» intelligendum, vel cognoscendum studio flagrantissimo
» accendebatur...Porrò autem Divinum et Æternum nihil
» nisi unum esse et indifferens pro certo habebat...
» Atque ità omnipotentiam æternitatemque non nisi penes
» unum esse, quia neque in omnipotentiâ validius infir-
» miusque, neque in æternitate posterius anteriusque
» congrueret : in Deo autem nihil nisi æternum potens-
» que esse venerandum. Hæc igitur multaque alia hujus-
» modi cum animo reputans incidi in eos libros quos à
» Moïse atque à Prophetis scriptos esse Hæbreorum re-
» ligio tradebat; in quibus, ipso Creatore Deo testante
» de se, hæc ità continebantur : *Ego sum qui sum.* Et
» rursùm : *Hæc dices filiis Israël, misit me ad vos is qui*
» *est.* (Exod. 3.) Admiratus sum planè tàm absolutam
» de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incom-
» prehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam
» humanam sermone loqueretur... Sed magnificentiæ et
» virtutis suæ erat à nobis opus intelligendum... *Et ecce*

» Æterni et Incorrupti dignus rursùm auditus sermo :
» *Qui tenet cælum palmo et terram pugillo.* Et rursùm :
» *cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum*
» *meorum.* (Is. 66, 1.) His itaque piæ opinionis atque
» doctrinæ studiis animus imbutus, in secessu quodam ac
» speculâ pulcherrimæ hujus sententiæ requiescebat...
» Suberat autem omnibus his naturalis adhùc sensus, ut
» pietatis professionem spes aliqua incorruptæ beatitudi-
» nis aleret, quam sancta de Deo opinio et boni mores
» quodam victricis militiæ stipendio emererentur... Fa-
» tigabatur animus partìm suo, partìm corporis metu,
» *donec ista* doctrinæ Evangelicæ atque apostolicæ insti-
» tuta cognoscit : *In principio erat Verbum.... In sua*
» *venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem re-*
» *ceperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* »
(Joan. c. 1, v. 1. et seq.) His et longioribus ratiociniis S. Hilarius se ad fidem Catholicam adductum commemorat.

Matrimonio copulatus filiam suscepit, nomine Apram vel Abram, quæ cum matre patris exemplum secuta baptismo consecrata est. Tantâ autem innocentiâ vitæ et fidei integritate excelluit, ut omnium votis ad Pictaviensem Episcopatum vocaretur.

Cùm autem in concilio Bitterensi, an. 356, Saturnino Arelatensi Episcopo, Ursatioque et Valenti Arii partes tuentibus obstitisset, in exilium à Constantio relegatus, in Phrygiam se recepit, undè Pictaviensem Ecclesiam sacerdotum suorum ministerio absens administrare perseveravit. A Phrygiæ præfecto an. 359 Seleuciam missus ad concilium, præclarum Gallicanæ Ecclesiæ fidei de Trinitate protulit testimonium, Arianorumque errores in synodo prævalentes detestatus, dato publicè scripto, requirere à Constantio ausus est, ut solus contra omnes disputans adversarios audiretur; quem non immeritò

reformidantes Ariani, in Gallias remittendum curaverunt, Galliæque, ut ait Hieronymus, redeuntem Hilarium quasi pugilem ab arenâ victoriis illustrem jure superbientes exceperunt.

Redditâ primùm à Juliano apostatâ Ecclesiis Catholicis libertate, Hilarius plura celebravit inter Gallias concilia, quibus, damnatis Ariminensibus Seleuciensibusque erroribus, pristino restituta splendori vetus doctrina refulgeret. Hìc damnatus est cum Saturnino Arelatensi Petrocoriensis Paternus, reconciliatisque cæteris Episcopis, confessi sunt omnes, juxtà Sulpitii Severi sententiam, unum esse Hilarium, cui hæresis devictæ servatæque fidei gratiam nostra deberet Gallia. Confirmandæ etiàm in Italiâ Catholicæ doctrinæ sollicitus, plures invisit Ecclesias, hæreticorum explosurus errores, quod, teste Rufino, « vir naturâ » lenis, placidus, simulque eruditus, et ad persuaden- » dum commodissimùs diligenter et aptè procuravit. »

Anno 364 exiit ab imperatore Valentiniano I edictum, quo Mediolanenses omnes Auxentium velut episcopum habere compellerentur; quem Hilarius Ariana sentire ratus oblato imperatori libello, blasphematorem impugnavit, habitâque publicâ collatione, Christum esse Deum verum Patrique consubstantialem profiteri coëgit. Nec minùs illum animo non tenentem quod ore proferebat insectatus ab Ecclesiâ Mediolanensi expellitur, expulsusque iterùm scriptis, quem voce jàm compellare non poterat, exagitare non desinit.

Quibus pro fidei defensione exantlatis laboribus, cùm illata per longiorem pastoris absentiam ovili damna restaurâsset, immaculatum laboriosæ vitæ cursum sanctè consummavit anno Christi 368.

Scripsit 1.° *duodecim de Trinitate libros*, Quintilianum, notante Hieronymo, imitatus, tàm excellenter in

exilio confectos, ut, sivè ad confirmandam fidem, sivè ad detegendas hæreticorum fraudes, vix aliquid possit aptius excogitari.

2.° Librum de *Synodis* qui et *de Orientalium fide* aliquandò inscribitur, quo fraudulenta adversariorum verba frequentesque illorum immutationes tàm subtiliter arguere B. Hieronymo visus est, ut totum usquè ad calcem librum propriâ manu exarare insignis scriba non indecorum judicaverit.

3.° *Tres ad Constantium imperatorem libros* tantâ vehementiâ scriptos, ut acriores quibusdam visi fuerint, omnibus verò propter gravitatem rerum, veritatisque amorem meliùs excusandi.

4.° *Commentarios in S. Matthæum, et in aliquam Psalmorum partem*, quibus ad sacrorum intelligentiam librorum, Christianarumque virtutum habitus legentes informare intendit.

5.° *Epistolam ad Apram filiam*, quam illi denegat Dupinus, vindicat autem Feller, post D. Cellier; illum juvat cum infante quasi balbutientem audire, qui catholici dogmatis imperterritus propugnator, *loquebatur de testimoniis Dei in conspectu regum et non confundebatur*. (Psal. 118.)

6.° *Libros ad Constantium et contra Constantium*.

7.° *Librum contra Auxentium*, quem *elegantem* vocat Hieronymus. (*De Script. Eccl. cap.* 100.)

8.° *Varia ejusdem scriptoris fragmenta.*

Quòd si volueris quanta Hilarii enituerit fama cognoscere, audi B. Augustinum dicentem: « Ecclesiæ Catholicæ » adversùs hæreticos acerrimum defensorem venerandum » quis ignoret B. Hilarium Episcopum Gallum? » (*Contrà Jul. L.* 1, *n.*° 3.) Si ejus doctrinæ auctoritati magis attendere delectat, audi quomodò eumdem iterùm Augustinus

vocet modò *insignem Ecclesiarum doctorem*, (Ibid. l. 2, n.° 28) modò *venerabilem Catholicum disputatorem*, (Ibid. n.° 26) modò *non mediocris auctoritatis in tractatione scripturarum et assertione fidei virum*. (De Trin. l. 6, n.° 11.) Si fidei firmitatem exquiras, Hieronymo crede attestanti, quòd *in ejus scriptis pietas fidei non vacillet*. (Epist. 7, ad Læt.) Si magis eloquii modum considerare placet, Hilarius, propter omnia rapientem impetum, *latinæ eloquentiæ Rhodanus* appellatur; (*Præf. in 2 lib. comment. ad Galat.*); propter sententiarum verborumque excellentiam, *Gallicano cothurno attolli* prædicatur; (*Id. Epist.* 13, *ad Paulin.*) propter dictionis elegantiam, *Græciæ floribus adornari* jactatur; (*Ibid.*) propter autem implexum nimis dicendi modum *longis interdùm periodis involvi, et à lectione simpliciorum fratrum procùl esse* vituperatur (*Ibid.*) Qui perfectè illum intelligere voluerit theologica Græcorum verba cognoscat necesse est, quæ in linguam Latinam primus transtulit.

Nullum est verò quod huic Fortunati in ejus vitâ encomio possit conferri : « Quis, ait, abundantiam rigantis » ingenii contendat evolvere, aut ejus verba verbis valeat » exæquare ? Qualiter ille indivisæ trinitatis libros stylo » tumente contexuit, aut scripta Davidici carminis ser- » mone cothurnato per singula reseravit ? Quandò fuit » in discretione providus, in tractatu profundus, per » litteraturam eloquens, per virtutem mirabilis, in com- » plexionibus multiplex, in resolutione subtilis, astutus » juxta Prophetam, imò prudens juxta Domini vocem, ut » serpens, columbæ simplicis gratiam non amittens. Ipse » conditi sal ingenii, fons loquendi, thesaurus scientiæ, » lux doctrinæ, defensor Ecclesiæ, hostium oppugnator, » cujus dicta qui legit, non credit dicere, sed tonare. »

Claudantur hæc sæpiùs repetita Hilarii encomia veteri

quodam epitaphio, quod ex antiquo codice depromptum est :

« Hilarius jacet hâc Pictavus Episcopus urnâ,
» Defensor nostræ terrificus fidei;
» Istius aspectum serpentes ferre nequibant;
» Nescio quæ in vultu spicula Sanctus habet. »

Licèt autem tot tantisque celebratus fuerit encomiis, licèt ejus opera *inoffenso pede decurri* asserat Hieronymus (*Epist.* 7, *ad Lætam.*), non inficiandum illius quædam culputa fuisse, sivè cogitata, sive dicta tanquàm doctrinæ Catholicæ minùs consentanea, inter quæ præcipuè notanda illa de Christi passione sententia, quâ Christum vulnera quidem accepisse, à vulneribus autem non doluisse contendere videtur. Adde quòd animas corporales admittere, quòd B. Virginem in igne judicii perficiendam affirmare, quòd mundum post annorum sex millia delendum docuisse credatur. Hæc autem quæ si reverà existerent vel parva in sole labes, vel leviores in pulchrâ tabellâ umbræ non immeritò dicerentur, benignam interpretationem accipere posse plures inter doctos validis comprobaverunt argumentis.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

An. 1663, *Parisiis*, emissa est B. Hilarii editio doctis maximè commendata, curante *D. Petro Coustant Benedictino.* Sed nulla amplior et emendatior occurrit, quàm ea quæ *Veronæ* curante *Scipione Maffei* publicæ fidei tradita est, an 1730, in-fol.

Nulla referenda reperitur B. Hilarii Gallica versio.

§ V.

Victorinus, circa annum 370.

LATINUS.

Victorinus, ex Africâ oriundus, ille est de quo hæc apud S. Augustinum habentur : « Legebat sanctam Scrip- » turam, omnesque Christianas litteras investigabat stu- » diosissimè, et perscrutabatur, et dicebat Simpliciano » non palàm, sed secretiùs et familiariùs : *Noveris me* » *jàm esse Christianum.* Et respondebat ille : *Non cre-* » *dam nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesiâ* » *Christi te videro;* ille autem irridebat, dicens : *Ergò* » *parietes faciunt Christianum.* Et hoc sæpè dicebat jàm » se esse Christianum, et Simplicianus illud sæpè res- » pondebat, et sæpè ab illo parietum irrisio repetebatur. » Amicos enim suos reverebatur offendere superbos dæmo- » nicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, » quasi ex cedris Libani quæ nondùm contriverat Do- » minus, graviter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. » Sed posteaquàm legendo et inhiando hausit firmitatem, » timuitque negari à Christo coràm Angelis sanctis, si » eum timeret coram hominibus confiteri, reusque sibi » magni criminis apparuit erubescendo de sacramentis » humilitatis Verbi divini, et non erubescendo de sacris » sacrilegis superborum dæmoniorum, quæ imitator su- » perbus acceperat; depuduit vanitati, et erubuit veri- » tati, subitòque et inopinatus ait Simpliciano, ut ipse » narrabat; *Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri.* » At ille, non se capiens lætitiâ, perrexit cum eo. Ubi » autem imbutus est primis instructionum Sacramentis, » non multò post etiàm nomen dedit, ut per baptismum

» regeneraretur, mirante Româ, gaudente Ecclesiâ. Superbi videbant, et irascebantur, dentibus suis stridebant et tabescebant; *illi* autem Dominus Deus erat spes ejus, et non respiciebat in vanitates et in insanias mandaces... *Sic* ille doctissimus senex, et omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quidquid philosophorum tàm multa legerat et dijudicaverat, et dilucidaverat, doctor tot nobilium senatorum, qui etiàm ob insigne præclari magisterii, quod cives hujus mundi eximium putant, statuam in Romano foro meruerat et acceperat, usquè ad illam ætatem venerator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps quibus tunc tota ferè Romana nobilitas inflata spirabat,... non erubuit esse puer Christi tui, et infans fontis tui, (Domine), subjecto collo ad humilitatis jugum, et edomitâ fronte ad crucis opprobrium. » (*S. Aug. conf., lib.* 8. *c.* 2. *n.*° 4.).

Victorinus, licèt baptizatus, in docendi munere usquè ad annum 362 perseveravit, cùm, Juliano apostatâ christianos à tali officio prohibente, necessitati cedere coactus, totum scribendis, quæ prodessent Ecclesiæ, animum adhibuit. Ætate jàm tùm provectus, cùm ad religionem se convertit, non multò post vitam consummâsse credendus est, nec à veritate prorsùs alienus videretur qui illum circa annum 370 defunctum assereret.

Scripsit 1.° juxta Hieronymum, contra Arium libros *more dialectico valdè obscuros* qui nisi ab *eruditis* non *intelliguntur*; (de Script. Eccl. c. 3.) 2.° *Tractatum contrà Manichæos* ad Justinum, qui faciliùs intelligi potest et jucundiùs delectare; 3.° *Tractatum de generatione Verbi divini*; 4.° Librum pro asserendo *Consubstantialis* verbo; 5.° *Tres de Trinitate hymnos*; 6.° *De Manichæis poëma* 7.° *Deniquè parvum de initio diei tractatum*,

quo creationis dies non à vespere sed à meridio initium sumpsisse demonstrare conatur.

Scripserat etiàm juxta Hieronymum commentarios in S. Paulum, de quibus ità loquitur Trithemius : « Victo-
» rinus, Massiliensis rhetor, vir in secularibus litteris
» eruditissimus, in Scripturis sanctis admodùm studiosus,
» conatus est sanctas Scripturas exponere ; sed seculari
» litteraturâ occupatus, et campum divinorum eloquiorum
» sinè præceptore ingressus, quod voluit non perfecit.
» Undè quæ scripsit opuscula Christiano quidem sensu, et
» pio studio præstant, sed leviori pondere sententiæ figu-
» rantur. » (*Trith. de Script. Eccles. ad an.* 430.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Pleraque *Victorini* opera in bibliothecis Patrum leguntur ; nulla verò exstat ejus operum particularis et completa editio.

Nulla etiàm reperitur ejusdem Gallica versio.

§ VI.

Lucifer Caralitanus, *anno* 371.

LATINUS.

Lucifer Caralis, quæ est Sardiniæ metropolis, episcopus, seculi contemptu, sacrarum amore litterarum, integritate vitæ, fidei constantiâ, gratiâque divinâ notissimus, cùm episcopos ad pravos sensus cogi ægrè videret, summum Pontificem Liberium adiit, ut dissuadendi imperatoris Constantii onus libenter susciperet. Quod cùm facilè à Liberio munus obtinuisset, sic apud imperatorem egit, ut concilium, ineunte anno 355, Mediolanum congregaretur. Hic Valenti cæterisque Athanasii reprobationem

postulantibus ità fortiter obstitit, ut ab Arianis intra palatii claustra postridiè detineretur. Populi autem votis revocatus impium Constantii edictum subscribere constanter ipsos inter districtos gladios recusavit; undè Germaniciam primùm in Syriam; Eleutheropolim deindè in Palestinam amandatus, « miræ constantiæ et præparati animi ad mar» tyrium contra Constantium imperatorem scripsit li» brum » (*De Script. Eccles. cap.* 105) quem et ad ipsum mittere non dubitavit. Quo factum est, ut « tan» tus amor affectionis ejus animis omnium fuerit collo» catus, ut Eliam illum hisce temporibus nominarent. » (*S. Athan. Epist.* 2. *ad Lucif.*)

Defuncto Constantio, Julianoque apostotâ indulgentiam affectante, Lucifer anno 362, è Thebaïde, ubi fuerat relegatus, tandem redux, cùm dissidentes propter Eustathium et Meletium Antiochenses reperisset, Paulinum utroque rejecto in episcopalem sedem substituere nimiùm properavit, ne exspectato quidem S. Eusebio Vercellensi, qui, congregatâ apud Alexandriam Synodo de componendis gravissimis illis dissidiis, cunctantiùs simul et prudentiùs agebat. Hinc « Lucifer dolens quod episcopum à » se ordinatum apud Antiochiam non recepisset Eusebius, » nec ipse recipere cogitat Alexandrini decreta concilii; » sed constringebatur legati sui vinculo qui in concilio » ipsius auctoritate subscripserat. Abjicere namque eum » non poterat, qui auctoritatem ejus tenebat; sin verò » recepisset omne suum frustrandum videbat incœptum. » Diù ergò de hoc multùmque deliberans, cùm ex » utrâque parte concluderetur, elegit ut legato suo re» cepto, erga cæteros sententiam disparem, sed sibi » placitam custodiret. » (*Ruff. lib.* 1. *c.* 30.) « Hæc dùm » per tempus discordiarum geruntur, multos ab unitate » Ecclesiæ segregârunt. Quippè nova tunc exorta est hæresis

» eorum qui Luciferiani dicuntur... Nam ab Eusebii com-
» munione se abjunxit, et ea quæ à Synodo decreta fue-
» rant, studio contentionis adductus cœpit reprehendere,
» (*Soc. lib.* 3. *c.* 9) in tantùm eos qui Arimini fuerant
» condemnans, ut se etiàm ab eorum communione secre-
» verit, qui eos sub satisfactione vel pœnitentiâ rece-
» pissent... (*Sulp. Sever. hist. lib.* 2. *c.* 59.) *Undè*
» in tenebras cecidit schismatis, amisso lumine Carita-
» tis. » (*S. Aug. Epist.* 185. *c.* 47.) Novem posthàc annis in episcopatu, et, ut videtur, in schismatis insaniâ perseverans, Caralis regnante Valentiniano I, id est, an. defunctus est.

Scripsit 1.° *Duos pro sancto Athanasio libros*; 2.° *Tractatum de regibus apostatis*; 3.° *De non conveniendo cum hæreticis*; 4.° *De non parcendo delinquentibus*; 5.° *Moriendum pro Filio Dei.*

In omnibus istis operibus, unus idemque intenditur scopus nempè hæresis Arianæ exstinctio; unus idemque agit spiritus, nempè nimius asperiorque rigor; unum idemque dicendi genus reperitur, nempè, ut fatetur ipse (*de non parcend. delinq.*) *rusticus sermo*, fortè quia origine Græcus, cùm in latinâ dictione plura Græcæ linguæ magis consentanea sæpiùs occurrant. Quæ quidem posteriora, licèt non approbanda, minimè tamen, si Ecclesiæ Catholicæ fideliter addictus permansisset, prohibere posse viderentur, quominùs hoc illi tribueretur B. Athanasii encomium: « Accepimus epistolas et libros religiosissimæ
» ac sapientissimæ animæ tuæ, in quibus perspeximus
» imaginem apostolicam, fiduciam propheticam, magiste-
» rium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cœlestem,
» martyrii gloriam, triumphos adversùs hæresim Arianam,
» traditionem integram, patrum nostrorum regulam rec-
» tam ecclesiastici ordinis. O vere lucifer, qui, juxta

» nomen, lumen veritatis ferens posuisti super candela-
» brum, ut luceat omnibus! Quis enim, exceptis Aria-
» nis, non pervidet ex tuâ doctrinâ veram quidem fidem;
» maculam autem Arianorum valdè et admirabiliter, ut
» est lumen à tenebris, ità separâsti, veritatem à callidi-
» tate et hypocrisi hæreticorum, defendisti catholicam
» Ecclesiam, probâsti nihil esse, sed tantùm phantasiam,
» Arianorum verba, docuisti calcandos esse frendores dia-
» bolicos. » (*Epist. ad Lucif.*)

EDITIONES.

Excusa sunt Luciferi opera, anno 1568, *Parisiis*, curante *Joan. du Tillet*, Meldensi Episcopo (in-8.°), et posteà in bibliothecis Patrum Parisiensi, Coloniensi et Lugdunensi.

§ VII.

Sanctus Eusebius Vercellensis, anno 371.

LATINUS.

Sanctus Eusebius, in Sardiniâ natus, sed Romæ posthàc incola factus, ità omnium existimationem sibi vindicavit, ut Vercellensis Ecclesiæ episcopus ordinaretur, ubi vitam monasticam cum apostolicâ vitâ consocians, et in eodem cum clericis monasterio degens, non maxima modò virtutum ostendit specimina, sed plures etiàm præstantissimosque episcopos Ecclesiæ præparavit.

Lucifero Caralitano in susceptâ ad Constantium legatione comes addictus, concilio Mediolanensi anni 355 interfuit; sed cùm Athanasium reprobare nollet, Scythopolim in Palestinam primùm, ubi carcere, fame variisque cruciatibus penè necatus est, in Cappadociam deindè rursùsque in Ægyptum relegatus, invictum usquè ad Constantii mortem animum retinuit.

Redditâ à Juliano exulantibus episcopis redeundi licentiâ, Alexandriam pertransiit, ubi ab Episcoporum concilio dissidentes propter Eustathium et Meletium Antiochenses ad concordiam revocandi munus accepit. Cùm autem Antiochiam deveniens Paulinum à Lucifero præpoperè ordinatum reperisset, nec ordinatum suscipere, nec ordinantem vituperare vellet, nullâ cum variis partibus habitâ communione, Vercellas peragrato Oriente repetiit, cujus *ad reditum lugubres vestes Italia mutavit.* (Hieron. adv. Lucifer.)

Auxentium, Mediolanensem episcopum Arianum, S. Hilarii Pictaviensis exemplum secutus, instante frustrà Valentiniano I imperatore, pro legitimo habere constanter renuit. Eodem regnante, confessor et penè martyr occubuit, anno Christi 371.

Pauca supersunt Eusebii opera, videlicet 1°. *una* ad Constantium parva *epistola*; 2°. *altera* ad Vercellensem aliasque fideles Ecclesias; 3.° *postrema* ad Gregorium Eliberitanum, in quibus, licèt brevioribus, S. Episcopi zelum, generosique simùl Martyris divinam audaciam miraberis.

EDITIONES. PRÆCIPUÆ

Parva quæ supersunt Eusebii fragmenta reperiuntur sivè apud *Baronium* ad annum 356, n.° 92, sivè in ipsis B. Hilarii fragmentis, c. 11.

§ VIII.

Sanctus Athanasius, an. 373.

GRÆCUS.

Sanctus Athanasius Alexandriæ natus est incerto anno, ignotisque parentibus; ejus et pueritia et prima institutio

iisdem tenebris involvuntur. Paucis profanarum disciplinarum studio impensis annis, statìm, ut auctor est S. Gregorius Nazianzenus, (*Orat.* 21 *de Athan.*) ediscendis Scripturæ sacræ libris operam dedit. Indè clero addictus, diversis Sacrorum Ordinum muneribus ità, teste Theodoreto, functus est, ut omnium admirationem concitaret. Concilio Nicæno interfuit, ipsumque Arium impugnâsse traditur. Ab Alexandro Alexandriæ episcopo, qui morti proximus Athanasii nomen sæpiùs iteravit, successor designatus, Episcopatum fugâ nequaquàm declinare tentavit, annoque 326 ineunte, unanimi omnium voto electus est, et ab Ægypti, Lybiæ, Pentapoleosque Episcopis Alexandriæ congregatis pontifex consecratus.

Hinc timore perculsi et incitati furore Ariani, quibus quasi dux præerat Eusebius Nicomediensis, pacto cum Meletianis fœdere, illius à sede dejiciendi propositum inierunt. Mittuntur primùm ad Constantium imperatorem, qui Athanasium fracti calicis reum traducerent; sed agnitâ innocentiâ ab imperatore non absolvitur modò, sed laudatus dimittitur. Agebatur tunc annus Christi 331; anno sequenti innovatur eadem accusatio, imò et supperadditur occisi Arsenii reatus. Frustrà prius objiciebatur, cùm jam Ischyram, cujus calix fractus jactabatur nunquàm fuisse sacerdotem, et aliundè lecto jacentem in Ecclesiâ reperiri non potuisse, ipso Ischyrâ fatente, coram principe dudùm demonstrâsset Athanasius : posteriorem pariter deludebat perfidiam, ipsum viventem proferendo Arsenium, quem frustrà celatum ab Arianis deprehenderat. Hâc iterùm vice innocens comprobatus, congregato Cæsareæ primùm, deindè Tyri anno 335 concilio, iisdem exagitatus calumniis, publicè à pravâ muliere inculpatur, quæ ne agnoscendi quidem illius capax mendacio statim rea convincitur. Arsenii mors iterùm exprobratur, rese-

cataque, ut aiebant, manus coràm omnibus producitur; sed Arsenius, quem longiùs abesse credebatur, statim apparet et manus integras coràm omnibus expandit. Remanebat insana fracti calicis fabula; qualescumque non audiuntur modò, sed multo labore exquiruntur testes; iniquâ damnatus depositusque sententiâ ad imperatorem justitiam efflagitaturus confugit; ingerente autem Eusebiò Nicomediensi solitam frumenti ab Alexandriâ Constantinopolim translationem ab illo prohibendam, inauditus subitò Treviros in Galliarum urbem, nullo tamen in ejus locum substituto episcopo, exulare jubetur.

Defuncto Constantino Magno, divisoque inter Constantinum, Constantium et Constantem ejus filios imperio, exulantibus episcopis licentia datur ad ecclesias redeundi. Vix autem Alexandriam repetierat, cùm novis impetitur calumniis, istâque imprimis accusatione urgetur, quòd synodi sententiâ depositus, sacra rursùs sinè alterius synodi judicio invasisset. Præoccupatur Constantii animus pravâque venditi illius, quod pauperibus erogare intendebat, frumenti fictione exacerbatur. Quin et Julii papæ I mentem præripere conati Ariani, cùm ad Romanum ab eo postularentur concilium, detrectato illius judicio, ad solitas iterum confugerunt insidias.

Athanasius interea an. 336 centum episcoporum synodo absolvitur, electique an. 341 ab Eusebianis ad Alexandrinum pontificatum Gregorii certior factus, Romam ad Julium devenit, qui, illo in communionem suscepto, scriptisque ad Eusebium epistolis, cunctos ejus adversarios jubet adesse Apostolicâ judicandos auctoritate. Contemptis autem Julii mandatis Eusebiani, detentisque etiam per annum ferè integrum ejus legatis, Gregorium in Alexandrinam Ecclesiam vi adhibitâ intruserunt. Romano interim concilio iterum absolvitur Athanasius, commu-

tatisque hinc et indè Julium inter et Eusebianos epistolís, anxia et fluctuans perseverat Athanasii causa usquè ad concilium Sardicense ab imperatoribus an. 347 convocatum. Aderant simul Orientales Occidentalesque episcopi; sed non una mens omnibus; Athanasium Orientales tanquàm reum adesse, Occidentales verò tanquàm episcopum sedere volebant. Hinc scinduntur episcopi; Osius cum Occidentalibus Sardicæ congregatis, absoluto Athanasio, ejus adversarios anathemate percellunt; Orientales verò cum Eusebio Nicomediensi non Osium modò, sed et ipsum Julium à communione alienos declarant.

Defuncto autem anno 348 Gregorio, mediante Constante, à Constantio revocatur, et ab ipsis insensissimis hostibus Ursacio et Valente susceptus aliquantulùm tandem quievit, id est ab anno 350, usquè ad annum 356, quo rursùs militum præfecto Syriano intra ipsius Ecclesiæ limites impugnatur. Expellitur populus, percutiuntur Clerici, trepidæ dissiliunt Virgines, fugere in desertum cogitur ipse Athanasius. Perpetrata Constantius, dato etiam edicto, comprobare non veretur, imò et juvenum lasciviam contra sanctum pontificem incitare. Polluitur iterùm ecclesia; hinc disjecta sedilia, hinc velamenta lacera, hinc sacra proculcata indumenta, hinc ipsam episcopalem cathedram disturbatam videres. Adveniente autem Georgio in Alexandriæ episcopatum nuper intruso, non sedatur, sed augetur tumultus; atrocioribus ipsa paschalia festa facinoribus fœdantur; depulsi ab ecclesiâ fideles, dùm in desertum pascha celebraturi diffugiunt, alii à persequentibus vexantur militibus, alii etiam occisi intereunt; octoginta demùm expelluntur, et sedecim protruduntur in exilium episcopi.

Latebat intereà in deserto plura conscribens Athanasius, quoadusque regnante post Constantium Juliano Apos-

tatâ, interfectoque inter populares motus Georgio circa annum 362, Alexandriam tandem repetere licuit. Brevioris illud quietis intervallum congregando circa reduces Arianos concilio impendit; mox verò propter inconcussam fidei firmitatem Juliano invisus, ab Alexandriâ primùm, deindè ab ipsâ Ægypto amandatur. Quod ut rescivit Athanasius, ultra Nilum aufugit, ubi latitare coactus est usquè ad Joviani, principis Christiani, imperium; quem anno 363 cum epistolâ Ægyptiorum episcoporum catholicâ Antiochiam adire properavit. Joviano citiùs exstincto, baptizatus ab Eudoxio Constantinopolis Ariano pontifice Valens ejus in imperio successor, depositos sub Constantio episcopos à sedibus expellendos decrevit. Cùm verò, ne Athanasius dejiceretur, innixè obstaret populus meritòque timeret ipse, ne libertate etiam captivus exueretur, rus in ipsum atavorum tumulum se recepit, ubi quatuor delituit menses. A Valente demùm sedi suæ restitutus, vitam tantis laboribus persecutionibusque agitatam placidus in pace consummavit, anno Christi 373, pontificatûs verò 48.

Sic, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, « Cùm eum » vitæ cursum tenuisset, atque ità institutus fuisset, aliosque instituisset, ut et vita ipsius morumque ratio episcopatûs norma esset, et ipsius dogmata pro fidei Orthodoxæ lege haberentur, quod tandem pietatis præmium capit ?.... In bonâ senectute vitam claudit, patribus suis Patriarchis, et Prophetis et Apostolis ac Martyribus, qui pro veritate dimicaverunt, adjungitur; atque ut epitaphium quoddam paucis complectar, excellentiori honore in discessu afficitur, quàm quo in civitatis ingressibus ornatus fuerat; multas quidem lacrymas excitavit, majorem autem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, nominis sui gloriam in omnium animis recondidit. » (*Orat.* 21. *c.* 37.)

Sic ejus merita idem in hâc ipsâ oratione celebrat : « Athanasium laudans, virtutem laudabo. Idem enim est » illum dicere, quòd virtutem laudibus efferre : quoniam » virtutes omnes in unum collectas tenebat, vel, ut ve- » riùs loquar, tenet..... Quamdiù in nos versatus est, Ec- » clesiæ columna fuit..... Vita ipsius morumque integri- » tas episcoporum norma erat, et ipsius dogmata fidei » orthodoxæ leges habebantur. »

Sic ejus agendi rationem à quibusdam quasi vehementiorem inculpatam commendat S. Basilius : « Neminem, » inquit, ità puto de præsenti Ecclesiarum statu dolere, » atque tuam dignitatem.... Verùm quemadmodùm multa » integritatem tuam mœstitia occupat, ità arbitramur et » prudentiæ tuæ competere ut excellentem de conservan- » dis Ecclesiis sollicitudinem habeat...... Quis autem ad » ista perficienda prudentiam tuam excellit ? Quis acu- » tiùs, quid faciendum sit, expendet ? Quis ad utilium » energiâ efficacior ? Quis ad considerandam fratrum ne- » cessitatem condolentis affectu magis præditus ? Quis » universo Occidenti honorabili canitie tuâ venerabilior ? » Relinque Mnemosynon aliquid istâ conversationis tuæ » vitâ dignum, Colendissime Pater ; innumeros istos quos » pro pietate tulisti labores uno isto opere confirma. » (*S. Basil. Epist.* 48.)

Sic idem epistolâ sequenti : « Quantò Ecclesiarum languo- » res auctiores evaserunt, tantò universi ad tuam converti- » mur integritatem, unam nobis malorum consolationem » in tuâ tutelâ relictam esse credentes, qui et precum » virtute, et scientiâ rerum gerendarum, quâ quid opti- » mum factum sit admonere potes, ex horribili istâ tem- » pestate conservare nos ab omnibus, qui aliquantulum » integritatem tuam vel auditu, vel experientiâ cognove- » runt, crederis » (*Idem*, *Epist.* 49.)

Omnia S. Athanasii opera vel ad sacram Scripturam, vel ad religionis dogmata, vel ad moralia præcepta, vel ad hujus, quo vivebat, temporis historiam pertinent.

I.° Quidem inter opera in sacram Scripturam recensentur, 1.° *Scripturæ sacræ utilissimum epitome*, 2.° *liber ad Marcellinum* de Psalmis, 3.° *tractatus in verba Christi de peccato contra Spiritum Sanctum admisso*, 4.° quædam breviora *excerpta*.

II.° Inter opera quæ ad dogmata religionis spectant, numeranda inprimis: 1.° *duo contra Gentes tractatus*, quorum posterior de *Incarnatione* inscribitur, quibus non tam docendos Christianos, quàm adducendos ad veritatem paganos suscipere videtur; 2.° *quatuor contra Arianos libri*, quibus Incarnationis doctrinam astruit; 3.° quædam de eodem argumento *epistolæ*; 4.° *de expositione fidei*; 5.° tractatus iterùm de Incarnatione et contra Arianos; 6.° *duo contra Apollinarem libri*; 7.° *de Trinitate et de Spiritu Sancto*.

III.° Ad moralem referuntur, 1.° *epistola ad Dracontium, de episcopatûs fugâ*; 2.° *epistola ad Ammonium, de matrimonio*; 3.° *vita Sancti Antonii*, quâ multa ad monachorum institutionem conducentia leguntur.

IV.° Inter historica deputantur opera, 1.° *ad Constantinum apologeticus liber*; 2.° *duæ iterùm apologiæ*; 3.° *epistola ad solitarios*; 4.° *de Ariminensi et Seleuciensi synodis*; 5.° *Synodi Nicænæ* defensio; 6.° *plures epistolæ*, quæ ad cognoscendam hujus temporis historiam, confirmandamque fidei doctrinam plurimùm conferre possunt. De quibus ità loquitur Photius: « Lectæ Athanasii » epistolæ eleganter simul et splendidè claréque compo- » sitæ; persuadendi insuper vi et venustate floridæ. » (*Bibl. Cod.* 32.)

Joanne Piscatore, in quâ mendosa non desunt, tùm præsertim an. 1698 plenior et accuratior, curante post *Jacob. Lopinum D. de Montfaucon Benedictino*, *Parisiis*, 3. vol. in-fol.

VERSIONES GALLICÆ.

Gallicè habentur :

1.° *Vita S. Antonii* interprete *Arnaldo d'Andilly* in collectione actorum patrum Eremiticorum, *Parisiis* 1747, in-4°.

2.° *Oratio contra eos qui ad cognoscendam veritatem solam adhibent auctoritatem multitudinis* vertente D. *Leroi de Haute-Fontaine*, *Parisiis*, 1551, in-4°. cum notis præstantissimis. — Eadem ex novâ versione pariter excusa est, *Parisiis*, circa an. 1730, in-4°.

§ IX.

Marcellus Ancyranus, *anno* 374.

GRÆCUS.

Marcellus, Ancyræ, quæ est Galatiæ metropolis, jam ab anno 314 episcopus, concilio Nicæno anno 325 interfuit, ubi adversùs Arianam impietatem plurimùm invaluit. Asterium sophistam Arianorumque patronum, scripto celebri opere, confutavit. Athanasii partes fortiter propugnavit in Synodo Tyriensi anno 335, et in alterâ Hierosolymis eodem anno celebratâ; undè illis invisus, damnato primùm adversùs Asterium libro, Constantinopoli anno 336 depositus est, Romam ad Julium I summum pontificem confugit, à quo in communionem susceptus est synodo Romæ habitâ anno 341, ubi et ejusdem contra Asterium doctrina catholica declarata est. In concilio Sardicensi

anno 347 iterùm absolutus et in sedem restitutus, propter tunc primùm emergentes Photini, qui *auditor ejus in adolescentiâ fuerat*, errores, (*Sulpit. Sever. lib.* 2.) *quasdamque prædicationes ambiguas* (Hilar. fragment.) rursùs malè cœpit audire. Hinc « cùm aliquandò beatum papam Athanasium interrogaret *Epiphanius*, (Hæres. 72. n.° 4.) quid de Marcello existimaret, ille neque purgavit hominem, neque asperiùs notavit; sed leniter arridens, non multùm ab improbitate abhorruisse significavit, et in eorum loco qui se purgâssent habuit. »

Imò et S. Basilius (*Epist.* 69.) Athanasium, scriptâ epistolâ, monitum voluit proscribendam esse Marcelli hæresim, cujus vestigia ipse in ejus scriptis manifesta deprehenderat. Quo certior factus Marcellus, Eugenium Ancyræ diaconum cum epistolis ad Athanasium misit, quibus expositâ fidei professione doctrinæ suæ integritatem confirmaret, Photinique et Sabellii reprobaret errores. Hinc nullus superest dubitandi locus, quin fidei catholicæ in omnibus consentiens mortem obierit, ità ut SS. Hilarius, Basilius, Chrysostomus, necnon et Sulpitius Severus, qui Marcellum Sabellianæ impietatis reum traducunt, Arianorum clamoribus fuerint decepti. Provectâ ætate defunctus est, et penè centenarius, anno Christi 374.

Ex multis diversarum materiarum, quæ scripserat *voluminibus*, (Hieron. de Scrip. Eccles. c. 86.) tantummodò supersunt, 1.° *epistola ad Julium papam*; 2.° *fidei confessio* quam Julio Romæ obtulit; 3.° *legatio Eugenii* Athanasio oblata ad repellendam Sabellianæ hæresis suspicionem; 4°. *quædam fragmenta libri contra Asterium* apud Eusebium Cæsariensem.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

1.° *Fidei confessio ad Julium* legitur in epistolis decretalibus D. *Coustant*, pag. 390.

2.° *Legatio Eugenii* in collectione patrum D. *de Montfaucon*, *Parisiis*, 1706.

§ X.

Sanctus Basilius, *an.* 379.

GRÆCUS.

Sanctus Basilius, à Theodoreto primùm, et deindè ab omnibus Ecclesiæ seculis *Magni* cognomento insignitus, *Neocæsareæ*, quæ anteà *Mazaca*, in Ponticâ Cappadociæ regione, vertente anno 329, clarissimis sanctissimisque natalibus ortus est; cujus ea fuit gloria, ut inter consanguineos, non commendabiles tantùm juxta mundanam sapientiam viros, sed et juxtà Evangelicas leges perfectissima Christianarum virtutum exemplaria numeraret.

Avia enim, Macrina illa vetus, cujus memoria inter Sanctos 14 januarii die recolitur; pater Basilius major, cui eosdem honores tribuit Ecclesia 30 maii; mater, Emmelia, quæ eodem cum marito die celebratur; soror autem, Sancta Macrina junior, et fratres, S. Gregorius Nyssenus, natu major, Naucratius monachus, beatusque Petrus episcopus Sebastenus, præter quatuor alias, ut videtur, puellas, quæ inter mundi pericula degentes pietatis nihilominùs laude inclaruerunt, ità ut beati illi parentes cum novem à se progenitis, non cœlestem tantummodò gloriam, sed terrenos etiam sanctitatis honores invadere prævaluerint.

Apud aviam Macrinam aliquandiù enutritus, ità optimæ fæminæ sermonibus imbutus est, ut nunquàm extirpanda veræ pietatis semina intrinsecùs susciperet; cui etiam accesserunt primæ liberalium disciplinarum ab ipso patre, eloquentiæ gloriâ notissimo, collatæ notiones, Quo defuncto, Cæsareæ primùm, ubi tunc vigebant scientiæ, Antiochiæ posteà et Constantinopoli ubi magistro usus est celeberrimo rhetore Libanio, qui juniorem discipulum in publico dicentem nunquàm sinè admiratione auscultabatur; Athenis deniquè, quò omnes doctrinæ cupidi undiquè confluebant, ità, disserentibus Himerio Proæresioque bonarum litterarum studio profecit, ut pietas laboris assiduitate minimè læderetur.

Hìc præcipuè crevit, incœpta primùm Cæsareæ, cum Gregorio Nazianzeno familiaritas, quâ copulati, innexi, et velut *conglutinati, par quoddam non obscurum et incelebre non solùm apud socios, sed etiam apud universam Græciam et erant et dicebantur.* (S. Gregor. Nazianz. Orat. 43. n.° 22.) Nulla cum improbis, et procacibus, et impudicis, et religioni insultantibus societas; nulla nisi cum bonis, et verecundis, et virtutis amantibus colloquendi consuetudo: « Duas tantùm vias notas habebant, » *unam* ad sacras ædes, *alteram* verò ad externos pro- » fessores, cæteras autem omnes quæ ad festa, specta- » cula, celebres conventus, epulas ducebant æquo ac » libenti animo aliis relinquentes. » (*Ibid. n.*° 21.) Omne vel pietati, vel studio tempus impensum: modò legere quæ probatissimi scriptores omnibus absoluta numeris conscripserant; modò perlecta iterùm atque iterùm meditari; modò meditata fidelibus chartis committere; modò commissa chartis sæpiùs stylo verso retractare; modò retractata inter se communicare denuò retractanda; nec etiam prætermittere exteriorem dicendi formam, corporis

statum, vultûs compositionem, oculorum nutus, vocis inflexiones, brachiorum manuumque elegantiores motus; laborem ubiquè adhibere; laborem ubiquè dissimulare. Sic naturâ et industriâ magni fiunt oratores.

Talis ergò evasit Basilius, ut ipsismet Athenis velut oraculum haberetur, discipulique simul et magistri, quasi conjuratione factâ, ne discederet, omnibus nervis contenderent. Sed neque mirantium preces, neque amici ipsius Gregorii, quem Athenis relinquere coactus est, dura separatio obsistere potuerunt, quominùs Cæsaream an. 355 repeteret, ubi rhetoricam docere, causasque forenses agere instituit, eorum more, qui perfectioris eloquentiæ clariorisque nominis gloriam ambiebant. Damnosæ optimis etiam viris laudes; vanæ gloriæ stimulos ipse persensit Basilius, tantâ licèt imbutus philosophiâ, tantâ licèt religione supra terrena exaltatus. Quo perterritus animæ periculo, hortante præsertim sorore Macrinâ, Gregorioque Nazianzeno, maximam divitiarum partem pauperibus erogavit, vitamque monasticam aggressus est; cujus ut tremenda magis pernosceret officia, Syriam, Mesopotamiam, et Ægyptum peragravit, ut sanctorum Eremi incolarum exempla et videret, et miraretur, et imitari addisceret.

Anno 357 à Dianæo episcopo Cæsariensi baptizatus et sequenti anno lector ordinatus, sed ab ejusdem brevi, utpotè Arianis nimiùm faventis, communione sejunctus, *in Pontum profugus*, atque *cum Eliâ et Joanne solitudinem amplexus*, *pietatis Gymnasia*, conditis pluribus mulierum virorumque monasteriis, *sapienter moderatus est*; (Idem, ibidem, n.° 29.) ità orationi deditus, ut semper et ubiquè Deum præsentem attenderet; ità pauperum amans, ut, quæ adhuc supererant bona temporalia, intercedente an. 359 fame, egentibus ad assem divi-

deret ; ità pœnitentiæ addictus, ut pane et aquâ semel in die contentus, vix aliquas festivis diebus herbas adhibere sustineret, corpusque humi recumbens, imposito etiam domaret cilicio ; ità animarum salutis desiderio inflammatus, ut cum rudibus agricolis prima fidei principia balbutire tantus doctor oratorque tantus non dedignaretur. Hæc ipse testatur Gregorius Nazianzenus, qui Basilii solitudinis felicitatisque aliquandiù particeps factus, parvam illam, quam simul incoluerant, ædem, necnon et parvum, quem manibus exercuerant, hortum animo votisque, episcopus licèt, indesinenter repetebat.

Cæsaream an. 362 reversus, defuncto in fide catholicâ Dianæo, præsbyter ab Eusebio ejus successore reluctans consecratus est, ejusdemque invidiâ non ità multò post ab Ecclesiâ Cæsariensi depulsus. Ubi mundi sectatores lugere solent, ibi solent gaudere Christi discipuli : recuperatâ igitur libertate gaudens Basilius, Ponti solitudines anno sequenti repetiit.

Qui facilis invidiæ cesserat, facilis invidiam condonavit. Exagitatâ à Valente Ariano Ecclesiâ, ab Eusebio revocatur ; periclitante fide tremefactus, injuriæque immemor statim adest ; vincuntur Ariani ; confirmantur in sacrâ doctrinâ Ecclesiæ filii ; qui libentiùs peccabant, ad virtutem revocantur ; qui tristi inter se dissidebant discordiâ, pacis fœdus ineunt ; qui jam consumente fame perimendi languebant, indefessâ illius liberalitate recreantur. Hinc Eusebio gratus, hinc acceptus populo ; hinc mortuo Eusebio, an. 370 episcopus à populo designatus.

Tunc seipso major, splendidiori lumine perfundi : vesperè et manè, ferialibus etiam diebus, sacram evolvebat doctrinam ; nec ejus sermones assiduitate vilescebant. Tantus erat audientium numerus, ut illos immenso *mari* ipse conferat ; (*Hexaëm. Hom.* 2. *et* 3.) tantus in corde

» hujusmodi rebus in certamen veniens. Nam cæteris
» quidem in rebus, ô præfecte, mansueti et placidi sumus,
» atque omnium abjectissimi, quemadmodùm hoc nobis
» lege præscriptum est; ac non dicam adversùs tantum
» imperatorem, sed ne adversùs plebeium quidem quem-
» quam, et infimi ordinis hominem supercilium attolli-
» mus. Verùm ubi Deus nobis periclitatur, ac proponitur,
» tum demùm alia omnia pro nihilo putantes ipsum so-
» lum intuemur. Ignis autem, et gladius, et bestiæ, et
» ungulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac deliciis
» potiùs sunt quàm terrori. Proindè contumeliis nos af-
» fice, comminare; fac igitur quidquid collibuerit; po-
» testate tuâ fruere; audiat hæc etiam imperator; nequa-
» quàm profectò nos vinces, nec efficies ut impiæ doc-
» trinæ assentiamus, ne si his quidem atrociora minite-
» ris.... Ipse autem præfectus, quàm celerrimè potuit,
» imperatorem adiens : Imperator, inquit, ab hujus Ec-
» clesiæ antistite victi sumus. Minis superior est, ser-
» monibus firmior, verborum blanditiis fortior. Ignavio-
» rum aliis quispiam tentandus est : huic autem, aut vis
» apertè inferenda, aut non exspectandum ut minis ce-
» dat. » (*S. Gregor. Naz. Orat.* 43. *n.°* 48.—51.)

» Cùm (autem Valens) in templum universâ satelli-
» tum manu stipatus ingressus fuisset, (erat autem Epi-
» phaniæ dies, cœtusque amplissimus) ac inter laicos
» locum habuisset, ... postquàm intùs fuit, atque ipsius
» aures Psalmorum cantu, non secùs ac tonitruo quodam
» personuerunt, plebisque pelagus vidit, omnemque or-
» dinem et concinnitatem, quæ tam in sacrario quàm
» propè sacrarium erat, angelicam potiusquàm huma-
» nam; atque ipsum quidem antè populum recto corpore
» stantem; qualem Scriptura Samuelem describit, (1.
» *Reg.* 19. 20.) nec corpore, nec oculis, nec animo,

» perindè ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se
» moventem, sed in cippi modum, ut ità dicam, Deo
» et altari affixum; eos autem à quibus cingebatur, cum
» timore quodam ac reverentiâ stantes : hæc, inquam,
» simùl atque perspexit, (nec enim simile quidquam un-
» quàm viderat,) humanum quoddam passus est, ejusque
» oculi et anima vertigine ac tenebris præ timore replen-
» tur. Atque id plerisque adhuc obscurum erat et incog-
» nitum. Verùm cùm dona, quorum ipsemet opifex erat,
» divinæ mensæ offerenda essent, nec quispiam, ut mos
» ferebat, simùl ea caperet, utpotè incertum, an ea
» Basilius accepturus esset, tùm manifestè se affectus
» prodidit. Ità enim titubare cœpit, ut nisi quispiam ex
» sacrarii ministris vacillantem suppositâ manu retinuis-
» set, miserè utique et luctuosè prolapsurus fuerit. » (*Id. ibid. n.*° 52.)

Hinc pax aliqua datur; sed non diuturna. Mox exulare jubetur Basilius; ægrotante verò filio principis, missum retractatur imperium, sanitatique à Basilio puer restituitur, eâ conditione quòd religioni catholicæ addiceretur: conditio non impletur; moritur infans. Nec ideò conversus ad meliora Valens, Basilium rursùs in exilium mittere statuit; sed scribere prohibetur; arundo, quâ litteræ tunc exarari solebant, inter manus confringitur; adhibetur altera, tertia adhibetur, et istæ pariter confractæ dissiliunt; adhùc illo instante, brachium et manus insolito motu concutiuntur; quo tandem prodigio territus, laceratâ chartâ, pontificem in pace dimittit, quæ tamen usquè ad Valentis mortem anno 378 à Demosthene, Cappadociæ præfecto, non semel turbata est.

Anno denique 379, regnante catholico principe Gratiano, primâ januarii die, cùm hæc verba protulisset : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, (Luc.

23. 46.) inter omnium lacrymas, supremum diem obiit, anno ætatis 51, pontificatûs autem incipiente nono.

» Ast urbs et tellus Cappadocûm ingemuit,
» Ac simùl hanc mundus vocem dedit : Occidit almus
» Præco ille, et vinclum fœderis eximii. »

(*Nazianz.* 64)

Totus verò; ut ità dicam, vivit adhùc sibi superstes in mirabilibus istis, quæ tanquàm pretiosas reliquias ab eo suscepimus, scriptis, quorum hæc sunt præcipua: 1°. *Hexaëmeron* Ἑξαήμερον seu explicatio operis sex dierum, quæ 9 homilias complectitur, à Gregoriis Nazianzeno et Nysseno, nec non et Ambrosio maximè commendata; 2°. 13 *in psalmos Homiliæ;* 3°. 5 *contra Eunomium libri;* 4°. *Commentarius in Isaïam*, qui Basilio videtur adjudicandus; 5°. *Homiliæ* 24 *de diversis, et de festis martyrum;* 6°. *Ascetica*, quæ in explicandis moralibus officiis versantur; valdèque ùtilia prædicantur à Photio. (Bibl. cod. 191) Sub Asceticorum autem nomine vulgò concluduntur *tres asceticæ orationes, libri de judicio Dei et de fide, moralia, duæ aliæ orationes*, quæ specialem titulum non præferunt, *regulæ majores* 55, *et regulæ minores* 313, *quædam statuta* circa monachorum monialiumque castigationem, *monasticæque* demùm *constitutiones;* 7°. *Liber de Spiritu sancto* ad Amphilochium, ubi sancti Spiritûs divinitatem asserit; 8° Epistolæ 336, quas Photius tanquàm perfectissimum exemplar proponit, si quis in hoc scribendi genere præcellere contendit; (Bibl. cod. 143) 9°. *Liturgia* quæ S. Basilio tribuitur, sed quæ ab ipso confecta minimè asseverari potest.

Quantus verò fuerit Basilius optimè poteris cognoscere, si attentè legeris illud Basilii encomium, quod Desid. Eras-

mus B. doctoris editioni anni 1532 præfixit : « In Basi-
» lio, inquit, nescio quid morosulus etiàm lector possit
» desiderare. Manat è sanctissimo pectore, cunctisque
» humanis cupiditatibus defœcato, simplex ac naturalis
» oratio; præstantur omnia quæ potest ars, nec ulla
» tamen usquàm artis significatio. Agnoscas ibi summam
» mundanæ philosophiæ cognitionem, sed nullam prorsùs
» ostentationem. Sentias illum callere disciplinas libera-
» les, et in his mathematicas omnes; sed sic adhiberi,
» ut nihil aliud quàm ancillentur pietati. Divinarum Scrip-
» turarum testimonia tàm concinnè admiscet orationi
» perpetuæ, ut gemmas purpuræ non assutas, sed ibi
» natas dicas. Nec in uno tantùm genere excellit. Tanta
» erat ingenii dexteritas, ut quocumquè se intendisset,
» felicissimè rem gereret, in enarrandis sacrorum volu-
» minum mysteriis, mirè διδακτικός, diligens, cautus,
» apertus, minimèque violentus. Ad genus panegyricum
» putatur maximè naturâ fuisse compositus, in quo sic
» orationem attemperat ad animos auresque multitudi-
» nis, ut et imperitis sit perspicuus, et eruditis admi-
» randus. In disputando adversùs Eunomium, cùm admira-
» bilem habeat subtilitatem, nusquàm tamen ab orationis
» perspicuitate recedit : atque intra catholici dogmatis
» defensionem sese continens, nusquàm evagatur in con-
» vicia nihil ad causam facientia. Nec sui dissimilis est
» in opere ad Amphilochium de Spiritu sancto, sed quod-
» cumque tractat argumentum, nusquàm illum destituit
» perpetua dictionis sanitas ac jucunditas, eaque non
» ascita, sed nativa. Adest ubique, juxta nomen illius,
» regia quædam majestas cum admirabili quâdam hu-
» manitate conjuncta. » (*Desid. Erasm. epist. ad Sadolet. episc. Carpentor.*) Idem sentit D. Rollin, qui S. Basilium inter primos oratores collocandum, unumque è doctissi-

mis eloquentiæ magistris habendum esse declarat. Quâ quidem in sententiâ veterum judicio consenserunt, qui semper et ubiquè dignas Basilio laudes profuderunt.

« Nullum est, inquit Gregorius Nazianzenus, disciplinæ » genus, in quo versatus non fuerit, atque ità eximiè » versatus, quasi in eo solo laborâsset..... Quis in rhe- » toricâ, illâ, inquam, vim ignis spirante, cum eo com- » parandùs ?..... Quis in grammaticâ ?..... Quis in phi- » losophiâ, in quâ adeò excelluit, ut iis qui cum eo » disputabant facilius esset à Labyrinthis sese extricare, » quàm argumentorum ejus laqueos effugere ?..... Sed » quid hæc, tametsi magna et præclara, si cum morum » illius doctrinâ dicendique facultate conferantur ? Quis » seipsum magis spiritui purgavit, atque ità se compa- » ravit, ut dignus esset qui oracula divina explanaret ? » Quis rursùm majore scientiæ luce collustratus est, » atque in profunda spiritûs prospexit, ac cum Deo, quæ » Dei sunt, exquisivit ? Quis porrò sermonem habuit » animi sensa meliùs exponentem, ità ut neutrâ parte » claudicaret,.... sed verè integer esset et perfectus ?... » Quænam hodiè alia ullius conventûs lætitia ? Quæ con- » viviorum voluptas ? Quæ fori, quæ ecclesiarum, quæ » principum et privatorum deliciæ ? Quæ monachorum » aut eorum qui societate gaudent ? Quæ eorum qui se » à negotiis removerunt, vel eorum qui in rebus ge- » rendis versantur ? Quæ eorum qui profanæ, vel eorum » qui nostræ disciplinæ studium profitentur ? Una et per » omnia et maxima oblectatio illius volumina et lucu- » brationes,.... atque is apud nos eruditissimus habetur » qui libros ipsius quàm maximè intelligit, ac linguâ » versat, auribusque instillat..... Hoc tantùm de eo di- » cam : Cùm *Hexaëmeron* illius in manus sumo, atque » in ore habeo, cum Creatore conjungor, ac creationis

» rationes cognosco....; cùm libros eos, quibus hæreti-
» corum scripta refutat, lego, Sodomiticum ignem cerno,
» quo improbæ ac sceleratæ linguæ in cinerem rediguntur....; cùm ea quæ de Spiritu sancto scripsit evolvo,
» Deum, quem habeo, nanciscor, veritatem libero et
» fidenti animo prædico, illius videlicet theologiæ atque
» contemplationi insistens; cùm alias ejus enarrationes
» *circa scripturas* perlego....... eò adducor ut non in
» externo litteræ cortice pedem figam,....; sed ex pro-
» fundo in profundum transeam, abyssum per abyssum
» invocans, ac per lumen lumen inveniens, quoadusque
» ad summum tandem verticem pervenero; cùm mar-
» tyrum encomia lego, corpus contemno, et cum iis, qui
» laudibus efferuntur, animo versor, atque ad certamen
» excitor; cùm orationes eas quas de moribus ac benè
» vivendi ratione scripsit in manus accipio, animo et
» corpore purgor, templumque Dei capax...., et divinâ
» quâdam immutatione alius ex alio efficior.» (*Orat.* 43.
» *n°*. 23. 65. 67.)»

Porrò S. Ephræm præter alia quæ agnoscit in Basilio, hæc de illo ad illum conversus pronuntiat : « Instar Petri
» prædicâsti, instar Pauli docuisti, instar Thomæ Dei
» Filium confessus es, instar Matthæi, Marci, Lucæ,
» Joannis de rebus divinis disseruisti.»

A quo non dissentit S. Gregorius Nyssenus, dicens :
» Hujus oratio atque prædicatio omnem propèmodùm
» terrarum orbem amplexa est, cùm etiam ipse, æquè ac
» Pauli sermones, ab omnibus probaretur et expeteretur.»
(*Orat. de Basil.*)

Quin et ut paucis omnia complectamur, dicitur à Theodoreto *Cappadociæ, vel potiùs orbis universi lumen*, (*Epist.* 146.) à Sophronio *decus Ecclesiæ*, (*Apud Phot. cod.* 231.) ab Isidoro Pelusiotâ, *pater divino Spiritu*

afflatus, (*Epist.* 61.) à concilio Chalcedonensi *minister gratiæ*, (*Concil. tom.* 4. *p.* 825.) à concilio Nicæno secundo, *vir qui omne quod sub cœlo est, planam rectorum dogmatum basim edocuit.* (*Ibid. p.* 450) « Cujus, ait Nazianzenus, tanta virtus gloriæque præstantia fuit, ut » multa etiàm ex parvis illius virtutibus, atque adeò ex » corporis defectibus, ab aliis ad gloriam nominisque cla- » ritatem parandam excogitata sint : cujus generis sunt » pallor, barba, certus incedendi modus, tùm etiàm ad » loquendum minimè promptum esse, sed ut plurimùm » cogitabundum atque intrò collectum; id quod multi » non rectè imitantes, nec animadvertentes, in odiosam » quamdam tristitiam inciderunt. Vestis etiàm genus, » et lectuli species, et cibi sumendi modus; quorum ille » nihil studiosè adhibuit, sed simpliciter et prout con- » gruebat..... Illud verò non jàm parvi, sed maximi etiàm » momenti, ad gloriam non immeritò existimatur, con- » suetudinem cum eo aliquandò habuisse, aut etiàm » coluisse, aut quidpiam ab eo joco vel seriò dictum » aut factum, monimenti loco ferre, quemadmodùm » ipse quoquè (Nazianzenus) me hoc nomine sæpè glo- » riatum esse scio : quoniam quæ ab illo velut obiter » fiebant, multò præstantiora, atque illustriora erant, » quàm ea in quibus alii elaborabant. » (*Orat.* 43. *n°.* 77.)

Sic deniquè Photius B. Basilii eloquentiam laudibus extollit : « Purâ dictione, significante, propriâ et omninò » civili ac panegyricâ, si quis alius, uti novit, sensuum- » que ordine ac puritate primus, et nemini secundus ap- » paret. Jam persuadendi quoque vim ac jucunditatem » cùm perspicuitate amat, atque ità ejus fluit oratio, quasi » ultrò tanquàm è fonte rivulus scaturiret. Verisimilitudine » autem usque eò est usus, ut si quis ejus sermones » pro civilis orationis exemplo sibi proposuerit, in iisque

» sese exercuerit, nullum alium prætereà, quantùm » quidem existimo, desideraturus esse videatur, non ip- » sum quoquè Platonem, sive Demosthenem, quos ta- » men versandos antiqui præcipiunt iis, qui in oratores ci- » viles ac panegyricos evadere cupiunt.» (*Bibli. Cod.* 141.)

Nec illa etiam Basilio defuit gloria, ut versibus quoquè exornaretur. Sic enim Cyrus Theodorus Prodromus, cujus græcos versus ità latinè convertendo aliquandò ludebam.

« Cappadocum, Basili, laudum decus accipe, præsul,
» Moribus immotis ingenioque tenax;
» Qui vultu vitâque doces pietatis amorem,
» Doctoremque tacens sobrietatis agis;
» Qui subis æquoreas altæ rationis abyssos,
» Præcipitis cymbâ mentis adorsus iter.
» Salve hominum vitæ, Basili venerande, magister,
» Quo redit oblitam mundus ad harmoniam;
» Ut divina tuâ sapientia luce refulsit!
» Inculpata prior posteriorque manet.
» Sacro intentantem malè sanâ mente furores
» Spiritui Eunomium fulminis igne feris.
» Tu labyrintheas filo deludere fraudes,
» Ambiguosque potens solvere voce dolos.
» Tu cunctas meritus rerum cognoscere causas,
» Non parcus cœli munere nota tenes,
» Nunc terræ tractus, lati nunc invia cœli,
» Vitalem hinc flatum, luminis indè jubar,
» Imò et brutarum memoras genus omne ferarum,
» Quas mare, quas cœlum, quas humus alma ferunt.
» Nec variæ herbarum species, virtusque tacetur;
» Factorum monachi nec moderator abes.
» Salve, hominum vitæ rectâ dux tramite, salve,
» Qui juvenis frænum, qui decus omne senis.»

Editiones præcipuæ.

Opera S. Basilii excusa fuerunt :

Græcè an. 1532 *Basileæ*, 1535 *Venetiis*, et 1551 iterùm *Basileæ*, quæ ultima auctior prædicatur.

Latinè autem an. 1616 *Antuerpiæ*, et 1618 *Coloniæ*, ex variorum interpretatione, curante *Andreâ Schotto*, in-fol.

Græcè demùm et *latinè*, tùm an. 1618, *Parisiis*, *Frontonis Ducæi et Frederici Morelli* operâ, quæ nitida et emendata editio minùs accuratè an. 1638 ibidem recusa est; tùm an. 1721, quoad primum tomum, 1722, quoad secundum, *Julii Garnerii* curâ, et 1725, quoad tertium, studio *Prudent. Marand* Benedictini, *Parisiis*; quæ editio hùc usquè principatum tuetur.

Versiones gallicæ.

In *gallicam* linguam versa sunt :

1.° *Ascetica*, à D. *Hermant*, cum nôtis, an. 1673, et 1727, in-8°.

2.° *Epistolæ* ex interpretatione D. de *Morvan de Bellegarde*, *Parisiis*, 1693, in-8°.

3.° *Moralia* opera D. *Leroi de Haute-Fontaine*, 1660, *Parisiis*, in-12.

4.° *Orationes* curâ iterùm D. *de Bellegarde*, cum sermonibus Asterii Amaseni 1693, *Parisiis*.

5.° *Oratio dè modo legendi gentilium libros à Claudio Pontun* 1561, *Parisiis*, in-8°.

6.° *Liber, quòd Deus non sit auctor malorum*, ignoto interprete, 1584, *Rothomagi*.

§ XI.

Sanctus Ephræm, *an.* 378.

SYRIACUS.

Sanctus Ephræm, Edessenus cognomine, quia Edessæ vitam egit monasticam, et origine Syriacus, lucem vidit Nisibi, in celeberrimâ Mesopotamiæ urbe, pauperibus quidem parentibus, qui labore victum quæritabant, sed divite martyribus familiâ, ità ut pater ipse et mater sub Diocletiano ejusque successoribus Christi fidem confiterentur.

Deo ab infantiâ devotus, baptismum non nisi annos octodecim natus suscepit. Levissimas quas junior admiserat culpas, continuis purgare lacrymis satagebat, quanquàm, teste Sozomeno parvos tantùm iracundiæ motus in totâ juventute deflendos reperiret. (*Lib.* 3. *c.* 6.) Hæc autem graviora duo sibi exprobrat in confessionum libris peccata, prius quidem quòd vicini hominis juvencam ludendo in montem expulerit à bestiis devorandam; posterius, verò quòd semel utrùm Dei providentia cunctis hominum actibus intenderet, paululùm dubitaverit.

Cujus quidem altiùs inculcandæ veritatis occasionem præbere visus est Deus, præparato tristi quidem, sed salutari eventu, quem ipse in libro de suâ conversione narrat, cujusque talis est summa. Quodam die à parentibus in suburbium extra civitatem missus, juvencam ferentem uterum ità lapidibus insectatus est, quoadusquè in terram caderet et moreretur; imò et obvium pauperem cujus erat juvenca contumeliis oneravit. Mox autem falso furti crimine accusatus in carcerem dejicitur, ubi duos viros

vinctos reperit, quorum alter falsò pariter insimulabatur homicidii, alter autem adulterii. Quibus interrogatis, intellexit illos quidem intentati criminis expertes, sed aliorum gravissimorum delictorum reos à providentiâ exagitari. Prior enim dejecto cuidam in flumen, frustràque auxilium imploranti manum porrigere renuerat; posterior verò a duobus fratribus sororis spoliationem meditantibus ad hoc inductus fuerat, ut coràm judice illam, quod verum non erat, scortatam esse affirmaret, undè bonorum exhæres fieret paternorum. Post illos autem tres alii adducuntur viri, quos pariter objecti criminis reperit innocentes; primus autem ille ipse erat, qui miserum, de quo suprà, in fluvium projecerat; duos verò alios illos esse fratres deprehendit, qui sororem innoxiam bonis jure debitis adhibitâ spoliaverant calumniâ. « Ipse » autem præter expectationem salvatus, è vestigio ac sine » ullâ morâ in montem ascendit ad magnum venerandum» que senem, ad cujus pedes procidens, enarratisque ei » cunctis quæ acciderant, assumptus est in monachum. »

Suscepto autem baptismate, ità judiciorum Dei percellebatur terrore, ut *dies antiquos cogitaret semper, et semper annos æternos in mente haberet.* (Psalm. 76. 6.) Hinc continua lacrymarum fluenta; hinc prolixæ orationes; hinc repetitæ vigiliæ; hinc jejunia longa, omnisque generis macerationes. Quibus ut liberiùs vacaret, suscepto habitu monastico, morem agere cœpit eremiticum, ità labori addictus, ut manibus vitam toleraret; ità humilitatis cupidus, ut omnium contemptum ambire videretur, ità paupertatis amans, ut nihil ubique terrarum possideret; ità præsertìm patientiæ studiosus, ut *mansuetudo* vel *pacificus Dei* vocaretur.

Multos in eremo traduxit annos, mundo, ut ità dicam, corporique alienus, sæpè à pravis vexatus mona-

chis, sed exemplis SS. Juliani, Jacobique Nisibensis monitis recreatus. Quo circa annum 338 defuncto, Edessam petiit reliquias fortè S. Thomæ Apostoli veneraturus, anachoretasque invisurus, qui viciniis in montibus soli Deo placere studebant. Hic in diaconum assumptus, prædicandi verbi divini munus tanto successu adorsus est, ut fleret ipse, et aliorum fletus eliceret; quo disserente, plures ad fervorem tepidi, plures ad virtutem peccatores, plures ad veritatem ethnici, plures ad ecclesiam hæretici redierunt. Vix inveniri poterat, qui ardentibus verbis resistere prævaleret; vel si quis resisteret interiùs, exteriùs saltem confundebatur.

Diem præsentiens extremum, frequentiori corporis Christi perceptione spem erigere, amoremque magis ac magis inflammare conabatur, ut patet ex ardentibus quæ paulò ante mortem conscripsit verbis. Testamentum etiam digessit, quo funebres pompas, exquisitioremque tumuli fastum deprecatur. Morbo tandem correptus, mortique proximior, discipulis, promissâ Dei misericordiâ, benedixit, exceptis Arado et Palonate, eloquentissimis viris, quos superbiâ in apostasiam impellendos prænuntiavit. Matronam, nomine Lamprotaten, pedibus volutatam precantemque ut sibi corpus saltem curare liceret, tamdiù repudiavit, quoadusquè omnibus mundi vanitatibus nuntium remittere, pœnitentiamque amplecti promitteret. Tunc servato aliquandiù silentio, Deoque vocanti quasi intentus animam placidus exhalavit anno Christi 378, in provectâ jàm senectute. « Arbitror verò, ut » S. Gregorii Nysseni verbis utar, cùm in cœlum ipse ascenderet, singulas quas in hâc vitâ excoluerat virtutes » præcessisse, ac res istas reconditas et speciosissimas, » quæ mortalibus cerni nequeunt oculis, demonstrâsse; » omniumque excellentissimam caritatem sic ad eum ac-

» cedentem dixisse : Intuere, dilecta anima, pulchritudi-
» nem quam tibi comparavi; simùlque delicias ostendisse;
» moxque accurrentem humilitatem ità eam compellâsse :
» Aspice, anima Deo cara, cujus modi ego tibi locum
» quietis exornavi. Tùm cæteras omnes singillatim re-
» censuisse demonstrâsseque præmia, quæ jàm indè, cùm
» ab ipsâ adhùc in corpore excolerentur atque exer-
» cerentur, in futurum comparabant. O decantanda et
» imitatu dignissima emigratio ! O mors lacrymis non
» indigens ! O separatio optatam societatem concilians !
» O transitus, cujus transeuntem minimè pœnitet!
» O funus omnis doloris atque molestiæ expers ! Dùm
» enim ipsius mores suspicimus, consolationem indè per-
» cipimus. Aliorum quippè hominum mors illis qui re-
» linquuntur, lacrymandi præbet causam : Sanctorum au-
» tem lætitiam nobis celebritatemque conciliat. » (*Orat. in S. Ephr.*)

Statim post mortem festis exornatus est, ejusdemque S. Gregorii Nysseni panegyrico sermone decoratus, quo tali oratione invocatur : « Hæc tibi, patrum optime mun-
» dique doctor clarissime, laudum præconia audax lingua,
» ut vilia munuscula offert.... Tu autem divino jàm assis-
» tens altari vitæque principi ac sanctissimæ unà cùm Ange-
» lis sacrificans Trinitati, omnium nostrûm memineris,
» veniamque nobis peccatorum impetra, ut sempiternâ
» cœlestis regni beatitudine perfrui possimus. »

Hinc celebris ejus veneratio tùm apud Græcos, qui ejus memoriam 28 januarii die recolunt, tùm apud Latinos, qui 18 februarii diutiùs honoratum, hodiè 9 julii, quâ verum Bedæ martyrologium ejus natalia recenset, Sanctorum cultu prosequuntur.

Scripsit 1.° in Scripturam sacram *commentarios;* 2.° *De dogmatibus* plures contra Arianos, Eunomios, Mani-

chæos, Novatianos, et Marcionitas *tractatus*; 3.° *Sermones*, inter quos eminent illi de judicio extremo, à quibus referendis abstinemus, quia in ipso *Patrum thesauro* quoad magnam partem rescribuntur, et 76 *parœneses*, seu exhortationes ad pœnitentiam; 4.° *Plures* etiam ad pietatem informantes *tractatus*; 5.° Denique SS. Abrahami, Juliani, aliorumque *acta*.

Naturalem in hoc eloquentiam labore studioque perfectam invenies; nec Græcarum quidem disciplinarum, nec sacræ ignarus Scripturæ, abstrusiora fidei catholicæ mysteria simplicibus explanare verbis, et elegantibus simùl decorare peritus callet. Vivus sermo et efficax torrentis instar proruit; totam in loquendo prorumpere crederes animam; plus cogitare videtur, quàm dicendo potest exprimere; orientalibus exultat figuris, et tamen omnium captui accommodatur; grandiora concipientem nemo est qui non apprehendat; corde velut effusus, cunctis cordibus illabitur; illo tremente, tremant omnes; illo flente, omnes fleant necesse est. Felix ille concionator, qui, S. Ephræm lector assiduus, præsertìmque fidelis imitator, tale dicendi genus assequi laborando orandoque prævalebit.

De quo ità B. Hieronymus : « Ephræm, Edessenæ ecclesiæ diaconus, multa Syro sermone composuit opuscula, et ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur. Legi ejus de Spiritu sancto græcum volumen, quod quidam de Syriacâ linguâ verterat, et acumen sublimis ingenii etiam in translatione cognovi. » (*De Script. Eccl. c.* 115.)

Sozomenus autem : « Omnium laudem, inquit, supergressus est, et catholicam Ecclesiam plurimùm exornâsse videtur Ephraïm Syrus : qui Nisibi natus, aut in aliquo ejus territorii loco, in monasticâ philosophiâ ab

» ineunte ætate sese exercuit : et cùm nec ab ullo doctus
» fuisset, nec spem anteà fecisset talem se aliquandò fu-
» turum, repentè in Syrorum linguâ ad tantam eruditio-
» nem pervenit, ut philosophiæ quidem difficillima quæ-
» que theoremata facilè perciperet : facultate verò ac
» splendore orationis, et sententiarum crebritate simul
» atque sapientiâ Græcorum scriptores longo intervallo
» superaret. Etenim istorum quidem scripta, si quis in
» Syriacam aut aliam linguam converterit, et condimen-
» ta, ut ità dicam, Græci leporis abstulerit, statim depre-
» henduntur et pristinam gratiam amittunt. In libris au-
» tem Ephraïm idem non accidit : nam et ipso adhùc su-
» perstite libri ejus in Græcum sermonem translati sunt,
» et usquè ad hoc tempus transferuntur : nec tamen à do-
» mesticâ ac nativâ præstantiâ multùm recedunt; sed cùm
» græcè legitur non minùs admirationi est, quàm cùm Sy-
» riacè. Denique Basilius qui posteà Cæsareæ Cappado-
» cum metropolis episcopus fuit, virum hunc admiratus
» est, et eruditionis causâ magnoperè suspexit. Quam ob
» rem non immeritò Ephraïm mihi videtur hoc laudis tes-
» timonium, quod ore Basilii prolatum est, ab omnibus
» simul, qui doctrinæ causâ inter Græcos eo tempore
» claruerunt communi consensu retulisse, quippè cùm
» Basilius omnium sui temporis eloquentissimus fuisse ab
» universis comprobetur. » (*Hist. Eccl.*, *lib.* 3. *c.* 16.)

Huic assentit Theodoretus, dicens : « Admirabilis
» Ephræm, Syrorum utens linguâ, spiritalis gratiæ ra-
» dios diffundebat. Nam cùm græcas litteras non attigis-
» set, multifidos tamen Græcorum errores confutavit,
» omnesque hæreticorum fraudes infirmas esse ostendit.
» Et quoniam Harmonius, Bardesanis filius, cantica quæ-
» dam olim composuerat, et modorum suavitati impietatem
» admiscens, audientium animos demulcebat, et ad exitium

» pertrahebat, ipse modorum compositionem ab illo mu-
» tuatus, pietatem canticis permiscuit, et suavissimum si-
» mùl ac utilissimum medicamentum audientibus exhi-
» buit. Atque hæc cantica festos martyrum dies lœtiores
» ac splendidiores etiamnùm efficiunt. »

Hæç denique de eodem Photius : « In admonitoriis
» sancti viri sermonibus jure quis admiretur, quàm altè
» penetret persuadendi vis, quantùmque ab his fluat ju-
» cunditatis, quàm deniquè affectuum copiâ referti sint.
» Oratio tamen ejus ac figuræ nihil mirum si ad consue-
» tum homiliarum usum et inelaboratum dicendi genus
» vergant. Non enim in auctorem sensuum, sed in horum
» interpretem ea conferanda culpa...... Quamobrem
» non tàm dictionis humilitas admiranda, quàm illud sus-
» piciendum, quomodò per tantam verborum vilitatem
» tanta salus atque utilitas in legentes velut effundatur. »
(*Bibl.- Cod.* 196.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græca versio antiqua scriptorum Ephræm, *Oxonii* edita est, an 1709, in-folio.

Latinè prodierunt plurimæ variorum versiones particulares vel pleniores, inter quas eminent, 1.° versio venerabilis patris *Ambrosii*, Camaldulensis, tùm alibi, tùm præsertim an. 1785, in *sacrâ eremo sanctæ Mariæ de Ruah* excusa, in-8.°; 2.° versio *Petri Francisci Zini*, Canonici Veronensis, an 1574, *Venetiis* edita, in-8.°; 3.° versio *Gerardi Vossii*, Tingrensis, 1603, 1619, 1675 *Coloniæ*, et 1619 *Antuerpiæ* prælo subjecta, in-fol. Nulla integra deprehenditur; quæ autem in Vossianâ, quæ completior evadit, editione desiderantur ex versione *Abraha-*

mi, Ecchellensis, vulgavit *Joan. Bapt. Marus*, *Romæ*, 1645, in-4.°

Syriacè demùm, *græcè et latinè*, habentur S. Ephræm opera omnia in sex tomos distributa, ex typographiâ Vaticanâ à 1737 ad 1746, in-folio, scilicet quoad tomum primum græcum et latinum et tres tomos sequentes græcos, curante *Josepho Assemano*, hoc ordine, tom. I, an 1742, —II, 1743, —III, 1746. Quoad autem Syriacos simul et Latinos studio *Petri Benedicti*, Maronitæ, societatis Jesu, tom. I, an 1737. —II, 1740, —III autem studio *Stephani Assemani* archiepiscopi Apamensis, an. 1743, undè utriusque *Assemani* et *Petri Benedicti* sudoribus totum opus consummatum est.

GALLICÆ VERSIONES.

1.° Plures ejus *sermones* Gallicæ fidei accommodavit *Petrus Cuverēt* sub titulo: *La fleur de la prédication.* Parisiis, an 1520.

2.° An. 1579, —1583, —1590, —1602, *Parisiis* similiter plura gallicè vertit *Francisc. Fevardentius*, in-8°.

§ XII.

Apollinares, *an.* 380.

GRÆCI.

Apollinarius, vel *Apollinaris* pater, civis Alexandrinus, Berytæ primùm, deindè Laodiceæ grammaticam docuit, susceptumque filium, eodem nomine insignitum, ità liberalibus imbuit disciplinis, ut, docente patre grammaticam, filius rhetoricam doceret. Cùm autem posteà Scripturæ sacræ studio incubuissent, sacerdos pater, lector verò filius ordinati sunt. Indè propter sophistam pa-

ganum, Epiphanium nomine, quem scientiæ profanæ causâ sæpiùs invisebant, in Christianorum odium prolapsi ab Ecclesiâ expelluntur, istâque acceptâ velut ansâ, à Georgio, Laodiceno pontifice, Athanasio faventes, anathemate percelluntur.

Apollinaris tamen junior, Laodicenæ electus episcopus Ecclesiæ, sanctis omnibus doctisque coætaneis viris, præsertimque Athanasio, Basilio, et Epiphanio, propter scientiæ et ingenii famam probatus innotuit. Errorum verò posthac circa Incarnationis mysterium reus, sectæ suo nomine dictæ signifer damnatus est. Regnante Theodosio circa an. 380 defunctus creditur.

Plures in sacram Scripturam commentarios, plures contra hæreticos tractatus, plures etiam epistolas homiliasque scripsisse ab antiquis perhibetur. Confecerat etiam contra Porphyrium triginta libros, quibus neque apud Eusebium, neque apud antiquorum quemquam excellentius aliquid extitisse omnes ore uno veteres confitentur, quibus pervolutis Julianus, cùm scripsisset : *Legi, intellexi, damnavi*; responsum accepisse fertur : *Legisti forsan, certè non intellexisti; intellectum non damnavisses.* Prohibitâ Christianis sub eodem imperatore poëtarum, oratorum philosophorumque Græcorum lectione, heroïcis carminibus Hebræorum historiam usquè ad Saülis tempora celebratam viginti quatuor libris, Homerum imitatus, partitus est. Tragœdias etiam, et comœdias, et odas, deductis ex veteri testamento argumentis, Euripidis instar, et Sophoclis et Pindari, cecinit. Evangelia demùm, et Apostolorum epistolas in dialogos convertit, ut Platonicorum librorum aliquam referret imaginem. Poëtica opera Apollinari patri à Socrate tribuuntur.

Quidquid sit autem, tantâ eloquentiæ famâ inclaruit, ut cum Basilio simul et Gregorio Nazianzeno conferri à

Philostorgio meritus fuerit. Hæc enim habet apud Suidam : « Sanè , inquit , viri isti tres propugnatores *homoousii* fuêre adversùs *heterousion* multò cæteros antegressi , tam qui præ se fuerunt , quàm qui ad meam » usquè ætatem pervenerunt istius hæresis patronos , » adeò ut Athanasius istis collatus censeri possit puer. » Hi in externis disciplinis supra mediocritatem promoverant, inque sacris litteris , quod ad lectionem conduceret et exprompiam memoriam , erant experientissimi. In his eminebat Basilius ; etiamsi in suo quisque » genere scribendi erat appossitissimus. Et quidem Basilius » in panegyrico genere multò cæteros optimè anteibat , ut » cui ad publicas conciones adesset elegans ingenium. » Apollinarius autem ad commentandum quidpiam mirè » erat dexter et accommodus. At Gregorio ad genus » utrumque feliciter exercitato solidior vis suppetebat ad » orationum conscriptionem. » Deniquè , ut ait Vincentius » Lirinensis , quid illo præstantius , acumine , exercitatione , doctrinâ ? Quàm multas ille hæreses multis » voluminibus oppresserit , quot inimicos fidei confutaverit errores , indicio est opus illud triginta non minùs » librorum, nobilissimum ac maximum, quo insanas Porphyrii calumnias magnâ probationum fide confudit. » Longum est universa ipsius opera commemorare , quibus profectò summis ædificatoribus Ecclesiæ par esse » potuisset , nisi profanâ illâ hæreticæ curiositatis libidine » novum nescio quid adinvenisset, quo et cunctos labores » suos velut cujusdam lepræ admixtione fœdaret , et committeret, ut doctrina ejus non tam ædificatio, quàm tentatio potiùs ecclesiastica diceretur. » (*Commonit. c.* 11.)

Perierunt tamen omnia soluto sermone scripta, à Christianis sanè propter hæresis horrorem minimè exculta. Superest tantùm Psalmorum modulata versio , non igno-

bilibus decantata carminibus, quæ excusa est tùm græcè Paris. an. 1580, tùm cum *Silburgi* interpretatione apud *Commelinum*, an. 1596. Legitur etiam in variis Patrum bibliothecis.

§ XIII.

Sanctus Optatus Milevitanus, circa annum 384.

LATINUS.

Sanctus Optatus, Milevitanus episcopus in Numidiâ, scripsisse videtur ab an. 370, usquè ad annum 384. Ignota prorsùs illius vita, nisi quòd ab Hieronymo, (*de Script. Eccles.* 120.) Valentiniano I et Valente imperatoribus, defunctus perhibeatur. Non semel ab Augustino et Fulgentio laudatus est; (*Fulg. lib.* 11. *ad Maxim. c.* 13.) quorum prior illum Cypriano, Lactantio, Victorino, et Hilario consociat, mirans : « Quanto auro et argento et » veste suffarcinatus exierit de Ægypto...... (*de Doctr.* » *Christ. lib.* 2. *c.* 40. *n.*° 61.) Venerabilis memoriæ Mi- » levitanus episcopus catholicæ communionis. » (*contra Parmen. lib.* 1. *c.* 17. *n.*° 5.)

Unum superest contra Donatistas opus sex libris Hieronymi tempore divisum, quibus nunc septimus accessit, qui, veluti suppositus, à quibusdam rejectus est: 1.° quia opus ab ipso Optato sex libris divisum proponitur; 2.° quia sex pariter libris divisum refertur ab Hieronymo; 3.° quia septimi istius libri dictio eleganti præcedentium eloquio consonare non videtur; 4.° quia Traditorum crimen veluti levissimum proponitur. Sed nihilominùs tenendum videtur librum illum esse authenticum, 1.° quia dici non immeritò potest opus ab Optato fuisse correctum et ampli-

ficatum, ità ut prima tantùm ejus operis editio B. Hieronymo innotuerit; 2.° quia ab eruditis demonstratum est, laudatum in Traditorum gratiam testimonium alienâ manu operi fuisse interpositum; 3.° quia, illo resecato testimonio, cætera à primorum librorum dictione non abhorrent.

Sic ipse incœpti operis argumentum et ordinem ab initio explicat : « Mihi videtur primo loco Traditorum et » schismaticorum indicandas esse civitates, personas et » nomina; ut, quæ de iis dicta sunt, veros auctores et » certos reos suos agnoscant. Deindè mihi dicendum est, » quæ, vel ubi sit una Ecclesia, quæ est; quia præter » unam, altera non est. Tertio à nobis militem non esse » petitum, et ad nos non pertinere, quod ab operariis » unitatis dicitur commissum. Quarto loco qui sit pecca- » tor, cujus sacrificium repudiat Deus, vel cujus oleum » fugiendum sit. Quinto de baptismate. Sexto, de incon- » sideratis præsumptionibus et erroribus vestris, (nempè » Donatistarum). » (*cap.* 7.) Hæc sextis capitibus concluduntur. Septimus autem Optato vindicatus liber plura jam priùs tractata recolligit, nec ideò à Catholicis discedendum ostendit, quòd *Traditorum* filii supponerentur.

Plurima etiàm contra Donatistas monumenta operi adjunxerat Optatus, quorum jam amissorum loco multa aliundè congregata nunc annecti solent.

Utilissimum hujus operis argumentum nobili, vehementi, concisoque eloquio exornatur; nescio quid tamen nitidum magis magisque elaboratum desideraretur. Si congressum bellator ineat, vividus urget; si referat narrator eventus, facta oculis, ut ità dicam, supponit; si testimonia argumentator afferat, ingeniosè varios illorum sensus evolvere satagit; quidquid dicendum occurrat,

verbis apprimè accommodatis utitur; ubiquè doctrinâ ingenioque conspicuum scriptorem miraberis.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Habetur S. Optati Milevitani textus, adhuc in multis mendosus, tùm ex recensione *Emerit. Casaubonii*, an. 1671, *Londini*, in-8.°, tùm curâ D. *Prioris*, *Parisiis*, an. 1679, tùm deniquè an. 1700, *Parisiis*, 1701, *Amstelodami*, 1702, *Antuerpiæ*, operâ et studio *Dupini*, quæ ultima editio correctior, licèt etiam nunc in multis corrigenda, dicenda est.

VERSIONES GALLICÆ.

Sex primi S. Optati libri gallicè prodierunt, interprete *Petro Viel*, *Parisiis*, an. 1664. in-8°.

§ XIV.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus an. 386.

GRÆCUS.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, præsbyter à Maximo ejusdem urbis episcopo consecratus, diaconi munera, vivente Maximo, subire tantùm voluisse ab Hieronymo perhibetur. Cujus defuncti in locum ab Acacio, Cæsariensi episcopo, earumdemque partium episcopis suffectus, Catholicis aliquandò dubiæ fidei reus evasit. Mox autem, cùm ecclesiæ suæ jura propugnare vellet, ab ipso depositus Acacio, circa annum 356, Tarsim cedere coactus est, ubi à Sylvano ejus urbis episcopo benignè exceptus, divina celebrare mysteria, sacrasque habere conciones non destitit. In Seleuciensi concilio Eustathii Se-

bastensis, Basilii Ancyrani, aliorumque quorumdam qui posteà Semi-ariani dicti sunt, sed qui nondùm unitatis vincula ruperant, societatem amplexus, sedique suæ restitutus, ab Acacio iterùm impugnatur in concilio Constantinopolitano, annoque 360 ab episcopatu dejicitur. Per 24 annos ab ecclesiæ suæ regimine, cujus pontificatum alii exercebant, prohibitus, anno tandem 380, à synodo Constantinopolitanâ I, generali II, in dignitate confirmatus, Theodosio imperante, *inconcussum* deinceps *tenuit episcopatum* (*Hieron. de script. eccles.*), donec diem ultimum obiret anno Christi 386.

Scriptores historiæ ecclesiasticæ, ut Socrates, Theodoretus, Sozomenus et alii honorificam semper de eo faciunt mentionem, à quibus Nicephorus id accipiens, et catalogum Patrûm, qui circa tempora Sardicensis concilii floruerunt longâ serie recensens, subdit: «Multi deniquè alii » spectati viri annis iisdem viguêre, atque in ecclesiis Dei » enituêre, inter quos præcipuè eruditione et eloquentiâ » floruit..... Cyrillus qui post Maximum Hierosolymitanam administrabat Ecclesiam.» (*Niceph. lib.* 9. *c.* 14.)

Legitur quoquè de eodem Cyrillo non modò aliis virtutibus, sed et dono prophetiæ non caruisse. «Nam cùm » Julianus imperator Judæis templum Hierosolymis instaurare jussisset, et de publico sumptus subministrâsset, tùm temporis Cyrillus memor vaticinii Danielis, quod et Christus in sanctis Evangeliis confirmavit » ac multis futurum prædixit, quòd in eo templo lapis » super lapidem non maneret: *Hoc*, inquit, *Servatoris* » *oraculum adimplebitur*. Cùm hoc dixisset episcopus, » noctu terræ motus factus magnus lapides fundamentales veteris templi structuræ evulsit, ac cunctos unà » cum contiguis ædificiis dispersit: et cùm multi ad » miraculum Judæi convenissent, ignis cœlitùs delapsus

» cuncta artificum instrumenta consumpsit. » (*Socrat. lib.* 3. *c.* 20.)

Catecheses à juniore Cyrillo scriptas fuisse auctor est Hieronymus (*de script. Eccles.*), quorum 18 ad Cathecumenos directæ supersunt, quæ à Theodoreto, S. Joanne Damasceno, Cypariossitoque laudantur. Habentur etiam et 5 *Mystagogicæ* dictæ, ad eos qui modò fuerunt baptizati pertinentes. Frustrà huic illas detrahere conati suntCalvinistæ, cùm priores ab antiquis celebrentur, posteriores verò in prioribus promissæ priorum rursùs mentionem faciant, omnesque unum et idem eloquium redoleant. Quarta et quinta mystagocicæ catecheses maximè notandæ occurrunt, quibus vera et realis Christi in sacramento præsentia invictè demonstratur. Habentur prætereà duæ epistolæ, quarum prior de cruce quæ super Hierosolymam eluxerat, posterior verò de Præsentatione Christi in templum agit, quæ sivè cum catechesibus, sivè in bibliothecis Patrûm excusæ fuêrunt.

Simplex et candida Cyrilli dictio præcipitem scribendi modum indicat. Mysteriorum, quorum non effodit latebras, doctrinam tamen nitidè et luculenter exponit. Occurrunt undiquè optimè interpretata Scripturæ sacræ testimonia; nec minùs in hæreticorum confutatione, quàm in enodatione Scripturarum excellere videtur. Fide ubiquè tenax, ubiquè Catholicus, quorum vestigia aliquandò exteriùs secutus est, deliramenta nunquàm interiùs admisisse comprobatur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Edita sunt S. Cyrilli opera : *græcè* an. 1564, curante *Guillelmo Morello, Parisiis.*

Latinè præsertim *Autuerpiæ*, *Romæ* et *Coloniæ* an.

1564, ex editione *Grodæcii*, et in omnibus patrûm bibliothecis.

Græcè autem et *latinè*, primùm *Oxonii Thomæ Millesii studio*, an. 1703, quæ luculenta et commendanda editio ad sensus *Pseudo-reformatorum* nimiùm inclinatur; novissimè autem, et quidem multò præstantiùs auctore D. *Touttæo*, Benedictino, quo antè confectam editionem defuncto, *Prudentius Marand*, ut è prælo emitteretur, curavit, an. 1720. (in fol.)

VERSIONES GALLICÆ.

1.° An. 1560, *Ludovico Ganeio* pravè interpretante prodierunt Catecheses sancti Cyrilli, *Parisiis*.

2.° An. 1620, curante *Antonio de Laval*, nova lucem vidit versio quinque mystagogicas catecheses non feliciter expressas complectens, *Parisiis*, in-8°.

3.° An. 1715, vertente *Joanne Grancolas*, omnes gallicè in publicum prolatæ sunt catecheses cum notis et dissertationibus dogmaticis, *Parisiis*, in-4°.

§ XV.

Sanctus Macarius Senior, *an.* 391.

GRÆCUS.

Macarius magnus, Ægyptius monachus et præsbyter, S. Antonii, ut videtur, discipulus, magisterque Evagrii Pontici, in deserto Sceti, in quo ab anno Christi 331 versatus est, nonagenarius obiit, circa annum 391, de quo Socrates : « Illustris fuit tum propter abs» tinentiam, tum ob mores et conversationes, tum ob » miracula quæ per ejus manus perpetrabantur..... Tot » sanavit ægrotos, tot obsessos à dæmonibus liberavit,

» ut quæ per gratiam Dei gessit separatum opus deside-
» rent. Erat porrò reverendus pariter et severus ergà illos
» qui ipsum adibant. » (*L.4.c.23.*) Sozomenus autem:
« Macarius Ægyptius mortuum ad vitam revocâsse dici-
» tur, ut cuidam hæretico persuaderet futuram esse mor-
» tuorum resurrectionem. Vixit hic annos circiter no-
» naginta, ex quibus sexaginta degit in solitudine : qui
» simul atque philosophari cœpisset, adhùc in juvenili
» ætate constitutus ità enituit, ut *puer senex* vulgò à
» monachis vocaretur, et annos natus quadraginta ad
» præsbyterii gradum evectus sit.» (*Lib.* 3. *c.* 14.)

Extant sub ejus nomine : 1.° *Homiliæ quinquaginta* piæ ac lectu dignæ, quæ ad monachos potiùs quàm ad populum diriguntur; 2.° *Opuscula septem ascetica.*

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Habentur opuscula simùl et homiliæ uno volumine in-8°. excusa *Lipsiæ*, 1714. Hæc editio pluribus correctionibus adhùc indigere videtur. Utrumque opus separatim aliquandò excusum est.

§ XVI.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, seu Theologus, an. 391.

GRÆCUS.

Sanctus Gregorius, cognomine *Nazianzenus*, quia patris vices diutiùs in Nazianzeno episcopatu implevit, et etiam *Theologus*, quia hæreticos plures, præsertimque Arianos, Eunomios, Macedonianosque mirâ doctrinæ integritate debellavit, natus est Arianzi, in Nazianzeni territorii vico, circa an. 329. Sanctæ Nonnæ, et Gregorii veteris, qui ex Hypsistariorum errore ad Ecclesiam conver-

sus per quadraginta et quinque annos Nazianzi in Cappadociâ episcopatum rexit, filius, in Cæsareæ, Alexandriæ, Athenarumque scholis, ubi Juliano posteà imperatori innotuit, disciplinis humanioribus informatus, non ingenio minùs quàm virtutibus emicuit. Hìc etiam S. Basilio familiarior factus, quàm sanctè vixerit, quàm improbè laboraverit, in hujus modò vitâ retulimus.

Perlustrato studiorum curriculo, eremum unà cum Basilio petiit, nec indè priùs egressus est, quàm Ecclesiæ patrisque necessitas postularet. Cùm enim periclitari didicisset Ecclesiam, patremque ætate debilitatum, Ariminensem formulam, apposito malè sigillo, confirmâsse comperisset, periculosum certamen solitariæ pacis loco amplexus, statim quasi bellator in arenâ intrepidus adest, illo suadente, redit ab errore pater; illo docente, in seniore doctrinâ confirmantur fideles; illo reluctante, vincuntur hæretici.

Sacerdos à patre anno 361 ordinatus, Sasimorumque episcopus ab ipso Basilio consecratus, abdicatâ dignitate, in solitudinem iterùm secessit, quoadusquè à patre decrepito alterâ vice in auxilium vocatus, suscepto quidquid durius est et morosius, repudiato autem quidquid honorificum est et dulce, rursùs episcopum agere sustinuit. Defuncto patre, cujus virtutes laudibus exornavit, imminentem iterùm episcopalem dignitatem declinaturus delituit. Cùm autem Constantinopolitana vastaretur ab Arianis Ecclesia, et instanter amicorum votis urgeretur, non tam honores veritus, quàm allectus periculis, ad novas accinctus victorias, hæreticorum ità delusit errores, ità vanos repressit conatus, ità falsas repulit accusationes, ut Theodosius Magnus Catholicam fidem veritatis certior factus propugnaret, congregatique imperiali jussu episcopi illum in Constantinopolitanâ sede, anno 381, confir-

marent. Quomodò verò illam, rejecto pseudo-pontifice Maximo, concedente autem ipso Theodosio imperatore, tandem obtinuerit, ità describit in carminibus :

« Ut ergò cupidus venit ad cupidos suî,
(*Theodosius*)
» Complexus ut me sit statim, quæ dixerit,
» Quæ perhibenti rursùs aure acceperit,
» Quid est necesse dicere ? Pudendum foret,
» Si gloriarer tam senex ob talia,
» Qui cuncta parvi deputo propter Deum.
» Tandem ista fatur : Dat tibi per me Deus
» Nunc hocce templum, dat tuis laboribus ;
» Vocem, peractâ re nisi, supra fidem.
» Sic namque stabat civitas plena impetu,
» Animisque fervens, ut licèt grave quidpiam
» Hinc eveniret, nulla cessuros throno
» Spes prorsùs esset, sed retenturos eum :
» Sin cogerentur, impetum in me, vincere
» Quem facilè possent, esse facturos brevem.
» Hæc ille dixit : gaudio at junctus metus
» Tùm me tenebat ; Christe mi, qui per tuam
» Crucem ferendas ad cruces nos excitas,
» Et nunc labori præmium nostro dabas,
» Solamen et sis nunc meum in tantis malis.
» Jam tempus aderat, militum et vis maxima
» Templum obtinebat, bellicos enses gerens.
» Faciebat omnis impetum contra tumens
» Populus, arena ut, nix vel, aut fluctus maris,
» Utens et irâ, precibus et blandis simul,
» Iratus in nos, principi supplex. Erant
» Plenæ viæ, domique, pleni omnes loci,
» Plenæ domusque tùm viris tùm fœminis

» Ætate quassis, parvulis spectantibus;
» Gemitus, dolores, lacrymæ, clamor gravis,
» Imago capti bellico insultu oppidi.
» Ego verò, fortis ille dux et strenuus,
» (Ægro tametsi corpore essem ac debili,
» Spirante quiddam languidum ac ferè mortuum,)
» Inter ducem medius et inter milites,
» Ibam bonâ spe fultus, et sursùm videns,
» In æde donec collocor: Quinam ? Haud scio. »
(*Carmin.* 1.)

Nemo autem nescit, quid episcopis Constantinopoli congregatis restituendæ pacis causâ suggesserit :

« Ego verò, inquit, Jonæ facinus excelsum æmulor;
» Me pro salute do libens nostræ ratis;
» Nos sorte captos mergite insano mari. »
(*Carm.* 1. *ex Jon.* 1.)

Illâ igitur dignitate, ne pax ejus præsentiâ turbaretur, liberè dimissâ, Nazianzum repetiit, cujus Ecclesiam pastore carentem, aliquandiù administravit, constitutoque episcopo in solitudinem Arianzi iterùm se recepit, ubi vitam egit sanctissimam, cujus austeritatem ità carminibus veluti pingere conatus est :

« Ast ego jam mundo sum mortuus, hincque pusillùm
» Jam spiro, atque urbes vito hominumque genus;
» Cum scopulis trucibusque feris ego dego, domumque
» Petram habeo; hìc vitæ tempora solus ago;
» Non mihi calceus est, non est focus, unica vestis;
» Spe vivo, ut labes sum quoque terrigenis.
» Pro lecto sunt mihi paleæ, pro tegmine saccus,
» Et madidus lacrymas lectus ob assiduas. »
(*Carm.* 4.)

Animam Deo reddidit, an. Christi 391, ætatis verò circiter 62.

Multa soluto sermone orator, multa etiam modulato carmine poëta conscripsit; undè præcipua ejus opera possunt revocari, sivè ad epistolas; sive ad poëmata, quibus adscribenda non videtur tragœdia : *Jesus patiens*; sivè ad sermones qui ultrà 50 supersunt, et quibus adjungi possunt duæ in Julianum invectivæ. Nullus, si librum de *Theologiâ* excipias, dogmaticus remanet tractatus.

Non infimum ille inter christianos oratores locum obtinuisse prædicandus est; tantam in dicendo eloquentiam, tantam in verbis majestatem, tantam varietatem in figuris, tantam in argumentis virtutem, tantam denique in cogitationibus sublimitatem difficilè alibì reperies. Dùm nitidâ sermonis simplicitate gaudet animus, conjunctis solertissimè verbis periodisque in numerum desinentibus suaviter auris delectatur; Isocratem audire credideris. Modò jucundis comparationibus uti, modò philosophicas cogitationes ingerere, modò historiæ facta, modò inventa mythologiæ dictis accommodare peritissimus : ornamentis tamen forsitàn gravior, ideòque minùs virilis. Carmina verò, licèt in provectâ jam senectute modulata, ignem adhùc et virtutem junioris poëtæ spirare videntur, ideòque à Tollio prænotantur : *Carmina cygnea*.

Nostris autem non indiget laudibus, qui tot tantisque veterum encomiis celebratus est. Vocatur enim à S. Basilio, *vas electionis*, et *puteus profundus*, *et os Christi*; (*Epist.*8. *clas.* 1.) ab Hieronymo autem, *vir eloquentissimus*, *à quo* tanquàm *à præceptore Scripturas explanare didicit*; (*De script. eccl. c.*117.) à S. Augustino *magni nominis*, *et famâ celeberrimâ illustris episcopus*, *cujus eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam latinam translata, usquequaquè claruerunt.* (contrà Jul.

lib. 1. cap. 15. n.° 15) Prolatis autem pluribus Gregorii testimoniis, ità B. doctor prosequitur : «An tibi parva » in uno Gregorio episcoporum orientalium videtur auc- » toritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc » nisi ex fide christianâ omnibus notissimâ diceret; nec » illi eum tàm clarum haberent atque venerandum, nisi » hæc ab illo dicta ex regulâ notissimæ veritatis agnos- » cerent. » (*Ibid. n°* 16.)

Quibus consonans Rufinus : «Gregorius, inquit, vir » per omnia incomparabilis, qui verbo et operibus clarus, » splendidissimum lumen scientiæ Christi ecclesiis præ- » buit, dùm ea docuit quæ fecit, nec seipsum condemnavit » agendo contraria quàm docebat..... Hujus neque vitâ » aliquid probabilius et sanctius, neque eloquentiâ cla- » rius et illustrius, neque fide purius et rectius, neque » scientiâ plenius et perfectius inveniri potest, utpotè qui » solus sit, de cujus fide ne dissidentes quidem inter se » partes et studia disputare potuerint; sed id obtinuerit » apud Dominum et Ecclesias Dei meriti, ut quicumque » ausus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc » ipso, quia magis sit hæreticus, arguatur. Manifestum » namque indicium est non esse rectæ fidei, qui in fide » Gregorio non concordat. » (*Prol. in orat. Greg.*)

Quem etiam Theodorus Studita iambicis exornavit carminibus, quæ ità latinis versibus exhibentur :

« Quæ tu potenti voce fudisti tonans
» Oracula omnis, Dive, mundus audiit :
» Perimensque cunctas hæreses radicitùs
» Orbem universum sermo firmavit tuus. »

(*Iamb.* 67.)

Addi possent etiam varia testimonia, sivè ex Suidâ qui Gregorium asserit, « grammaticæ poëticesque laude floruisse, *imò et* multò magis philosophiam excoluisse, » atque in oratoriâ facultate fuisse insignem; » (*Lexic. tom.* 1, *pag.* 496.) tùm ex Philostorgio, qui, licèt Arianus, Gregorium cum Appollinario et Basilio collatum, et *illo in dicendo grandiorem ac pleniorem, et hoc rursùs firmiorem* contendit; tùm ex Simeone Metaphraste, qui « hunc, cùm vitæ splendore eos qui actionis laude florebant superâsset, eò rursùs contemplationis progressum affirmat, ut omnes illi sapientiæ doctrinæque laude » cederent, tàm ejus quæ in verbis, quàm quæ in fidei » dogmatibus versatur. Undè etiàm *Theologi* cognomentum adeptus est. »

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Innumeræ prodierunt tùm græcæ, tùm latinæ, tùm græco-latinæ, sivè sermonum, sivè carminum B. Gregorii Nazianzeni particulares editiones. Nulla autem *græcè* habetur completa.

Inter *latinas* primum locum occupat, quæ *Parisiis* prodiit ex *Jacob. Billii* interpretatione, *Genebrardi* studio, an. 1583.

Græcè et *latinè* integra è prælo exierunt B. Gregorii opera ex *Billii* versione, an. 1609, 1611 et 1630, quæ non laudanda, licèt unica, editio, minùs adhuc accuratè excusa est an. 1690 *Coloniæ* (fol. 2 vol.) Nemo est qui nesciat primum ejusdem operum volumen à Benedictinis confectum, curante videlicet post D. *Jacob. Defrische,* et D. *Louvard Prudentius Marand*, tàm nitidè et eleganter prodiisse, ut indè magis secundum desideretur.

GALLICÆ VERSIONES.

Gallicè prodierunt : 1.° *Sermones* eleganter translati

à *Joan. Fontaine* cum notis *Paris.* an 1693. (2. vol. in-8°.)

2°. *Invectivæ duæ in Julianum* per sacerdotem Gratianopolitanum, *Lugduni*, an. 1735, in-12.

3°. *De excellentiâ Sacerdotii, et Pastorum officiis, Parisiis*, an. 1747.

§ XVII.

Sanctus Pacianus, ante an. 392.

LATINUS.

Pacianus, « Barcinoni in Pyrinæi jugis episcopus, ut » ait Hieronymus, castitate et eloquentiâ, et tàm vitâ » quàm sermone clarus, scripsit varia opuscula, de quibus » est Κερϐος (*Cervus*), et contra Novatianos. Sub Theo- » dosio principe jam ultimâ senectute mortuus est. » (*Hier. de Script. Eccl. c.* 116.)

Nulla alia de ejus vitâ supersunt; hoc unum asseri potest, illum ante an. Chr. 392 in pace diem supremum obiisse.

Interiit parvus *de Cervo* tractatus, quo immodestum quemdam ludum impugnâsse videtur. Manent autem usquè adhùc: 1.° tres ad *Sympronianum contra Novatianos epistolæ*, quarum primâ dicit : *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen*; potestatemque dimittendi peccata non solùm Apostolis, sed etiam eorum successoribus à Christo collatam firmissimis probat argumentis; 2.° *exhortatio ad pœnitentiam*, quâ iterùm de faciendâ sacerdotibus peccatorum confessione fortiter agit; 3.° *de Baptismo* liber, quo Baptismi mirabiles evolvit effectus.

Omnia Paciani opera non doctrinâ tantùm, sed ingenio et urbanitate commendantur; sic prudenter moderatas

emittit cogitationes, sic validè profert argumenta, sic vividas in exhortationes erumpit, sic jucundo intersecatoque eloquio placet, ut perfecti instar exemplarii opuscula illa concionatoribus habenda sint.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

S. Paciani opera in publicum prodiêrunt, sivè in omnibus patrûm bibliothecis, sivè an. 1564. curante *Paulo Manutio*, et iterùm 1655 apud *Guillardum* in-8°., sivè tandem in collectione Hispanorum conciliorum à cardinali d'*Aguirre*, *Romæ* 1694 in-fol.

§ XVIII.

Sanctus Amphilochius post an. 394.

GRÆCUS.

Amphilochius, Cappadox, Basilio Magno et Gregorio Nazianzeno familiaris, et ab iisdem vehementer laudatus, ex advocato et judice monachus, ex monacho autem episcopus Iconii, quæ est Lycaoniæ Metropolis, ordinatus, Arianis strenuè obstitit, atque Theodosio Magno auctor fuit, ut edictum adversùs Arianorum cœtus promulgaret; quod anno 381 vel 382 datum exstat in codice Theodosiano lib. 16, tit. 1. Rem ità factam narrat in historiâ Theodoretus : « Cùm in Orientem reversus esset (Theodosius), » accessit ad eum admirandus ille Amphilochius ..... » poscens ut Arianorum conventicula ex urbibus pellerentur. Verùm imperator hanc petitionem duriorem » esse ratus, nequaquàm admisit. Tunc sapientissimus » Amphilochius, illicò tacitus rem excogitavit memoratu

» dignissimam. Ingressus enim denuò in palatium, cùm » Arcadium filium imperatori astantem vidisset, quem ille » paulò antè Augustum renuntiaverat, ipsum quidem im» peratorem solito more salutavit, filium verò honoris » expertem dimisit. Imperator verò id ab Amphilochio » per oblivionem existimans factum, accedere eum jus» sit, et filium osculari; verùm Amphilochius sufficere » honorem dixit quem ipsi exhibuisset. Quod indignè fe» rens imperator, contemptum filii suam esse aiebat in» juriam. Tùm verò sapientissimus Amphilochius, facti » sui causam aperuit, et contentâ voce dixit: Vides, » Imperator, te filii tui contumeliam ferre non posse, sed » succensere iis qui illi contumeliam faciunt. Crede igitur » Deum quoquè hujus Universi eos adversari, qui Filium » ipsius unigenitum blasphemant, eosque tanquàm in» gratos ergà Servatorem ac benè de se meritum odio ha» bere. Rè hoc modo intellectâ imperator, tùm factum, » tùm dictum Amphilochii admodùm miratus, legem ex» templò dedit, quâ hæreticorum conventicula vetaban» tur.» (*Lib.* 5, *cap.* 16.)

Anno pariter 381 interfuit concilio Constantinopolitano generali I, quo Macedonius damnatus est. Præfuit deindè an. 383 Synodo Sidensi adversùs Messalianos. Eos scripto etiam optimè confutâsse narrat Theodoretus. Deniquè sedit etiam in Synodo Constantinopolitanâ particulari an. 394, in quâ Bagadius in episcopatu Bostrensi confirmatus est. Supremum anno sequente diem obiisse suspicantur viri docti. Ad summam senectutem provectum referunt Martyrologia et Menologia, quæ ejus memoriam celebrant die 23 novembris.

Multa ejus scripta desiderantur; nunc tantùm sub ejus nomine circumferuntur: 1.° *octo Homiliæ* quæ illi adjudicanda propter duriorem et implicatum sermonem non

videntur; 2.° *poëma ad Seleucum*, quod Gregorio Nazianzeno meliùs restituitur; 3.° *vita S. Basilii*, quam propter insertas fabulas illi minimè tribuendam crediderim; 4.° *epistola* ad episcopos Macedonianos, quæ sola genuina reputatur, quæque in publicum emissa est à D. *Cotelerio*. Opera autem supposititia excusa fuêre à patre *Combefisio*, *Parisiis*, an. 1644, in-fol.

Licèt autem omnia opera amissa perierint, certum est tamèn illum non mediocris ingenii extitisse virum, cùm ità de illo loquatur B. Hieronymus, magnis illum Ecclesiæ luminibus consocians: « Exstant et Julii Africani libri,....
» Cappadocumque Basilii, Gregorii, Amphilochii, qui
» omnes in tantùm philosophorum doctrinis atque sen-
» tentiis suos resarciunt libros, ut nescias quid in illis
» primum admirari debeas, eruditionem Seculi, an scien-
» tiam Scripturarum. » (*Epist.* 83. *ad Magn.*)

§ XIX.

Sanctus Ambrosius, an. 397.

LATINUS.

Sanctus Ambrosius, Ambrosii Prætorii in Galliis Præfecti filius, Treviris circa annum 340 natus, Romæ defuncto patre ità liberalium disciplinarum studio informatus est, ut propter eloquentiam cæterasque animi dotes à Probo Prætorii in Italiâ Præfecto inter consiliarios primùm accenseretur, Æmiliæque posteà et Liguriæ præpositus ab eodem mitteretur dicente: *Vade, age non ut judex, sed ut episcopus*. (*Paul. vit. Ambros.*)

Cùm autem defuncto Auxentio Ariano, Mediolanensi episcopo, populus novum electurus pontificem ad sedi-

tionem inclinaretur, sedandæque turbæ causâ adesset in ecclesiâ Ambrosius magnâ cum eloquentiâ animos dissidentium demulcens, audita vox pueri clamantis : *Ambrosius episcopus;* quem secuti omnes, Catholici pariter et Ariani, Ambrosium adhùc cathecumenum in episcopum poposcerunt. Mirari Ambrosius, tremere, fugâ impendentem declinare honorem; peccata etiam simulare, quibus tanti muneris indignus judicaretur. Sed frustrà; jubente enim ipso imperatore Valentiniano I, sacram unctionem octo post baptismum diebus suscipere coactus est, die septimâ decembris anni 374, ætatis circiter 34, exultante populo, cunctisque Orientis Occidentisque approbantibus episcopis.

Statim atque consecratus est, Ecclesiæ vel pauperibus quod auri argentive supererat, erogavit, ipsaque prædia, relicto Marcellinæ sorori reditibus fruendi jure, Ecclesiæ iterùm voluit dedicare. Satyrum fratrem, qui Mediolanum invisendi fratris gratiâ devenerat, domûs administrationi præfecit, cunctisque temporalibus curis expeditus exercendo ministerio non *omnia* tantùm *impendere, sed superimpendere seipsum*, (*II. Corinth.* 12. 15.) juxta apostolicam sententiam, firmiter proposuit. Cujus ordinationis certior factus Basilius ità sancto pontifici respondit : « Qui olim, inquit, (*Deus*) ex pastoribus ovium populo » suo principem excitavit, et Amos de grege caprarum » sumptum spiritu suo instruxit, nunc virum ex urbe » regiâ, cui totius gentis principatus concreditus erat, » sapientiâ sublimem, generis claritate, vitæ splendore, » orandi facultate, et rebus secularibus illustrem ad gregum Christi pasturam traxit : qui projectis hujus vitæ » opibus universis, proque damno habitis, ut Christum » lucrifaceret, commissa sibi magni ac præclari navigii, » Ecclesiæ videlicet Dei, in fide Christi gubernacula ac-

» cepit. Age igitur, ô homo Dei, quandoquidem non ab » hominibus accepisti aut doctus es Evangelium, sed ipse » te Dominus è medio judicum terræ desumptum ad ca- » thedram apostolicam transtulit. » (*Epist.* 55.)

Symmacho apud Valentinianum II, ut altare Victoriæ intra Senatûs Romani ædes restitueretur, fortiter agenti fortiùs ipse obstitit. Ad Maximum tyrannum ab eodem Valentiniano, vel potiùs ab ejus matre Justinâ regni habenas junioris illius principis loco moderante, pacis arbiter deputatus, bellum ab imperio arcere prævaluit. Cùm autem Ariana illa matrona templum Arianis tradendum postularet, intrepidus respondit pontifex, sacras Dei ædes ab impiis profanandas tradere episcopo non licere. Hinc exorta contra sanctum doctorem acerbissima persecutio : satellites undiquè sacra templa circumstabant ; projiciebantur in carcerem Catholici ; urgebant templi traditionem missi ab imperatore Tribuni. Ascendebat intereà ad altare pro populo simùl et imperatore oraturus pontifex, instantibus respondens Comitibus : « Si à me peteret *im-* » *perator* quod meum esset, id est, fundum meum, ar- » gentum meum, quidvis hujusmodi meum, non refra- » garem, quanquàm omnia, quæ meî sunt, verè sint » pauperum : verùm ea quæ sunt divina imperatoriæ po- » testati non sunt subjecta. Si patrimonium petitur, in- » vadite : si corpus, occurram ; vultis in vincula rapere ? » vultis in mortem ? Voluptati est mihi. Non ego vallabor » circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam » obsecrans, sed pro altaribus gratiùs immolabor. » (*Epist.* 20, *n.*° 8.)

Pernoctabat in ecclesiâ populus, modò concionantem suspiciens pontificem, modò alternis vicibus sacrorum Psalmorum versus decantans, undè in ecclesiâ psalmodiæ usus invaluisse creditur. Quò magis agitabatur, eò magis

» et magis magisque mihi confirmabatur, omnes versu-
» tarum calumniarum nodos, quos illi deceptores nostri
» adversùs divinos libros innectebant, posse dissolvi. »
(*Lib.* 6. *c.* 3.)

Sic juxtà S. Ambrosii prædictionem, cùm flentem Monicam talibus consolatus fuerat verbis : *Impossibile est ut tantarum lacrymarum filius pereat*, conversus ad meliora Augustinus baptismum ipso conferente suscepit anno 387; quo quidem tempore, quibusque doctoribus inventus videtur et decantatus ille, qui *Te Deum* dicitur hymnus, sanctique Ambrosii nomine circumfertur.

Eodem anno ab imperatrice Justinâ, quæ illum tàm acerbè vexaverat, ad Maximum tyrannum iterùm deputatus, acceptæ immemor injuriæ, novum adire non abnuit periculum. Undè brevi reversus, Theodosium imperatorem, qui Callinicæ episcopo incensam à Christianis synagogam reædificare præceperat, publicè redarguere ausus est.

Ad hoc temporis, cum dona sacræ mensæ obtulisset imperator, « intùs ad cancellos substitit, sicut consueverat.
» Magnus Ambrosius silentium non tenuit, sed locorum
» discrimina quæ essent edocuit; ac primùm quidem inter-
» rogavit eum, numquid vellet? Et cùm imperator respon-
» disset : Præstolari se sacrorum mysteriorum perceptio-
» nem per Archidiaconum, hæc ei significavit : Interiora
» loca, Imperator, solis sacerdotibus patent, reliquis om-
» nibus inacessa sunt et intacta. Abscede igitur, et unà cum
» aliis consiste. Nam purpura imperatores facit, non sa-
» cerdotes. Quam admonitionem æquo animo suscipiens
» imperator fidelissimus, renuntiari jussit Ambrosio : Se
» nequaquàm arrogantiâ elatum intra cancellos substitisse,
» sed quia Constantinopoli eum esse morem didicisset.
» Cæterùm pro hâc etiam curatione gratiam habere,.....

» Porrò pietatis regulas, quas à magno antistite acceperat, » reversus posteà Constantinopolim, illìc quoquè servavit. » Nam cùm festus quidam dies ipsum denuò ad eccle- » siam adduxisset, oblatis ad sacram mensam muneribus » suis, statim abcessit. Cùmque illius ecclesiæ pontifex » Nectarius rogaret, quamobrem intùs non remansisset, » suspirans respondit : Vix tandem edoctus sum quid es- » set discriminis inter sacerdotem ac principem ; veri- » tatis magistrum vix tandem inveni ; unum enim Am- » brosium novi, qui episcopus dici mereatur. Tantam » utilitatem habet reprehensio quæ fit à viro excellenti » virtute prædito ! » (*Theodoret. lib.* 5. *c.* 18.)

Anno 390, cùm Thessalonicæ populus intra circenses ludos rebellâsset, compulsus furore Theodosius plebem passim ad septem millia gladio cædi præcepit ; quo audito ingemuêre Mediolani congregati episcopi ; ingemuit primus omnium Ambrosius. Theodosium tamen adire statim noluit, sibimetipsi doloris tempus, principi autem pœnitentiæ locum reservans. Redeunte igitur Mediolanum Theodosio, secedit ab urbe aliquot diebus sanctus pontifex, scriptisque ad eum propriâ manu epistolis : « Si sacerdos » non dixerit erranti, is qui erraverit in suâ culpâ mo- » rietur, et sacerdos reus erit pœnæ, quia non admonuit » errantem. (*Ezech.* 3. 19.) Accipe illud, Imperator Au- » guste : quod habeas fidei studium, non possum ne- » gare ; quod Dei timorem, non diffiteor : sed habes na- » turæ impetum, quem si quis lenire velit, citò vertes ad » misericordiam ; si quis stimulet, in majus exsuscitas, » ut eum revocare vix possis. Utinam si nemo mitigat, » nullus accendat ! Libenter eum committo tibi ; ipse te » revocas, et pietatis studio vincis impetum naturæ....... » An pudet te, Imperator, hoc facere quod rex Propheta, » auctor Christi secundùm carnem prosapiæ, fecit David?

» Illi dictum est, quia dives qui haberet plurimos greges, » unam pauperis ovem propter adventum hospitis eripuit » et occidit; et cognito quòd in hoc ipse argueretur, quia » ipse fecisset, ait: *Peccavi Domino*. (2. Reg. 12. 13.) » Noli ergò impatienter ferre, Imperator, si dicatur tibi: » Tu fecisti istud; quod David regi dictum est à Pro- » phetâ. Si enim hoc sedulò audieris, et dixeris; *Peccavi* » *Domino*..... dicetur et tibi: Quoniam pœnitet te, di- » mittit tibi Dominus peccatum tuum, et non morieris.... » Hæc ideò scripsi, non ut te confundam, sed ut regum » exempla provocent, ut tollas hoc peccatum de regno » tuo; tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo » es, et tibi venit tentatio; vince eam. Peccatum non » tollitur, nisi lacrymis et pœnitentiâ. Nec Angelus » potest, nec Archangelus; Dominus ipse qui solus po- » test dicere: *Ego vobiscum sum*. Si peccaverimus, nisi » pœnitentiam deferentibus non relaxat. Suadeo, rogo, » hortor, admoneo; quia dolori est mihi, ut tu qui pie- » tatis inauditæ exemplum eras, qui apicem clementiæ » tenebas, qui singulos nocentes non patiebaris pericli- » tari, tot periisse non doleas innocentes....... Ego cau- » sam in te contumaciæ non habeo, sed timoris: offerre » non audeo sacrificium, si volueris assistere. An quod » in unius innocentis sanguine non licet, in multorum » licet?» (*Epist.* 51. *ad Theodos.* *n.*° 3.—12.)

Mediolanum redux Ambrosius, « imperatori more so- » lito ad ecclesiam venienti processit extra vestibulum, » et à sacri liminis ingressu eum prohibuit his verbis: » Ignoras, ut puto, Imperator, perpetratæ abs te cædis » gravitatem, et furore jam sedato, nondùm ratio scelus » quod admissum est intellexit. Obstat enim fortassè im- » perialis potentia, quominùs peccatum agnoscas, et ra- » tioni tenebras offundit licentia. Naturam tamen spec-

» tare oportet quæ caduca, mortique obnoxia, et primi-
» tivum pulverem, è quo orti sumus et in quem resolvi-
» mur. Nec purpuræ splendore deceptus, corporis quod
» sub illâ tegitur infirmitatem ignorare debes. Ejusdem
» tecum naturæ hominibus imperas, imò etiam conser-
» vis, ô Imperator. Unus quippè est omnium Dominus
» atque imperator, is qui universa condidit. Quibus igi-
» tur oculis templum communis Domini aspecturus es ?
» Quibus pedibus sanctum solum calcaturus ? Quomodò
» manus extensurus es, injustè cæsorum sanguine adhùc
» stillantes ? Quomodò sacrosanctum Domini corpus ejus-
» modi manibus excepturus es ? Quomodò pretiosum san-
» guinem admoturus es ori tuo, qui verbo furoris tui tot
» hominum sanguinem injustè effudisti ? Abscedere igitur,
» nec posterioribus factis prius peccatum augere velis. Ac-
» cipe vinculum, quod Deus omnium Dominus sursùm suo
» suffragio comprobat. Medicabile enim est, et sanitatis
» restituendæ vim habet. » (*Theodoret. lib.* 5. *c.* 18.)

Ad hæc referente imperatore Davidem quoquè adulte-
rum fuisse et homicidam, respondit continuò intrepidus
pontifex : « Quem secutus es errantem, sequere pœni-
» tentem. » (*Paulin. in ejus vitâ.*)

« Obtemperans imperator...... Flens et gemens rever-
» sus est palatium. Longo post tempore elapso, (octo
» enim menses excesserant) Servatoris nostri natalis dies
» advenit. Imperator interim sedebat in palatio magnam
» vim effundens lacrymarum. Id cùm animadvertisset
» Rufinus, qui tunc erat Magister Officiorum, magnâque
» loquendi pollebat libertate, ut maximè familiaris, ad
» principem accedit, et lacrymarum causam sciscitatur.
» Ille acerbiùs ingemiscens, et uberiores profundens la-
» crymas : Tu quidem, inquit, Rufine, ludis; mea quippè
» mala minimè sentis. Ego verò gemo et doleo, meam

» considerans calamitatem ; si quidem servis et mendicis » patet ecclesia Dei, in quam liberè ingrediuntur, et Do- » mino suo supplicant. Mihi verò et ecclesiæ aditus in- » terdictus est, et præterea clausæ sunt cœli fores. Me- » mor enim sum dominicæ vocis, quæ disertè ità dicit : » Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et » in cœlis. Tùm Rufinus : Curram, inquit, si tibi placet, » et exorabo antistitem ut vincula tua solvat. Cui impe- » rator : Non persuadebis, inquit, Ambrosio; novi æqui- » tatem sententiæ illius. Nunquàm ille, imperialem reve- » ritus potestatem, Dei legem violaturus est. Sed cùm » Rufinus instaret, seque Ambrosio persuasurum polli- » ceretur, imperator eum illicò abire jubet. Nec multò » post ipse quoquè, spe blandiente, subsecutus est, Rufini » pollicitationibus credens.

» Verùm divinus Ambrosius simùl atque Rufinum vi- » dit : Canum, inquit, impudentiam imitaris, Rufine ; » nam cùm tantæ cædis suasor extiteris, pudorem è fronte » excussisti; et neque erubescis, neque formidas, cùm » adversùs imaginem Dei tantâ rabie sævieris. Cùmque » Rufinus supplicaret, et imperatorem brevì affuturum » esse diceret, admirabilis Ambrosius divino zelo incen- » sus : Ego quidem, inquit, tibi, Rufine, prædico atque » prænuntio, me illum ab ingressu sacri vestibuli repul- » surum; si verò imperium in tyrannidem verterit, ego » quoquè libenti animo cædem excipiam.

» His auditis, Rufinus consilium episcopi imperatori » per nuntium significavit, suasitque ut intra palatium » remaneret. At imperator cùm hæc in medio foro didi- » cisset : Ibo, inquit, et justas patiar contumelias. Cùm- » que ad ecclesiæ septa pervenisset, in ipsam quidem » basilicam ingressus non est; sed accedens ad episco- » pum, qui tùm in salutatorio residebat, ut vinculis sol-

» veretur, rogavit. Ambrosius verò hujusmodi adventum
» tyrannicum esse dixit, et Theodosium adversùs Deum
» furere, legesque illius calcare. Tùm imperator : Adver-
» sùs leges, inquit, quæ latæ sunt, non insurgo, nec
» contra fas ingredi cupio sacra vestibula ; sed à te peto,
» ut vinculis me absolvas, et communis Domini clemen-
» tiam consideres, nec mihi occludas januam, quam
» cunctis pœnitentiam agentibus Dominus aperuit. Cui
» Ambrosius : Quam igitur, inquit, pœnitentiam os-
» tendisti post tam grave facinus ? Cujusmodi medi-
» camentis vulnera tua curâsti ? Hìc imperator : Tuum
» est, inquit, medicamenta ostendere ac temperare ;
» mei autem officii est, oblata suscipere. Tunc divinus
» Ambrosius : Quandoquidem, inquit, judicium permit-
» tis furori, nec ratio, sed ira sententiam profert, scribe
» legem, quæ furoris sententias irritas reddat atque ina-
» nes, et triginta dierum spatio maneant scriptæ senten-
» tiæ de cæde ac bonorum proscriptione rationis judicium
» exspectantes. Quibus diebus transactis, hi qui edictum
» scripserunt, ostendant tibi ea quæ jusseris ; ac tùm se-
» dato æstu iracundiæ, ratio per se ipsa judicium exer-
» cens examinabit ea quæ decreta sunt, dispicietque
» utrùm justa sint an injusta : ac si quidem injusta esse
» deprehenderit, scripta procùl dubio discerpet ; sin
» justa, confirmabit ; nec dierum spatium rectè judicatis
» quidquam detrimenti afferet. Hoc consilium cùm au-
» dîsset imperator, et utilissimum esse existimaret, sta-
» tim legem scribi præcepit, eamque manûs suæ sub-
» scriptione firmavit. Quo facto, divinus Ambrosius ejus
» vincula relaxavit.

» Atque ità demùm in Dei templum intrare ausus fi-
» delissimus imperator, non stans, nec genibus flexis sup-
» plicavit Deo, sed pronus humi jacens Davidicam hanc

» vocem emisit : *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundùm verbum tuum.* Deniquè manibus » comam vellens, frontemque percutiens, et lacrymarum » manantibus guttis solum rigans, veniam sibi dari pos- » cebat. Talis ac tanta virtus tùm in sacerdote enituit, » tùm in principe! Utrumque certè pariter miror, alte- » rum ob loquendi libertatem, alterum ob submissam » obedientiam : et illius quidem ardentem zelum, hujus » verò puram ac sinceram fidem. » (*Theodoret. lib.* 5. *c.* 18.)

Hùc usquè Theodoretus; Paulinus verò ejus diaconus sic apostolicam ejus in episcopatu agendi rationem exponit : « Vir ipse, venerabilis episcopus, multæ abstinen- » tiæ et vigiliarum multarum et laborum, quotidiano » jejunio macerans corpus, cui prandendi nunquàm con- » suetudo fuit, nisi die Sabbati et Dominico, vel cùm na- » talitia celeberrimorum martyrum essent. Orandi etiàm » assiduitas magna die et nocte : nec operam declinabat » scribendi propriâ manu libros, nisi cùm aliquâ infir- » mitate corpus ejus attineretur. Erat etiam in illo solli- » citudo omnium Ecclesiarum, interveniendi etiam magna » assiduitas et constantia. In rebus etiàm divinis implendis » fortissimus, in tantùm ut quod solitus erat circà bapti- » zandos solus implere, quinque posteà episcopi, tempore » quo decessit, vix implerent. Sollicitus etiàm nimiùm » pro pauperibus et captivis..... Erat etiàm gaudens cum » gaudentibus, et flens cum flentibus, si quidem quoties- » cumquè illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus » suos confessus esset, ità flebat, ut et illum flere com- » pelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas » autem criminum, quæ illi confitebantur, nulli nisi Do- » mino soli, apud quem intercedebat, loquebatur... Flebat » etiàm amarissimè, quotiescumque fortè nuntiatum illi » fuerat de cujuscumque sancti obitu sacerdotis,... quia

» difficile esset invenire virum, qui summo sacerdotio
» dignus haberetur. » (*de vitâ Ambros. c.* 38, 39.)

Uno verbo, ut omnia paucis complectar, ità fuit religionis amans, ut nullos nisi prorsùs integros in clerum cooptaret; ità caritatis operibus deditùs, ut damnatorum sæpiùs gratiam impetraret, omnesque à Gothis captos, venditis etiàm Ecclesiæ pretiosis vasibus, datâque propriâ supellectili redimeret; ità disciplinæ observantissimus, ut locorum, quibus aderat, usus fideliter sequeretur; ità pœnitentiæ addictus, ut continuis vigiliis jejuniisque corpus domaret; ità apud homines notus, ut sapientissimi viri novum Salomonem invisuri ex Perside devenirent; ità potens apud Deum, ut et dæmones ejicere, et morbos sanare, et mortuos suscitare valeret.

Non ità multò post, anno videlicet 392, occisi ab Arbogasto Valentiniani junioris, qui nondùm baptismum susceperat, sed christianis jam enituerat virtutibus, panegyricam orationem coràm Justâ et Oratâ, defuncti sororibus, ad populum habuit, ipsumque Theodosium qui filios sancto commendaverat pontifici, morbo citiùs anno 395 Ecclesiæ raptum, pariter coràm Honorio imperatore laudavit.

« Post dies hos ordinato sacerdote ecclesiæ, Ticinensi,
» incidit in infirmitatem, quâ cum plurimis diebus detine-
» retur in lectulo, comes Stilico dixisse fertur, quòd tanto
» viro recedente de corpore interitus immineret Italiæ.
» Undè convocatis ad se nobilibus viris illius civitatis,
» quos diligi à sancto sacerdote cognoverat, illis persuasit
» ut pergerent ad sanctum sacerdotem, suaderentque illi
» ut sibi vivendi peteret à Domino commeatum. Quod
» ille ubi ab illis audivit, respondit : Non ità inter vos vixi,
» ut pudeat me vivere, nec timeo mori, quia Dominum
» bonum habemus.

« Ab horâ autem circiter undecimâ diei usquè ad illam
» horam, in quâ emisit spiritum, expansis manibus in
» modum crucis oravit. Nos verò labia illius moveri vi-
» debamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus
» etiàm, sacerdos Ecclesiæ Vercellis, cùm in superioribus
» domûs se ad quiescendum composuisset, tertiò vocem
» vocantis se audivit, dicentisque sibi : Surge, festina,
» quia modò est recessurus. Qui descendens obtulit Sancto
» Domini corpus : quo accepto, ubi glutivit, emisit spi-
» ritum, bonum viaticum secum ferens.» (*Paulin. de vit. Ambr. c.* 45. *et* 47.)

Defunctus est autem ipsâ ante Sabbatum sanctum nocte, quartâ aprilis, anno Christi 397, ætatis 57, pontificatûs autem 22.

Scripsit : 1.° *plures* in sacram Scripturam *commentarios*, inter quos primo loco ponitur *Hexaëmeron ;* 2.° *duos de Fide libros*, apud veteres celeberrimos, quibus de Trinitate præsertim et Incarnatione disserit; 3.° *librum de virginibus*, omnibus qui pro Deo virginitatem vovere cupiunt, maximè legendum; 4.° *librum de viduis*, quo, secundis nuptiis minimè damnatis, ab illis tamen tanquàm minùs Christiano convenientibus deterrere conatur; 5.° *de institutione virginis ;* 6.° *exhortationem virginitatis ;* 7.° *de lapsu virginis consecratæ ;* 8.° *de mysteriis ;* 9.° *de sacramentis*, qui tractatus Ambrosio non videtur tribuendus; 10.° *de pœnitentiâ ;* 11.° *de Spiritu Sancto ;* 12.° *de Incarnationis Dominicæ sacramento ;* 13.° *libros de officiis*, *utilium præceptionum plenos*, (August. Epist. 82. n.° 21.) quibus, Ciceronem imitatus, moralia præcepta Evangelii auctoritate non confirmare tantùm, sed et perficere satagit; 14.° *sermones*, inter quos illi soli habendi sunt genuini qui versantur circa obitum Valentiniani, Theodosii et Satyri fratris; 15.° *plures epistolas*,

inter quas illæ præsertim notandæ, quas magnâ libertate ad principes conscripsit; 16.° *plures hymni*, qui vocantur *Ambrosiani.*

Apud Ambrosium doctrinam simùl et delectationem reperies; nescio utrùm alibi meliùs consocietur cum majestate jucunditas, cum vigore dulcedo, cum mentis acumine corda movendi potestas. Verè nectareus doctor, inditi sibi nominis quasi proprietatem ingenio vindicavit. Nulla ferè occurrit christiana veritas, quæ solidis stabilita argumentis apud illum non deprehendatur. Undè vix in publicum scripta prodierunt, cùm inter maximos maximorum doctorum libros deputata sunt.

Hinc vocatur à Cassiano *eximius Dei sacerdos, qui à manu Dei non recedens, in Dei semper digito quasi gemma rutilavit;* (de Incarn. lib. 7.) à Marcellino Comite, *episcopus sanctus, arx fidei, orator catholicus;* (Chronic. Consul. Arcadio IV. et Honorio III.) à Cassiodoro senatore, *lactei sermonis emanator, cum gravitate acutus, perviolentâ persuasione dulcissimus, cui fuit æqualis doctrina cum vitâ;* (de divin. lect. c. 20.) ab Hincmaro, archiepiscopo Rhemensi, sanctus doctor *cujus sententiæ fidei et Ecclesiæ et omnium virtutum firmissimæ sunt columnæ;* (lib. 2. de Prædest. c. 25.) à Guitmundo Aversano episcopo : « Doctor egregius, spiritualis pater Beati Augustini, quem idem vir sanctissimus in libris suis Sanctum et Beatum nominat; cujus auctoritatem, teste Augustino, martyrum revelator Paulus commendat; quem B. Gregorius vir planè apostolicus præ se gerit; cujus doctrinam recipiendam beatissimus Benedictus, teste sancto Gregorio, sanctorum Prophetarum spiritu plenus judicavit; cui totius Ecclesiæ Mediolanensis gloria specialiter attestatur; quem

» merito fidei totus orbis veneranter amplectitur. » (*de Sacram. corp. et sang. Christ. lib.* 3.)

Tanta autem fuit Ambrosii auctoritas, ut, judice Petrarchâ, *unum æmulo ac reprehensore carentem, unum plenâ et indecerptâ laude decoratum Ambrosium, cujus ne juvenis quidem famam mordax livor attigerit* inveniri detur. (*lib.* 1. *Epist.* 1.) Imò et ipsi Ecclesiæ catholicæ inimici memoriam ejus scriptis commendârunt, ut patet ex his apud Augustinum relatis Pelagii verbis : « Beatus Ambrosius episcopus, in cujus præcipuè libris Romana elucet fides, qui scriptores inter latinos flos quidam speciosus enituit, cujus fidem et purissimum in Scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere. » (*de Grat. Christ. contra Cælest. et Pelag. cap.* 42.)

Nec desunt etiam qui versibus tanti viri eloquentiam et virtutes exornare conati fuerint. Sic, ut de carminibus Ennodii Ticinensis episcopi sileam, Adhelmus Schirib. apud Occidentales Saxones episcopus mellifluum celebrat doctorem :

« Jam fuit Hesperiæ famosus laude sacerdos
» Ambrosius, Christi complens præcepta benigni,
» Spiritus et castæ servavit fœdera carnis,
» Qui nomen gerit Ambrosiæ de nectare ductum.
» Hic tener in cunis quondam, dùm parvulus esset,
» Magna futurarum gessit spectacula rerum :
» Namque examen apum numerosis fortè catervis
» Contendit faciem pueri, mirabile fatu.....
» Hoc examen apum, quo Sancti labra redundant,
» Dulcia mulsorum portendit verba favorum,
» È quibus affatim dulcescunt pectora plebis.
» Lucida digessit venerandus opuscula doctor,

» Cum ratione piâ pandens ab origine primâ,
» Qualiter hunc mundum summi prudentia patris
» Tempore præsentem tunc per bis terna dierum
» Fecerit, æterno disponens secula nutu, etc..... »

(*de laud. virg.*)

Elegantioribus certè versibus, minùsque claudicantibus celebrari potuissent tanti viri dotes eximiæ; his tamen carminibus videre est, quantâ veneratione tunc temporis viguerit Ambrosius. Ejus encomium feliciùs simul et antiquiùs scriptum habemus ab incerto auctore cujus carmina ex M. Colbertino anni circiter 600 deprompta recensere haud ingratum fuerit :

« Audeo quos humili versus subscribere stylo,
» Mi lector, noli ducere pro nihilo ;
» Dicere cogit amor me, quæ loquor, Ambrosianus,
» Cui servire cupit mens mea, lingua, manus.
» O quicumque sitis paradisi gaudia vera,
» Ambrosii monitis subdere te propera.
» Ambrosius normam tibi monstrat juris et æqui,
» Felix si poteris discere, scire, sequi.
» Ambrosii scriptis producitur ad meliora
» Qui sua scripta legit et facit absque morâ.
» Ambrosium legito, si vitæ pascua quæris;
» Quæ legis hæc facito, sicque beatus eris.
» Finis adest : munus præstet qui trinus et unus
» Se mihi, sicque pius postulet Ambrosius. »

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Anno 1580, quoad primum tomum, 1581, quoad secundum, 1582, quoad tertium, 1585, quoad quartum prodierunt opera Ambrosii opere *Felicis de Monte-alto* Cardinalis, qui posteà sub nomine Sixti V sedem apostolicam occupavit, cujus editionis tanta fuit auctoritas, ut, neglectis cæteris, sola typis recuderetur, et ab an. 1596, quo primùm *Lutetiæ* prodiit, singulis ferè decenniis prælo iterùm fuerit subjecta. Sed illud impedimenti non fuit, quominùs in lucem iterùm emitteretur studio et labore monachorum Benedictinorum perfectissima, et absolutissima editio, an. 1686 et 1691, *Parisiis*, in-fol. 4 volum. 2 tom.

GALLICÆ VERSIONES.

Gallicè prodierunt :

1.° *Orationes Symmachi et Ambrosii* de altari Victoriæ à *L. Giry*, *Parisiis*, an. 1636, in-12.

2.° *Liber de officiis* à D. *de Bellegarde*, an. 1689, in-12, et an. 1688, à *Jacob. Tigeou*, cum aliis ejusdem opusculis, *Parisiis*, in-8°.

3.° *Tractatus de virginitate* à *Josepho de Bonrecueil*, an. 1729, in-12.

4.° *Epistolæ*, an. 1741, 3 volum. in-12.

CAPUT V.

De Scriptoribus ecclesiasticis quinti Ecclesiæ seculi.

Quintum Ecclesiæ seculum, sicut non mediocrem, diviso jam irrevocabiliter imperio, orbis constitutioni mutationem attulit, ità et splendidissimis luminibus illustratum est. Undè seorsìm de factis virisque disserendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica quinti Ecclesiæ seculi.

§ I.

Imperatorum series.

Hic duplici tabellâ duplicis imperii, Orientalis scilicet et Occidentalis, fata oculis subjiciemus.

IMPERIUM ORIENTIS.

Arcadius, mortuo patre, 13 annis regnat, et anno 408 ipse moritur.

Theodosius II, aliter *junior*, secundum concilium Ephesinum, quod favebat Nestorianis, malè propugnat. Ab Attilâ Hunnorum rege exagitatur, et equo delapsus, animam emittit post 42 annos regni, id est, anno Christi 450.

Marcianus concilium Chalcedonense procurat, et anno imperii 6, Christi autem 457 diem supremum obit.

Leo I, ab Anatolio patriarchâ primus omnium coronâ redimitus, Eutychianis adversatur, concilium Chalce-

donense confirmat, à muneribus excludit omnes qui Christianum nomen non profitebantur, et post 17 regni annos, moritur an. 474.

Leo II, dictus *junior*, tres annos natus statim moritur.

Zeno, Leonis I gener, à *Basilisco* aliquandiù solio pulsus, sed posteà restitutus, regnum per 17 annos moderatur, annoque 491, vitæ finem imponit.

Anastasius I, ejus successor, Catholicis infensus, usquè ad seculum sequens perseverat.

IMPERIUM OCCIDENTIS.

Honorius post 28 annorum regnum, anno 423, è vitâ decedit.

Valentinianus III, dejecto *Joanne* tyranno, regnum septennis occupat, quod annis circiter 30 moderatus, occiditur in campo Martii anno 455.

Maximus, imperator electus, 77 die regni propter ignaviam interficitur.

Avitus, imperator in Galliis proclamatus, anno 456 à *Ricimero* Romam veniens debellatur, et episcopus Placentiæ consecratur.

Post unum vacationis annum *Majorianus* ad imperium provehitur, quod ab eodem *Ricimero* post 3 annos dimittere coactus, vitâ privatur anno 461.

Severus III, imperator à *Ricimero* factus, anno 465 vitam et regnum placidè claudit.

Vacat duobus ferè annis imperium.

Electus posteà *Anthemius*, 5 imperii anno, Christi 472, morte violentâ conficitur, jubente iterùm *Ricimero*.

Olybrius ejus, procurante *Ricimero*, successor, eodem anno morte vitam consummat;

Post quatuor mensium vacationem *Glycerius* imperato-

ris nomen invadit, sed anno 474 depositus, ad Saloniæ in Dalmatiâ episcopatum transfertur.

Julius Nepos ab anno 474 regnum occupat usquè ad annum 475, quo in Dalmatiam, rebellante Oreste Patricio, profugit. Anno tantùm 480 occisus vitam consummat.

Augustulus post unum regni annum ab *Odoacro* Turcilingorum et Herulorum rege debellatur, qui regis Italiæ tantùm sibi nomen vindicavit. Hinc exstincto Occidentis imperio successerunt :

ITALIÆ REGES.

Odoacrus à Theodorico Ostrogothorum rege debellatur et occiditur anno 493.

Theodorici regnum in seculum sequens producitur.

GALLICUM REGNUM.

Initio ejusdem seculi, *Pharamundus*, populi bellatoris dux, plures Galliarum occupat provincias, sceptrumque armigerum usquè ad annum 427 moderatur.

Clodio, susceptas ejus vices morte amittit anno 448.

Merovæus, ejus successor, imperat usquè ad annum 456.

Childericus I, regnum usquè ad annum 481 producit.

Clodovæus deniquè I, qui S. Clotildis precibus ad religionem christianam adductus est, glorioso 30 annorum imperio omnes Gallias suæ subjicit ditioni, Francorumque nomen in universum orbem propagare incipit. Mors ejus ad seculum sequens pertinet.

Hinc Gallorum imperium ex Occidentis imperii ruinis primùm exortum fuisse meritò prædicandum est.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

S. Anastasius I, cujus pontificatus utrumque jungit seculum, damnato Rufino, reprobatisque Origenis operibus, cœlo restituitur anno 402.

S. Innocentius I, S. Chrysostomi partes propugnat, Pelagiumque insectatur; undè post 15 episcopatûs annos spiritum exhalat anno 417.

S. Zozimus à Pelagio primùm deceptus, sed veritatis brevì certior factus, illum cum Cœlestio damnat, occupatoque per annum et novem menses apostolico ministerio, è vitâ decedit anno 418.

S. Bonifacius I, reluctante frustrà pseudo-pontifice *Eulalio* in sedem apostolicam extollitur, moriturque anno 422; huic S. Augustinus opus contra Pelagianos consecravit.

S. Cœlestinus I Nestorii erroribus adversatur, illumque jam anteà damnatum in concilio Ephesino generali III, à S. Cyrillo iterùm damnari curat. Mors ejus anno pontificatûs 10, Christi autem 432 accidit.

S. Sixtus III plures scribit ad compescenda Orientalium dissidia epistolas, annoque 440 plenus meritis in cœlum evolat.

S. Leo I, cognomine *Magnus*, cujus vitam infrà narrabimus, gloriosum pontificatum per 21 annos, id est usquè ad annum 461 producit.

S. Hilarius sedem apostolicam 6 annis occupat, supremumque diem obit anno 468.

S. Simplicius fidem contra hæreticos propugnare perseverat, annoque 483 morte consummatur.

S. Felix II, vel III, si inter pontifices numeretur ille qui Liberio exulanti suffectus est, 8 annis Ecclesiam moderatur, transitque ad Deum anno 492, propugnatâ contra Zenonem imperatorem fide.

S. Gelasius Anastasio imperatori Eutychianis faventi reluctari non veretur, et elapsis 5 ferè pontificatûs annis ad cœlum coronandus transfertur anno 496.

S. Anastasius II, Clodovæo Francorum regi ad fidem converso epistolas scribit, et 2 pontificatûs anno, Christi autem 498 cœlo nasci promeretur.

Symmachus, expulso pseudo-pontifice *Laurentio*, sedem apostolicam obtinet, coràmque concilio scelerum horrendorum reus traducitur, sed absolvitur; 16 annis Ecclesiæ præest, secundusque à *Liberio* inter Sanctos non annumeratur. Moritur seculo sequenti.

§ III.

Ecclesiæ adversarii.

Inter præcipuos hujus seculi hæreticos habentur *Vigilantius*, *Pelagiani*, *Semipelagiani*, *Nestoriani*, *Eutychiani*, et *Prædestinatiani*.

1.° *Vigilantius*, Barcinonensis præsbyter, debitum reliquiis honorem, oblatasque Sanctis Dei preces impugnabat; miracula etiam irridebat super Beatorum tumulis patrata. Virginitatis vel cœlibatûs gloriam matrimonio minimè anteponendam contendebat. Errores isti jam in *Joviniano* damnati, ab Hieronymo præcipuè, omnibus semper usquè ad Protestantes approbantibus, fortiter explosi defecerunt.

2.° *Pelagius et Cœlestius*, Monachi, Pelagianorum signiferi, quorum *Origenes*, *Theodorus Mopsuestenus*,

et *Rufinus* Aquileiensis præsbyter præcursores fuisse creduntur, inter præcipuos errores docebant : Adamum sibi soli peccâsse, ità ut peccatum originale in ejus filiis minimè propagaretur, ac proindè inutile foret ad salutem baptisma ; concupiscentiam et oblivionem nunquàm peccandi præbere locum ; pueros sinè baptismo mortuos vitâ frui æternâ, licèt non in cœlo ; hominis libertatem peccato Adami non imminutam, sanam adhùc et integram perstare ; liberum esse homini cupiditates inordinatosque motus penitùs exstinguere ; virtutes non ex dono Dei, sed ex purâ hominis libertate exoriri. Si quandoquè gratiæ nomen necessitatemque proferrent, dona tantùm Dei naturalia hoc nomine intelligenda volebant, vel ad saltem gratias exteriores, aut, si quæ interiores, gratias intellectûs non voluntatis. Imò et liberum hominis arbitrium primam gratiam mereri posse delirabant. A pluribus sanctis Patribus, præsertimque à Beatis Hieronymo et Augustino fuerunt impugnati ; damnatique tùm à pluribus summis pontificibus, Innocentio scilicet I, Zozimo et Cœlestino I, tùm à multis conciliis particularibus, tandemque à Synodo Ephesinâ, generali III, anno 431.

3.° *Semipelagiani*, qui ex Pelagianis pullulaverunt, peccatum quidem originale, interiorisque gratiæ necessitatem cum Catholicis profitebantur, sed cum Pelagianis fidem primamque gratiam saluti necessariam à libero arbitrio pendere propugnabant. Illis confutandis immortuus est S. Augustinus ; damnati sunt tùm à Cœlestino I, Gelasioque et Hormisdâ summis pontificibus, tùm à conciliis Arausicano II, anni 329, et Valentino non ità multò post celebrato, quæ et à Bonifacio II fuerunt confirmata.

4.° *Nestorius*, patriarcha Constantinopolitanus, famosæ Nestorianorum hæresis antesignanus, in duobus potissimùm aberrabat : 1.° quidem, quòd duas in Christo

agnosceret *personas*, ità ut filius Dei non *hypostaticè*, ut aiunt, sed accidentaliter tantùm homini sociaretur; undè Jesus Christus per adoptionem tantùm Filius Dei foret prædicandus; 2.° quòd, necessariâ præcedentis blasphemiæ consequentiâ, Mariam Virginem Filii Dei matrem non esse contenderet, cùm genitum ab eâ Filium non in propriâ personâ Deum esse blasphemaret. S. Procli Cyricensis episcopi, et S. Cyrilli Alexandrini patriarchæ conatibus jam debellatus, à Cœlestino papâ I damnatus est, cujus sententia in concilio generali Ephesino III solemniter fuit confirmata anno 431. Ipse verò Nestorius, in monastérium primò detrusus, deindè verò in exilium actus, morbis senioque confectus interiit, linguamque blasphemiæ instrumentum vermibus fuisse corrosam perhibetur.

5.° *Eutyches*, præsbyter, et monasterii Constantinopolitani abbas, Nestorianis erroribus contraria defendebat. Cùm enim Nestorius duas in Christo personas malè distingueret, Eutyches duas Christi naturas in unam malè pariter confundebat. Error iste Dioscori Alexandrini patriarchæ patrocinio propagatus, à S. Flaviano Constantinopolitano patriarchâ primùm impugnatus est. Damnato in Constantinopolitanâ Synodo anno 449 Eutychete, celebratur à Dioscoro, adjuvante Theodosio juniore, concilium falsum Ephesi, quod, malè habitis ipsius S. Leonis Magni legatis, occisoque etiam Flaviano, *Latrocinii Ephesini* nomine notari meruit. Hinc celebrato concilio Chalcedonensi generali IV damnatur Eutyches, deponiturque Dioscorus anno 451.

Acephali, sic dicti quia nullum primò ducem agnoscebant, *Petrusque Mungus* concilio Chalcedonensi obstiterunt faveruntque Eutychianorum reliquiis.

7.° *Prædestinatiani*, malè interpretatis quibusdam S. Augustini testimoniis, docebant Deum omnium hominum saluti

non consulere; quosdam peccato primùm, deindè verò æternæ damnationi necessariò prædestinari; prædestinatione Dei ità destrui libertatem, ut agendi incumberet necessitas. Faustus, Rietensis episcopus, Lucido præsbytero erroribus istis indulgenti epistolam scripsit, duoque concilia anni 475, unum Arelati, alterum verò Lugduni habita, durissimam illam et divinæ bonitati repugnantem doctrinam reprobârunt.

§ III.

Concilia Generalia quinti Ecclesiæ seculi.

An. 431 celebratur Ephesi Synodus Œcumenica III, astantibus 200 episcopis, sanctoque Cyrillo Alexandrino Cœlestini Papæ I loco præsidente; ubi Sancta Virgo Maria *Mater Dei*, damnato Nestorio Constantinopolis episcopo, conclamata est. Renovatur iterùm in eodem concilio latum in Pelagium anathema.

An. 451 congregatur Chalcedonense concilium, generale IV, ubi damnati sunt Eutyches et Dioscorus, qui unam in Christo naturam prædicabant.

Articulus II.

De vitâ et scriptis Sanctorum Patrum quinti Ecclesiæ seculi.

Quinto seculo, quasi factâ luminum consensione, Ecclesiam irradiârunt *S. Gregorius Nyssenus*, *S. Epiphanius*, *S. Macarius junior*, *S. Chrysostomus*, *Rufinus*, *Prudentius*, *Sulpitius Severus*, *S. Hieronymus*, *S. Augustinus*, *S. Paulinus Nolanus*, *Marius Mercator*, *S. Isidorus Pelusiota*, *Cassianus*, *S. Cyrillus Alexandrinus*,

S. Vincentius Lirinensis, S. Hilarius Arelatensis, Synesius, S. Eucherius, S. Petrus Chrysologus, Basilius Seleuciensis, S. Nilus, Theodoretus, S. Leo, S. Prosper Aquitanus, Salvianus, Faustus Rietensis, S. Sidonius Appollinaris, Julianus Pomerius, et Gennadius.

§ I.

Sanctus Gregorius Nyssenus, circa an. 400.

GRÆCUS.

Gregorius, Basilii Magni frater, minor ætate, at ingenio, litteris et doctrinâ propemodùm par et æqualis, undè ob eruditionem Ελλογιμωτατος και πασης παιδειας αναπλεος, id est, *celeberrimus atque omni doctrinâ plenus;* (*Suid. Lexic. p.* 497.) ob styli amœnitatem perspicuitatemque γλυκυτατος, λαμπρος και ηδονης ωσιν αποςταζων, id est, *dulcissimus, splendidus et voluptatem auribus instillans;* (*Photius Bibl. Cod.* 6.) ob auctoritatem autem, quam in Ecclesiâ obtinuit ὁ των Πατερων Πατηρ, id est, *Pater Patrum*, (*Concil. Nicen. Act.* 6.) appellatus, natus est in Cappadociâ circa annum 331, et à primâ pueritiâ in omnibus sacris profanisque disciplinis institutus. Uxorem primùm duxit Theosebiam, cujus virtutes laudavit S. Gregorius Nazianzenus, (*Epist.* 95.) sed posteà, relicto mundo, in Lectoris munere Dei Ecclesiæque servitio mancipatus est. Cùm autem nimiâ eloquentiæ cupiditate abreptus, posthabitis admissi ordinis officiis, docendæ rhetoricæ partes suscepisset, à S. Gregorio Nazianzeno vehementer correptus, vanam mundi gloriam sectari tandem desiit, et annos natus circiter 40 à Basilio fratre ordinatus est Nyssæ in Cappadociâ episcopus circa exordium anni 372.

Nicænæ fidei imperterritus propugnator, Arianorum furorem ità in se concitavit, ut sede suâ motus, non nisi

defuncto an. 378 Valente imperatore, fuerit à Gratiano restitutus. Moritur intereà Basilius frater, vixque supremis illum prosecutus fuerat honoribus, cùm visitata post octo annorum absentiam moritur et Macrina soror inter fratris amplexus, iisdem honoribus prosequenda.

Ab orthodoxis orientalibus episcopis ad corrigendos irrepentes in Arabiæ et Palestinæ Ecclesias abusus an. 379 deputatus, commissum munus anno sequenti executus est, oblatamque gaudens arripuit loca tot tantisque mysteriis consecrata invisendi occasionem. Interfuit Concilio œcumenico Constantinopolitano II, anno 381, atque deindè duobus aliis ibidem celebratis an. 382 et 394; in quo postremo inter Metropolitanos honoris causâ locum accepit. Quamdiù post hunc annum vixerit nullo certo testimonio constat, quanquàm circa an. 400 defunctus videatur, ut verisimile est, decimâ januarii die, quâ Græci festum ejus celebrant; celebratur autem apud Latinos nonâ die Martii.

Innumera penè supersunt, quæ scripsit S. Gregorius Nyssenus, opera, nempè:

1.° *Hexaëmeron*, seu liber circa sex dierum opus, quod tanquàm complementum haberi potest scripti illius S. Basilii, quod eodem nomine inscribitur. 2.° De *opificio hominis* liber, qui tempore prior, sed argumento posterior, et præcedentis quasi consectarium dicendus est. 3.° Tractatus dogmatici, quales sunt: *Antirreticon contra Apollinarem, decem libri contra Eunomium, decem syllogismi contra Manichæos, testimonium contra Judæos, tractatus de fide, de pueris præmaturè morientibus, de divinitate Filii et Spiritûs sancti, etc...* 4.° *Sermones morales de amore paupertatis, de baptismi dilatione, contra fornicationem et usuram, de pœnitentiâ et eleemosynâ, de Pentecoste, de Nativitate Christi, de ejusdem Baptismo, Resurrectione et Ascensione, de morte, etc..* Quibus adjungi

possunt *tres de perfectione christianâ tractatus, de Moïsis vitâ vel de vitâ perfectâ*, et *liber de virginitate*. 5.° Homiliæ, *quarum 1 in Psalmum sextum*, 8 *in tria prima Ecclesiastæ capita*, 15 *in Canticum Canticorum*, 5 *in Orationem dominicam*, *etc.* 6.° Sermones panegyrici *S. Basilii, quadraginta Martyrum, Pulcheriæ et Placillæ*, quibus addenda *S. Gregorii Thaumaturgi, S. Theodori, S. Meletii, S. Ephræm*, *et S. Macrinæ* acta, vel potiùs encomia. 7.° Simplicior *Catechesis*, quæ *Magna* nuncupatur, in quâ docet quibus argumentis mysteria fidei sint probanda. 8.° Deniquè *Epistolæ* plures *de diversis*. Tractatus de philosophiâ ad Nemesium genuinus non videtur.

Illustrioribus antiquitatis oratoribus conferri potest non impar Gregorius ille Nyssenus; facilis, nitidus, dulcis, nervosus, rigat ubertate, splendore percellit, rapit impetu, illecebris allicit; nusquàm autem major, quàm in iis, quibus adversarios Ecclesiæ debellat, operibus; nullæ, quas non irradiet, errorum tenebræ; nullæ, quas non detegat, ambages; nulla, quæ non deludat, sophismata. Hòc unum illi exprobrandum quòd allegoriis nimiùm indulgeat, multaque obvio sensu accipienda sacræ Scripturæ verba ad alienum sensum detorqueat.

« Stylus illi, inquit Photius, si cui rhetorum, illustris » et jucunditatem auribus instillans... *Theodoro* (1) » concisior est, et *Sophronio* (2) latior; abundat

(1) Theodorus Antiochenus scripsit similiter contra Eunomium pro Basilio librum, de quo idem Photius cod. 4. : « Est illi phrasis non usquequaquè perspicua ; sensibus tamen et argumentis nimiùm quantùm » densus, sacræ Scripturæ testimoniis egregiè abundat. »

(2) Sophronius pariter de eâdem re librum conscripsit, de quo etiam Photius Cod. 5. : « Theodoro apertior et multò doctior ac brevior..... Caractere usus est distinguente ac definiente ; et ut plurimùm solutus » illi, minimèque vinctus sermo, non ingratus tamen, imò et logicis » argumentationibus perquàm floridus est. »

» enthymematis atque exemplis. Illud autem verè pro-
» nuntiaverim : quantùm Gregorius venustate, splen-
» dore et mirificâ jucunditate antecellit Theodoro, tan-
» tùm etiam argumentorum copiâ et ubertate eumdem
» vincere connititur. »

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè prodierunt quædam Nysseni orationes, tùm *Venetiis* an. 1537, tùm *Hoëschelio* curante an. 1564, quo iterùm recensente, quinque opuscula græca emissa sunt *Lugduni Batavorum* an. 1593, in-8°.

Latina, sed non completa, habetur Nysseni à *Frontone Ducæo* editio an. 1605 excusa *Parisiis*.

Græcè autem et *latinè* eodem *Frontone Ducæo* curante lucem vidit plenior et accuratior editio, an. 1615 *Parisiis*, in-fol. 2 vol. Cujus iterùm opere accessit appendix ex suppeditatis et transmissis à *Jacob. Gretsero* an. 1618 *Parisiis*, in-fol. Illa eadem editio simùl cum appendice *Parisiis* iterùm recusa est, an. 1638, 3 vol. in-fol., sed nitidè minùs, et minùs emendatè.

§ II.

Sanctus Epiphanius, Salaminensis episcopus, an. 402, vel 403.

GRÆCUS.

Sanctus Epiphanius juxtà Eleutheropolim Palestinæ urbem circa an. 310 natus, totam disciplinæ monasticæ juventutem cum Hilarione, Hesychio, cæterisque Palestinæ monachis addixit. A Gnosticis penè seductus, sed

Dei misericordiâ sèrvatus, et circa an. 367 Salaminæ, quæ est insulæ Cypri Metropolis episcopatum adeptus, magnâ doctrinæ pietatisque famâ inclaruit.

An. 361 famosa exoritur Epiphanium inter et Joannem Hierosolymitanum de Origenis, quem damnabat ille, hic verò defendebat, erroribus disputatio; cui illud etiam accessit, quòd Epiphanius Paulinianum S. Hieronymi fratrem in monasterio Joannis jurisdictioni subjecto contra canones præsbyterum consecraverit. Hinc damnatis à Theophilo Alexandrino anno 399 Origenis fautoribus, ab Alexandriâ plures expelluntur monachi, quos non ità reos nactus suscipere non dubitavit Joannes Chrysostomus. Hinc, eodem instigante Theophilo, habitum est an. 401 ab Epiphanio concilium, proscriptaque Origenis lectio; hinc, scriptâ primùm ad Chrysostomum epistolâ, Constantinopolim ipse ad urgendam Origenis damnationem devenire sustinuit Epiphanius. Declinatâ omni cum Chrysostomo societate, prætentatisque frustrà qui Constantinopoli tunc temporis versabantur episcopis, eò usquè progressus est, ut mediâ stans in Apostolorum ecclesiâ Origenis libros eorumdemque fautores coràm omnibus reprobare meditaretur; quod certè, non quidem sinè veritatis amore, sed sinè ullo prudentiæ moderamine perfecisset, nisi à Chrysostomo monitus talem agendi rationem regulis canonicis obstare, seditiososque forsan populi concitaturam animos, à proposito meliùs destitisset.

Nec ideò minùs Origenem detestatus, cùm Theodosium juniorem gravi morbo laborantem ab Eudoxiâ imperatrice ejus precibus commendatum accepisset, continuò respondit, liberandum ab instante morte filium, si Dioscori aliorumque Origenis partes tuentium colloquia declinare curaret. Ardentior tamen paululùm quievit zelus habitâ quâdam cum expulsis à Theophilo monachis collatione,

quâ nullam ab illis emissam fuisse hæresim introspicere cœpit. Undè Cyprum remeaturus, jamque navim ascendens, deducentibus episcopis dixisse fertur : *Relinquo vobis urbem, palatium et theatrum*. Ipso in itinere, vel paulòpost reditum defunctus est septuagenarius an. Christi 402 vel 403, pontificatûs autem 36, improbandus quidem in multis, ideò autem excusandus, quòd nimium quidem, sed sincerum nihilominùs veritatis amorem errandi causam habuerit. Quo factum est, ut, testante Anastasio Sinaïtâ, ante annum 647 Epiphanii nomine jam à Cypriis consecratum fuerit templum, quod à Sabino ejus discipulo suscitatum, et universæ Evangelicæ historiæ picturis decoratum narrat Theodorus Studita.

Hæc sunt quæ scripta posteritati commendavit : 1.° celebrem de hæresibus tractatum, qui *Panarium*, græcè Παναριον, seu canistrum plenum remediis contra hæresium venena inscriptus, ab anno 374 ad annum 376 scriptus fuisse videtur. 2.° *Anchoratum*, græcè Αγκυρωτον, quâ velut anchorâ, debellatis Paganorum, Manicheorum aliorumque erroribus, veritati Fideles infigi valeant. 3.° *Anacephalæosin*, Ανακεφαλαιωσιν, seu breviarium magni circa hæreses operis; 4.° de *ponderibus* et *mensuris* librum, in quo librorum Canonicorum catalogus reperitur; 5.° *Physiologiam*, ubi veras aut falsas animalium dotes ità recenset, ut morales indè cogitationes deducat; 6.° librum de *gemmis in veste Aaronis*, quâ nomina, formam, qualitatesque illorum lapidum evolvit; 7.° librum de *vitâ Prophetarum*, qui Epiphanio tribuendus non creditur, propter scaturientes hinc et indè fabulas; 8.° *novem sermones* et tractatum *de numerorum mysterio*, quæ Epiphanio abjudicantur à *Petavio* et *D. Cellier*; 9.° deniquè *epistola* ad Joannem Hierosolymitanum de collatâ Pauliniano ordinatione, et de Origenis doc-

trinâ, in quâ hoc maximè notandum, quod imagines ab ecclesiis expellendas insinuet.

In Epiphanii operibus frustrà eloquentia quæreretur; simplex, rudis, abjectusque dicendi modus; nulla inter cogitationes connexio; linguarum Hebraïcæ, Syriacæ, Ægyptiacæ, et ex parte Latinæ peritus, velut indigestam doctrinæ molem lectione congesserat; sæpè hæreticos validis urget argumentis; sæpiùs incerta confictaque omninò facta referre, proclivior ad credendum, non veretur. Nullus est autem inter patres doctor, qui ad cognoscendam veterem Ecclesiæ disciplinam, confirmandamque variis ejusdem usibus mysteriorum fidem magis inservire valeat.

Hoc de Epiphanio dudùm tulerat judicium Photius dicens : « Cæteris qui ante ipsum contra hæreses scripserunt copiosior atque utilior; prætereà quòd quæ reliqui utilia continebant, hic nequaquàm prætermisit, sed quæcumque præter illa studiosè reperire potuit, adjunxit. Dictio ejus humilis ac planè talis, qualem ejus esse oportuit, qui Atticæ elegantiæ rationem nullam duceret. Infirmus verò ut plurimùm est in conflictibus adversùs impias hæreses susceptis. Est tamen ubi fortiter aggreditur, atque irruit, quamvis neque verborum ipsius, neque constructionis proprietas ullâ ex parte præstantior efficiatur. » (*Biblioth. Cod.* 122.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè non omnia quidem, sed plurima S. Epiphanii scripta prodierunt, edente *Joanne Oporino, Basileæ*, an. 1544, in-fol.

Latinè plures circumferuntur editiones, quarum plenior à *Sebast. Cramoisio* excusa est *Parisiis*, an. 1612.

Græcè autem et *latinè* cuncta simul B. Patris opera

lucem viderunt, cum versione et notis *Petavii*, *Parisiis*, 1622, et iterùm *Coloniæ*, seu potiùs *Lipsiæ*, an. 1682, 2 vol. in-fol.

§ III.

Sanctus Macarius junior, *an.* 404.

GRÆCUS.

Macarius junior, Alexandrinus, discipulus S. Antonii, monachus, præsbyter et abbas Nitriensis, circa annum 404 centenarius obiit. De quo Socrates : « Macarius » Alexandrinus, cùm usquequaquè similis esset Ægyptio, » in hoc uno discrepabat, quòd hilaris esset erga eos qui » ad ipsum accesserant, et urbanitate quâdam juniores » ad disciplinam monasticam alliceret. » (*lib.* 4. *c.* 23.)

Sozomenus verò : « Omnibus ferè arctioris disciplinæ » exercitationibus est perfunctus, quarum alias ipse excogitaverat, quasdam ab aliis acceptas tanto studio excoluerat, ut ex nimiâ cutis ariditate pili barbæ ei non » succreverint. » (*Lib.* 3. *c.* 14.)

Exstant sub ejus nomine :

I.° *Regula monastica*, triginta capitulis comprehensa, quam ediderunt :

1578.— *Henricus Cuicquius*, *Antuerpiæ*, in-8°.

1637.— *Paris.*, *Petrus Roverus*, è societate Jesu, in historiâ monasterii Reomasensis in tractatu Lingonensi, in-4°.

1641.—*Lucas Holtanius* in codice Regularum *Romæ*, in-4°.

II.° *Sermo de exitu animæ justorum et peccatorum* editus :

1688.—A *Guillelm. Caveo* cum interpretatione *Henrici Warthonis* in historiâ litterariâ scriptorum ecclesiasticorum *Lond.* in-fol.

1694.— *Genev.* 1741 —*Basil.* in fol. idem recusus.

Reperitur etiam velut ineditus, in insignibus itineris Italici cum versione *Jacob. Tollii.*

III.° *Fragmentum de quæstionibus ad magnum Eusebium*, quod hùc usquè mihi ineditum videtur.

§ IV.

Sanctus Chrysostomus, *an.* 407.

GRÆCUS.

Joannes, latinè *Chrysostomus*, græcè verò Μελισταγης, vel ὁ την γλυτταν χρυσυς, vel Χρυσορρημων dictus, (1) Antiochiæ in clarissimâ illâ Cœlesyriæ urbe natus est, Secundo patre et matre Anthusâ, parentibus honestis quidem et catholicis, sed minùs opulentis, anno, ut videtur, 347. Patre juvenis adhùc orbatus, sed à matre sanctissimâ viduâ fidei doctrinis et virtutis amore imbutus, vigesimum octavum ætatis annum agens à Meletio Antiochen-

(1) Non consentiunt inter se eruditi de variis S. Chrysostomi vitæ temporibus: juxtà Fabricium natus est anno Christi 354, præsbyter ordinatus an. Christi 386, ætatis 32, episcopus deniquè consecratus an. Christi 398, ætatis 44. Juxtà Feller natus est decem anteà annis scilicet an. Christi 344, præsbyter ordinatus an. Christi 383, ætatis 39, et consecratus pontifex an. Christi 398, ætatis 54. Undè cùm mortuus sit an. Christi 407, juxta Feller vixit 63 annos, et juxta Fabricium solummodò 53. Nobis autem satius visum est patrum Benedictinorum computandi modum sequentes, nativitatis tempus ad an. 347, præsbyteratûs ad 386, episcopatûs autem ad 398, referre, ità ut sexagesimum annum agens mortuus sit.

sium episcopo baptizatus est. In eloquentiâ Libanium doctorem habuit, in philosophiâ Andragathum, in sacris litteris eumdem Meletium, et in monasticâ disciplinâ Evagrium Carteriumque et Tarsensem posteà episcopum Diodorum, quem encomio etiam celebravit.

Ab eodem iterùm Meletio lector, anno circiter 369, ordinatus, tantâ cum laude in suscepto ministerio se gessit, ut ab episcoporum conventu ad pontificatûs dignitatatem rogaretur; quo certior factus, imminentis officii pondus fugiendo latitandoque studiosiùs declinare festinavit, quàm invadere alii blandiendo postulandoque consuevêrunt. Circa annum 374, terrenis voluptatibus abdicatis, secessit primùm in montem juxtà Antiochiam, ubi quatuor annis cum seniore eremitâ degit, deindè in horrendam specum, ubi duobus annis solus ità corpus vigiliis, labore, jejuniisque debilitavit, ut anno circiter 380 Antiochiam repetere morbo cogeretur. Quæ autem Chrysostomum in eremi solitudinem adduxerat Dei providentia, ut ad destinatum munus sedulâ verbi divini meditatione aptior exsurgeret, eadem jàm doctiorem sanctioremque factum in Antiochiæ tumultum reduxit, ut à Meletio diaconus, anno Christi 381 ineunte, ætatis 34, à Flaviano autem præsbyter an. Chr. 386, ætatis 39, consecraretur.

Statim atque ad sacerdotale ministerium assumptus est, concionandi officium suscepit, deputatus à Flaviano, quo præsente, primam habuit summâ cum modestiâ et animi demissione homiliam, ut potè qui se non semel *adolescentulum* μειρακιον et μειρακισκον vocet, licèt penè jàm quadragenarius, peccatoremque libenter prædicans, cœlum addat et terram, et elementa omnia, et feras, et bestias, et homines, et angelos ad celebrandum Dominum à Davide sæpiùs incitari, peccatores verò nunquàm.

Ad hoc tempus referendi primò sermones octo in Ge-

nesim, deindè contra Anomæos Judeosque conciones, quibus intermixtæ fuerunt in SS. Meletium et Philogonium homiliæ, necnon de Natali et de Baptismo Christi, cum aliis quibusdam. Vix unus vel alter annus effluxerat, cùm, exasperato imperatore Theodosio propter memorabilem illam Antiochenorum seditionem, dejectasque et raptatas per urbem statuas, ampla patuit Chrysostomo nostro ad concionadi facultatem exercendam materies. Antiochenis quippè inter spem et metum fluctuantibus, dùm repentini casus novam inexspectatamque quotidiè vel sperandi vel timendi causam offerrent, imparatus ferè semper Chrysostomus, prout res sese dabant stylum vertere coactus, sæpè ex tempore illas admiratione dignas orationes pronuntiabat, modò ut in calamitate versantem populum consolaretur, modò ut fractos periculi magnitudine animos confirmaret, tùm præcipuè ut occasione imminentium malorum Antiochenos ad vitia corrigenda et mores componendos monitorum frequentiâ deduceret. Nemo est autem qui nesciat, quàm terribilis divina intonet judicia, quàm lenis dejectas mentes erigat, quàm flebilis detestandos exaggeret errores, quàm mirabilis tandem et precantis supplicationes pontificis, et condonantis clementiam principis commendet.

Per duodecim annos totus prædicationis muneri deditus, omnes illas, quæ nunc exstant, successivè emisit homilias, quarum aliæ varios sacræ Scripturæ libros, datis interpretationibus, explicandos suscipiunt, qualia sunt præclara illa in Genesim, in Psalmos, in S. Paulum, et maximè in Matthæum commentaria; aliæ verò vel ad debellandos Gentiles, vel ad stabilienda fidei mysteria, vel ad commendandam pœnitentiam, vel ad extollendas Sanctorum virtutes diriguntur.

Defuncto circa annum 398 Nectario, Chrysostomus,

cujus fama jam latè inclaruerat, ejus loco in Constantinopolitanum episcopatum sufficitur, et à Theophilo patriarchâ Alexandrino, jubente Imperatore, consecratur. Quâ sede potitus, non solùm Anomæis, qui luporum instar rapacium oves disperdere tentabant, confutandis comprimendisque curam dedit, sed *à sanctuario incipiens*, sacerdotes ad meliorem frugem et exemplo, et auctoritate, expulsis præsertim ex eorum domo virginibus, revocare aggressus est. Nec intereà sermonum quasi necessariam consuetudinem intermittere, inter quos præcipuè eminent, tùm sivè in epistolas ad Ephesios, ad Colossenses, ad Hebræos, sivè in Acta Apostolorum conciones, tùm duodecim Constantinopolitanæ inventæ nuper homiliæ.

Cùm autem in superbiam luxumque magnatorum liberiùs inveheretur, in potentium quorumdam odium incidit, Eutropii maximè Imperatori familiaris, Gaïnæ tyranni, cui ecclesiam Arianis tribuendam denegavit, aliorumque omnium, quos procùl ab urbe relegandos curavit, Arii discipulorum, quibus etiam patrocinatus est Theophilus Alexandrinus, Chrysostomo dudùm infensus, sivè quia ipse hunc invitus consecraverat episcopum, sivè quia ille expulsos ex Nitriæ eremo quatuor eremitas tanquàm nimiùm Origeni faventes in communionem, abnegato penitùs errore, receperat. Nec diù defuit dejiciendi Joannis occasio: cùm enim pro more suo concionans mulierum luxum fastumque insectaretur, orationem ità vulgus excepit, ac si Eudoxiam Augustam pestringere voluisset. Nec mora: res ad Augustam defertur; muliebres incenduntur iræ; Imperator repetitis questibus fatigatur; urgetur Theophilus, ut citò veniens congregato concilio in Chrysostomum sæviat. Frustrà Chrysostomus extraneos infensosque recusavit judices, et Nicænæ disciplinæ observantiam efflagitavit; inauditus in conciliabulo *ad Quercum* dicto

an. 403 damnatur, deponitur, expellitur; facto autem vehementi terræ motu, concussoque palatio, tremefacta Eudoxia revocatum brevi Chrysostomum in sedem restitui curavit.

Concurrente in occursum plebe, accensos inter faces, lætitiæque clamores triumphantis more urbem ingredi, et episcopalem cathedram ascendere cogitur. Tunc duas ad populum homilias habuit, quarum in priore populo congratulatur, quòd non obstantibus, qui tunc agebantur, ludis circensibus, *omnes in ecclesiam, ceu torrentes, confluxerint*, in posteriore verò convertitur in laudes Eudoxiæ Augustæ, quam, ad sedandos exasperatæ plebis animos, encomiis celebrat.

Sed non diuturnâ Joanni tranquillitate frui licuit; vix enim duo à reditu menses intercesserant, cùm res iterùm innovantur. Erectâ enim juxtà ecclesiam sanctæ Sophiæ argenteâ Eudoxiæ Augustæ statuâ, pro recepto more populares ludi celebrati sunt, quorum non solùm licentiâ christiani mores lædebantur, sed tumultu etiam divina interturbabantur mysteria. Cujus quidem flagitii impatiens Chrysostomus, pristinâ loquendi libertate hos omnes qui ejusmodi ludos vel agebant, vel præcipiebant, vel intuebantur, vehementer insectatus est. Eudoxia verò id in contumeliam suî dictum reputans, rursùs Joannis perniciem machinata, synodum episcoporum adversùs illum congregari curavit. Stabant contra Chrysostomum plurimi ex Cappadociâ, Phrygiâ, Ponto et Syriâ episcopi; pro Chrysostomo autem quadraginta duo pontifices, totusque populus, qui magnâ cum alacritate ejus doctrinâ fruebatur. Alterâ nihilominùs vice à sede beatus doctor expellitur, qui à synodo damnatus et depositus sedem suam, sinè novi concilii decreto repetere præsumpsisset.

Ecclesiâ excedere jussus, imperterritus respondit, *se à Deo ecclesiam accepisse, et ab illo solo ejici posse.*

Cùm autem imminente Paschatis tempore, vereretur Imperator, tùm diei sanctitatem, tùm ne motus populi excitarentur, dixêre primipilares Chrysostomi hostes, Acacius scilicèt et Antiochus : *In caput nostrum sit Joannis depositio.* Veniebant ex alterâ parte quadraginta illi episcopi qui Joanni consentiebant, obnixè precantes, ut Ecclesiam Dei in pace relinquerent, maximè propter Pascha, et propter eos qui regenerandi erant. At cùm nihil impetrare possent, Paulus episcopus Cratiæ clamavit : *Eudoxia, Deum time ; tuorum liberorum miserere ; neque violes sanctam Christi solemnitatem sanguinis effusione.* Quo dicto, mœrentes abierunt.

In ipso igitur Sabbato Sancto ad vesperam in ecclesias ingressi milites, Clerus omnis ejectus, et obsessum undiquè armis sanctuarium. Mulieres, quæ se exuerant ut baptizarentur, vel nudæ aufugere, vel acceptis vulneribus ejici : sanguine impleri piscinæ, et cruore sacri latices rubescere. Omnia mixta turbataque : profanatum à militibus sanctuarium ; extracta in lucem mysteria ; sanguis ipse Christi in impiorum vestes effusus ; vacuæ in tantis festivitatibus ecclesiæ ; ubiquè per fora, per domos, per solitudines, per omnes civitatis partes omnia lamentis, ejulatibus et fontibus lacrymarum plena : expugnatam diceres ab hostibus civitatem. Chrysostomus tamen Constantinopoli adhùc in episcopalibus ædibus post Pascha bimestri spatio permansit, nec semel sicariorum insidiis appetitus, noctu diuque à fidelibus custodiebatur, donec cogente Imperatore, episcopis et diaconissis valefaciens, dicensque : *Cursum meum consummavi, et vultum meum non ampliùs videbitis,* prorumpentibus undiquè lacrymis, egressus est.

Agebatur annus 404, cùm Joannes in exilium amandatur, vel potiùs expellitur; quamquàm scriptâ Innocentius Papa I epistolâ improbatum Theophilum ad generale legitimumque concilium convocâsset. Ipso autem exeunte Joanne, emissa subitò flamma illam, in quâ solebat concionari, sedem, totamque brevì ad tectum usquè progressa combussit ecclesiam; indè verò ad ædes Senatûs, quæ palatio proximæ erant, intactis interpositis, transiliens, illas in cinerem redegit, soli ædiculæ parcens, in quâ sacra vasa servabantur.

Suffecto igitur in ejus locum Arsacio quodam sene, non sinè multis periculis et laboribus Cucusum pervenit, ubi ne Ecclesiæ lateret inutilis tùm plures scribere epistolas, tùm Gothorum Catholicorum magnam curam gerere, tùm Antiochenos simùl et Constantinopolitanos monitis in sacræ fidei dogmatibus confirmare non cessavit, ità ut propagandæ religionis zelo semper et ubiquè flagrans in persecutione clarior exsul effulserit, quàm pontifex anteà Constantinopoli. Nec dolorum adhùc finis: Isaurorum non ità multò post incursionibus, asperrimâ licèt hyeme, deserta petere loca cogitur, Arabyssumque confugere, munitius oppidum, ex quo iterùm pertractus, inter militum continuas vexationes tempestatisque improbitatem, Pityuntem in locum regionis Tzanorum desertissimum raptari jubetur. Cùm autem Comanis appropinquâssent, à Basilisco martyre divinitùs his verbis admonitus: *Confide, frater Joannes, crastino enim die simul erimus*; assumptis, quas habebat, splendidissimis vestibus, susceptisque dominicis symbolis, cùm pro more suo dixisset: *Gloria Deo propter omnia*, et ultimum *Amen* obsignâsset, appositus est ad patres suos et ad Christum transiit.

Obiit autem sexaginta annos natus 14 septembris die an. 407, Honorio septimùm, et Theodosio iterùm Consulibus,

» men hìc dicendi genus dictio pronior, tantò est eâ quâ
» in homiliis in Acta Apostolorum utitur inferior, quantò
» hæc à commentariis in Apostolum ac Psalmos supera-
» tur. Cùm enim ubiquè orationem puram, illustrem ac
» benè dispositam non sinè voluptate artificiosè contexat,
» in his maximè scriptis virtutibus illis exemplorumque
» ubertate, atque enthymematum copiâ, et cùm ità opus
» sit, etiam gravitate excellit; quin, ut semel dicam,
» verbis hæc monumenta, compositione, methodo, sen-
» sibus, et id genus apparatu, præstantissimè exornata
» edidit. » (*Biblioth. Cod.* 172. *et seq.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè prodierunt commentarii in S. Pauli epistolas, an. 1529 *Veronæ*.

Latinè, excusa sunt B. doctoris opera tùm sæpissimè, tùm præsertim ex versione *Frontonis Ducæi* an. 1613 *Parisiis*, et 1614 *Antuerpiæ*, et 1687 *Lugduni*, quæ ultima plenior meliorque plura continet sivè à Chrysostomo, sivè circa Chrysostomum confecta.

Græcè demùm et *latinè* emissa est primùm *Etonæ* in Angliâ castigatissima et plenissima ejusdem operum editio curâ et impensis *Henrici Savilii*, 9 voluminibus, ab anno 1610 ad annum 1613 vulgatis. Eodem tempore prodierunt duodecim volumina *Parisiis* confecta 1609, 1633, 1636, et tandem accuratiùs *Franco-Furti*, 1698, ex recensione, et cum interpretatione *Frontonis Ducæi*. Sed omnes omninò præcedentes editiones obscuratæ sunt ab illâ quæ curante D. de *Montfaucon*, Benedictino, lucem vidit *Parisiis*, an 1718 et 1738 13 vol. in-fol., cujus, cùm perfectio satis omnibus innotescat, nostris laudibus non indiget.

GALLICÆ VERSIONES.

Gallicè prodierunt :

1.° *Homiliæ in Genesim* versæ à *Nicolao Fontanio*, 2 vol. in-8°.

2°. *Homiliæ in S. Paulum* eodem interprete an. 1684, 7 vol. in-8.° Iste autem se emendare coactus est, quia sanctum doctorem historico more loquentem produxerat.

3.° *Epistolæ* à patre *de Bonrecueil*, 2 vol. in-8°.

4.° XXI *Homiliæ ad populum Antiochenum de Statuis* à *D. Maucroix*, an. 1789.

5.° *Sermones delecti* à D. *de Bellegarde*, 3 vol. in-8.° 1690— 1691.

6.° *Sermones in Actus Apostolorum* ab eodem, 1 vol.

7.° *Opuscula ejusdem*, eodem iterùm interpretante, 1 vol. in-8°.

8.° *Homiliæ in S. Matthæum*, D. *de Marsilly* interprete, 3 vol., in-4.°, *Parisiis* 1664, vel 3 vol. in-8.° 1666.

9.° Deniquè *Homiliæ*, *Sermones* et *Epistolæ* delectæ ex S. Chrysostomo cum variis ejusdem operum fragmentis auctore D. *Auger*, 4 vol. in-8°. Quæ versio cæteris longè anteferenda.

§ V.

Rufinus, *an.* 410.

LATINUS.

Rufinus, à quibusdam *Toranus* vel *Tyranius* cognominatus, Aquileiensis præsbyter S. Hieronymi temporibus,

floruit, cujus ex familiari amico infensus posteà inimicus effectus est. Vitam monasticam professus, in monasterio baptismum suscepit anno 371; anno autem 374 cum Melaniâ Ægypti solitarios invisurus profectus est, undè Palestinam veniens, in sanctæ hujus mulieris domo viginti et quinque annos assiduo labori incubuit. Cùm græcam simul et latinam linguam apprimè calleret, plura græcorum opera latinæ fidei reddere curavit; quo factum est ut Origeni plùs æquo adhærens ab Hieronymo primùm exagitaretur, et Romæ etiam, quam anno 397 cum eâdem Melaniâ repetierat, ab Anastasio papâ I damnaretur. Præsbyteri tamen dignitatem Aquileiæ rursùs assumptam usquè ad annum 409 exercuit, quo, Visigothis Italiam vastantibus, in Siciliam se recepit, ubi anno 410 defunctus creditur.

Plures confecit Græcorum versiones, plura etiam latina ipse conscripsit opera.

I.° Præcipuæ Rufini versiones sunt: 1.° *viginti libri de antiquitatibus Judæorum*, Flavio Josepho auctore; 2.° septem ejusdem libri *de bello Judaïco;* 3.° duo iterùm ejusdem contra *Appionem libri;* 4.° *historia ecclesiastica* Eusebii, novem libris coarctata, et nimiâ cum libertate translata; 5.° *Recognitionum libri* S. Clementi malè ascripti; 6.° *sententiæ Sixti Pythagorici*, quas *Sixto* papæ II immeritò tribuit; 7.° Origenis de *principiis* libri, et *homiliæ complures;* 8.° *Apologiæ Pamphili pro Origene* liber primus; 9.° S. Gregorii Nazianzeni *orationes* cum S. Basilii *regulis asceticis;* 10.° Evagrii Pontici *sententiæ*. In cunctis versionibus liberiùs agit, scriptorum sensui potiùs quàm verbis attendens.

II.° Hæc sunt autem quæ ipse conscripsit opera: 1.° *Duo Historiæ Ecclesiasticæ libri*, Eusebio superadditi; 2.° *scriptum pro Origene;* 3.° *duæ contra apologiam S. Hie-*

ronymi invectivæ ; 4.° apologia ad Anastasium Papam ; 5.° *explanatio Symboli*, quam præsertim, nec immeritò laudat Gennadius ; 6.° *explanatio Jacobi benedictionum ;* 7.° *varii* in Scripturam sacram *commentarii.*

Rufinum, tàm vehementer ab Hieronymo impugnatum, doctissimum tamen inter coævos extitisse fatendum est, latinæque Ecclesiæ plurimùm transmissis ad illam Græcorum cognitionibus profuisse. Quæ multa didicerat, non contemnendo proferebat eloquio ; Hieronymo quidem non æqualis, sed tamen non prorsùs impar ; Origenis certè ipsius, sed non Origenis errorum defensor ; Pelagii magister, sed Pelagiana delirâsse minimè convictus ; damnatus ab Anastasio, sed neque ab Ecclesiâ, neque à dignitate dejectus. Temeritatis ergò notam incurrere non poterit, qui intentatis ab Hieronymo inter disputandum injuriis nimiùm non attendens, Rufinum cum Gelasio papâ *virum religiosum* appellare sustinuerit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

An. 1580, *Parisiis*, apud *Sonnium*, in-fol. omnia, paucis exceptis, collecta sunt et excusa Rufini opera, curante *Renato Laurentio de la Barre.*

Versiones in veteribus Græcorum scriptorum editionibus leguntur, quædam etiam videri possunt apud S. Hieronymum.

§ VI.

Prudentius, an. 415, *vel* 420.

LATINUS.

Quintus Aurelius Prudentius Clemens, Augustæ Cæsareæ in Hispaniâ natus est an. 348. Liberalibus disciplinis

informatus, foriquè causas aliquandiù sectatus in duabus celeberrimis urbibus exercendæ justitiæ munus accepit; imò et posteà ab Honorio Imperatore ad excellentius officium promotus. Quinquaginta septem annos natus, id est an. 405, æternæ salutis operandæ desiderio flagrans, reliquum vitæ tempus conficiendis in Dei Sanctorumque honorem hymnis impendere proposuit.

Hinc plura scripsit poëmata, quibus ferè omnibus græcas inscriptiones præmisit: 1.° *Psychomachiam*, sivè animæ pugnam, ubi hexametris versibus virtutum vitiorumque in Christianâ mente certamina describit; 2.° *Cathemerina*, vel diurna carmina ad consecrandos uniuscujusque diei actus præcipuos; 3.° *Coronarum* librum, in quo Martyrum laudes concinit; 4.° *Apotheoses*, vel de Divinitate tractatus, quibus Paganorum, Judæorum, Sabellianorum, Arianorum, Apollinaristarumque errores debellat; 5.° *Amartigeniam*, vel de origine peccatorum contra Marcionem; 6.° duos circa Symmachum libros ad confutanda idololatriæ deliramenta; 6.° denique *Disticha* de quibusdam veteris novique Testamenti historiis, quas longioris fortè operis, *Dyttochæi* nomine, de quo loquitur Gennadius, reliquias non immeritò dixerim.

Non conferendus certè cum Augustiniani seculi elegantissimis auctoribus, posterior ille Prudentius, cujus opera barbaris etiam verbis quandoquè scaturiunt. Nobiles interdiù, et sinceri Christiani non indignas cogitationes, elegantiori dictione repræsentatas reperies. Sic, ut pauca referam, de martyrio S. Hippoliti præsbyteri Romani agens, sic Proconsulis jam in solio sedentis, et carnificibus stipati rabiem exprimere conatur:

« Indè catenarum tractus, hinc lorea flagra,
» Stridere, virgarum concrepitare fragor.

» Ungula fixa cavis costarum, cratibus altos
» Pandere secessus, et lacerare jecur.
» Ac jam lassatis judex tortoribus ibat
» In furias, cassâ cognitione fremens.
» Nullus enim Christi ex famulis per tanta repertus
» Supplicia, auderet qui vitiare animam.
» Indè furens quæsitor ait : Jam tortor ab unco
» Desine; si vana est quæstio, morte agito.
» Huic abscinde caput, crux istum tollat in auras,
» Viventisque oculos offerat alitibus.
» Hos rape præcipites, et vinctos conjice in ignem,
» Sit pyra quæ multos devoret una reos. »
(*Ex lib. de Coronis hymn.* 11.)

Deindè ità B. Hippoliti martyrium describit:

« Hæc persultanti celsum subitò antè tribunal
» Offertur senior, nexibus implicitus.
» Stipati circùm juvenes clamore fremebant,
» Ipsum Christicolis esse caput populis;
» Si foret exstinctum properè caput, omnia vulgi
» Pectora Romanis spontè sacranda diis.
» Insolitum lethi poscunt genus, et nova pœnæ
» Inventa, exemplo quo trepident alii.
» Ille supinatâ residens cervice : Quis, inquit,
» Dicitur ? Affirmant dicier Hippolitum.
» Ergò sit Hippolitus, quatiat turbetque jugales,
» Intereatque feris dilaceratus equis.
» Vix hæc ille; duo cogunt animalia, freni
» Ignara, insueto subdere colla jugo;
» Non stabulis blandi-ve manu palpata magistri,
» Imperiumque equitis antè subacta pati.
» Jamque reluctantes sociârant vincula bigas,
» Oraque discordi fœdere nexuerant.

» Temonis vice funis est, qui terga duorum
» Dividit, et medius tangit utrumque latus.
» Crura viri innectit laqueus, nodoque tenaci
» Astringit plantas, cumque rudente ligat.
» Instigant subitis clamoribus, atque flagellis;
» Iliaque infestis perfodiunt stimulis.
» Ultima vox audita senis venerabilis hæc est :
» Hi rapiunt artus; tu rape, Christe, animam.
» Prorumpunt alacres, cæco et terrore feruntur,
» Quà sonus atque tremor, quà furor exagitant;
» Incendit feritas, rapit impetus, et fragor urget :
» Prona, fragosaque petunt, ardua transiliunt.
» Scissa minutatim labefacto corpore frusta
» Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
» Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret,
» Parte rubent frondes, parte madescit humus. »

(*Ex lib. de Coronis, ibid.*)

Idem pariter in S. Eulaliæ martyrio satis eleganter, licèt aliâ modulatione, non injucunda cecinit carmina. Sic illam nocte à paternâ domo ad martyrium, quasi ad triumphum evolantem exhibet :

« Ingreditur pedibus laceris,
» Per loca senta situ et vepribus,
» Angelico comitata choro. »

Sic eam à Martyrio dissuadentem Proconsulem in medium adducit :

« Te lacrymis labefacta domus
» Prosequitur, generisque tui
» Ingemuit anxia nobilitas,

» Flore quod occidis in tenero,
» Proxima dotibus et thalamo.
» Non movet aurea pompa thori,
» Non pietas veneranda senum,
» Quos temeraria debilitas ?
» Ecce parata ministeria
» Excruciabilis exitii.

» Aut gladio feriêre caput,
» Aut laniabêre membra feris,
» Aut facibus data fumicis,
» Flebiliterque ululanda tuis,
» In cineres resoluta flues. »

Sic deniquè ejus mortem repræsentat :

« Flamma crepans volat in faciem,
» Perque comas vegetata caput
» Occupat, exsuperatque apicem.
» Virgo citum cupiens obitum
» Appetit, et bibit ore rogum. »

(*Ex lib. de Coronis, hymn.* 3.)

Sufficiant ista ut legentes intelligant, non optimum quidem, sed tamen non penitùs contemnendum poëtam extitisse Prudentium; cujus veteres carmina non fuerunt dedignati.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Excusa sunt Prudentii opera præsertim an. 1564 cum notis et emendationibus *Pulmani Graffemburgi* et *Victoris Giselini*; 1603, *Hanovæ*, cum *Veitzii* notis, et novissimè an. 1617 *Amstelodami*, cum notis *Heinsii*, in-12.

§ VII.

Sulpitius Severus, an. 420.

LATINUS.

Sulpitius Severus, Agennensis præsbyter, natalium nobilitate, ingenii dotibus vitæque sanctitate illustris, eodem, quo Hieronymus et Rufinus, tempore floruit. Magistro quidem S. Martino, cujus vitam conscripsit, amico autem familiari S. Paulino Nolano usus est, qui ità de illius ad sanctiorem vitam conversione loquitur : « Cur te adhùc infelicem et in luto fæcis infernæ adhæ- » rentem ingemiscas, quòd vel unum, ut scripsisti, præ- » diolum non vendidisse videaris ?.... Domûs tuæ hospes » es, ut sis hospitum domus : patriæ tuæ peregrinus es, » et exul istius mundi, ut sis incola Paradisi, et patriæ » civis antiquæ. Non tricliniis tua tecta occupas, neque » suppellectilis aut pecuniæ molibus stipas ; sed peregri- » nis et egentibus unius ipse metator anguli comples, » tuorumque confamulus vernaculorum temporale habi- » taculum tui tecti, non ut paterfamilias usurpas, sed » ut mercenarius vel inquilinus inanis stipendium quasi » precariæ mansionis Domino altissimo pensitans de so- » cià et corporis tui et animi servitute......... Sic uteris » mundo, quasi non utaris ; atque haud scio an fortioris » fidei judicanda sit ista constantia et firmitas tui cordis, » quâ inter ignes non ureris, inter laqueos non caperis, » picem tangis, nec inquinaris, quàm eorum quos tu for- » tes putas, ego autem infirmiores arbitror judicandos, » quia non credentes infirmitati suæ festinaverunt alienare » omnia, quibus inhærere timuerunt. » (*Epist.* 24, *n.°* 1. — 4.)

Narrat autem Gennadius illum « In senectute suâ à
» Pelagianis deceptum, et agnoscentem loquacitatis cul-
» pam, silentium usquè ad mortem tenuisse, ut pecca-
» tum quod loquendo contraxerat, tacendo penitùs emen-
» daret. » (*De viris illustribus.*) Usquè ad annum 420
vitam produxisse perhibetur.

Scripsit 1.° *Historiam Sacram* duobus libris constantem, quâ breviter et eleganter narrat quid sivè apud Judæos, sivè apud Ecclesiam notandum evenerit ab orbe condito usquè ad annum Christi 400; 2.° *Vitam S. Martini*, cum tribus epistolis, ubi de morte miraculisque beati viri loquitur; 3.° *tres dialogos* Gallum inter et Posthumianum, quorum primus de monachis Orientalibus, secundus verò et tertius de ejusdem B. Martini virtutibus diserit; 4.° *quasdam epistolas ad amorem Dei et contemptum mundi exhortatorias*, (Gennad. ibid.) quæ reperiuntur sivè in *Spicilegio D. Lucæ Dachery*, sivè in *Baluzii Miscellaneis*.

Urbanus, elegans, purusque in scribendo Sulpitius, Sallustium quem imitandum susceperat in eo superavit, quòd brevitas perspicuitati minimè noceat. Nullum historiæ breviarium digestum meliùs meliùsque scriptum reperies; quanquàm nonnulli hinc et indè tùm circa historiam, tùm circa mille annorum regnum, aut Antichristum aut finem mundi errores deprehendantur. Miracula faciliùs credere incusatus est; sed fatendum est plures etiam inter religiosos scriptores, seculi hujus ingenio nimiùm indulgentes, nimiam veteribus credulitatem, nimiùm forsan ipsi increduli, sæpiùs exprobrare.

Illum Gennadius vocat : « Virum genere et litteris no-
» bilem, et paupertatis atque humilitatis amore conspi-
» cuum, carum etiam sanctorum virorum Martini Turo-
» nensis episcopi et Paulini Nolani. » (*Gennad. ibid.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Prodierunt accuratiùs Sulpitii Severi opera, tùm an. 1647 et 1654 *Amstelodami*, ex *Elzeviri* officinâ, *Hornio* curante, tùm an. 1741, 2 vol. in-fol. et 1754, 2 vol. in-4.° ab *Hieronymo de Prato*, *Veronæ*.

§ VIII.

Sanctus Hieronymus, an. 420.

LATINUS.

Hieronymus, Stridonæ, inter Dalmatiæ et Pannoniæ fines circa annum Christi 331 (1), natus est Eusebio patre, non ignobili viro, qui filium liberalibus studiis ab infantiâ mancipavit. Romæ doctorem habuit celeberrimum in grammaticâ Donatum, cujus monitis instructus plurimùm in litterarum et eloquentiæ disciplinas profecit. Excellentioris autem doctrinæ desiderio abreptus, Galliis, ubi excultæ à peritissimis viris florebant scientiæ, cum Bonoso amico peragratis, collectisque hinc et indè divitiis, Romam repetiit librorum disquisitioni studioque magis semper atque magis addictus. Utrùm verò ante inchoatam, vel post confectam peregrinationem baptisma sus-

(1) Magna de B. Hieronymi *chronologiâ* inter doctos disputatio. Nec nativitatis, nec mortis, nec ipsius vitæ spatii tempus certum est. Juxtà quosdam natus est anno Christi 329, juxta alios 331, vel 37, juxta Baronium anno 342; nec desunt qui usquè ad an. 348 vel 50 originem ejus differant. Quidam illum mortuum contendunt an. 47, plures verò cum Baronio an 420. Undè ab aliis 78, ab aliis 91, ab aliis 98 annum ætatis attigisse fertur. Quid probabilius duxerimus, in ipsâ beati viri historiâ videbitur.

ceperit, non satis inter historiæ scriptores convenit; hoc tantùm pro certo habendum est, illum Romæ baptismo fuisse consecratum.

Hinc perlustratâ primùm Aquileiâ, deindè Thraciâ, et Ponto, et Bythiniâ, et Galatiâ, et Cappadociâ, in horrendas Chalcidæ Syriæ solitudines se recepit, ubi vigiliis hebraïcæque linguæ studio importunas romanarum deliciarum imagines ab animi oculis amovere conatus, repetitas carnis tentationes per quatuor annos debellavit: quoadusquè monachorum, fidem ejus suspectam habentium, quæstionibus fatigatus, Antiochiam remeavit. Quam cùm in tres partes divisam invenisset, propter Meletium, Paulinum et Vitalem, qui simul ejusdem Ecclesiæ Præsules se jactabant, interrogato per litteras summo Pontifice Damaso, cujus cathedræ, id est *cathedræ Petri* semper *consociari* volebat, (*Hier. Epist.* 14 *ad Dam.*) de legitimâ Paulini electione certior factus, non illi solùm adhæsit, sed et sacerdotem ab illo se ordinari passus est, eâ tamen conditione, quòd nulli Ecclesiæ addiceretur. Imò et juxtà S. Epiphanium « propter verecundiam et humilitatem noluit debita nomini suo exercere sacrificia, et laborare in hâc parte ministerii quâ Christianorum præcipua salus est. » Quamvis nonnulli non immeritò contendant illum quidem nulli Ecclesiæ fuisse adscriptum, sed divina obtulisse mysteria: alioquin enim Sacerdotem audire quid profuisset?

Constantinopoli deindè aliquandiù versatus, ut Gregorium Nazianzenum sacræ Scripturæ quasi doctorem haberet, Romam cum Paulino ad tractandas Ecclesiarum causas circa an. Christi 382 evocatur. Hic ità brevi doctrinâ et virtute inclaruit, ut, jubente Damaso papâ, omnes omnium episcoporum de Scripturis et moribus quæstiones solvendi curam susciperet. Romanis etiam non ingratus

matronis, sacræ Scripturæ doctrinam quotidiè evolvebat, inter quas præcipuum habuêre locum Marcella junior vidua, Melania, Asella, Marcellina, Felicitas, et præsertim sancta Paula, ejusque filiæ, Blesina, Eustochium, Paulina, Rufina et Toxotium, quarum nomina Hieronymi scriptis perpetuæ commendantur memoriæ. Hinc propter crescentem in dies auctoritatem exoriri invidia, cui etiam faces subministravit perditorum quorumdam sacerdotum ira, quos propter corruptos mores liberiùs exagitabat. Hinc eò impudentiæ deventum, ut infamis flagitii reus argueretur, quod tamen in quæstionem postulatus accusator publicè denegavit.

Defuncto post annos tres Damaso Papâ, diutiùs abruptæ solitudinis quietisque cupidus, transfretato mari, Bethleem in terrâ nativitatis Domini, ultimam deniquè sedem fixit, constructaque à B. Paulâ quatuor monasteria fideliter moderatus est. Optatatâ dudùm pace potitus tandem Hieronymus perscrutandis Scripturis, confutandisque hæreticis non infelicem operam dedit. Vigilantium et Jovinianum fidei Catholicæ, gloriæ virginitatis, et Martyrum honori insultantes fulminis instar dejecit, nascentesque Pelagii errores jam senior juvenili animo repressit.

Rufinum verò familiari priùs amicitiâ devinctum, tanquàm Origeni nimiùm faventem, duriùs insectatus est, quod illi S. Augustinus in epistolâ ad eum scriptâ solerter admodùm exprobavit: « Nescio, inquit, quæ scripta maledica super tuo nomine ad Africam pervenerunt. Accepimus tamen quod dignatus es mittere, illis respondens maledictis. Quo perlecto, fateor, multùm dolui inter tam caras familiaresque personas, cunctis penè Ecclesiis notissimo amicitiæ vinculo copulatas tantum malum extitisse discordiæ. Et tu quidem tibi quantùm modereris, quantùmque teneas aculeos indignationis tuæ ne

» reddas maledictum pro maledicto, satis in tuis litteris
» eminet. Verùmtamen si eas ipsas cùm legissem con-
» tabui dolore, et obrigui timore, quid de me illa face-
» rent, quæ in te ille scripsit, si in manus meas fortè
» venissent. *Væ mundo à scandalis*....... Quis deniquè
» amicus non formidetur quasi futurus inimicus, si potuit
» inter Hieronymum et Rufinum hoc, quod plangimus,
» exoriri. O misera et miseranda conditio! O infida in
» voluntatibus amicorum scientia præsentium, ubi nulla
» est præscientia futurorum!...... Acerrimis dolorum sti-
» mulis fodior, dùm cogito inter vos, quibus Deus hoc
» ipsum, quod uterque nostrûm optavit, largum pro-
» lixumque concesserat, ut conjunctissimi et familiaris-
» simi mella Scripturarum sanctarum pariter lamberetis,
» tantæ amaritudinis irrepsisse perniciem quandò non,
» ubi non, cui non homini formidandam: cùm eo tem-
» pore, quo abjectis jam sarcinis secularibus, jam expe-
» diti Dominum sequebamini, et in eâ terrâ vivebatis simùl,
» in quâ Dominus pedibus humanis ambulans, *pacem*
» *meam*, inquit, *do vobis, pacem meam relinquo vobis*,
» (Joan. 14, 27.) viris ætate maturis, et in eloquio Do-
» mini habitantibus vobis accidere potuit? *Verè tentatio*
» *est vita humana super terram.* (Job. 7, 1.) Heu mihi,
» qui vos alicubi simùl invenire non possum, fortè ut
» moveor, ut doleo, ut timeo, prociderem ad pedes ves-
» tros; flerem quantùm valerem; rogarem quantùm ama-
» rem; nunc unumquemque vestrûm pro seipso, nunc
» utrumque pro alterutro, et pro aliis et maximè *infir-*
» *mis, pro quibus Christus mortuus est*, qui vos tan-
» quàm in theatro vitæ hujus cum magno sui periculo
» spectant, ne de vobis ea conscribendo spargatis quæ
» quandoquè concordantes delere non poteritis, qui nunc

» concordare nolitis, aut quæ concordes legere timeatis,
» ne iterùm litigetis. » (*Epist.* 73, n.° 6. 8.)

Nemo certè non mirabitur spirantem in hâc epistolâ tanti viri caritatem; nemo simùl non timebit, cùm maximos etiam Sanctorum aliquandò errâsse perspexerit. Humani semper homines super terram, sanctiorque evadit ille, qui vel minores contrahere sordes, vel contractas uberioribus novit lacrymis eluere.

Sic quod ardentioris zeli vehementiâ, animique propter duram eremi vitam exasperati rigore peccare potuerat, delevisse Hieronymum credendum est. Provectâ in senectute, anno ætatis circiter 89, Christi 420 defunctus est, et ad præsepe Domini sepultus.

Hæc sunt autem præcipua sancti doctoris opera, nempè: 1.° *versio latina Scripturæ sanctæ* juxtà textum hebræum, quæ *Vulgata* nuncupatur, et ab Ecclesiâ fuit admissa, exceptis *Psalmorum*, *Baruch*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *et Machabæorum libris*; 2.° plura circa veteris novique Testamenti libros *commentaria*; 3.° *Tractatus* de doctrinâ contra *Montanum*, *Helvidium*, *Jovinianum*, *Vigilantium*, *Pelagium*, *Rufinum*, et *Origenis* discipulos; 4.° liber de *scriptoribus ecclesiasticis*, in quo omnes ab Apostolis et Evangelistis incipiens Ecclesiæ scriptores examini subjicit; 5.° *Chronicorum Eusebii continuatio*; 6°. *Epistolarum* series, quibus vel de dogmatibus fidei disserit, vel difficiliora Scripturæ loca interpretatur, vel amicos hortatur ad virtutem, vel vivos exaltat, vel laudat mortuos; 7.° *Acta quorumdam eremi incolarum*; 8.° *quædam Didymi, Origenis et Eusebii latinæ versiones.*

Quamvis autem conciones propriè dictas apud Hieronymum non reperias, valdè tamen perlecto Hieronymo proficies. Nullus inter Patres doctior, nullus in diversarum cognitione linguarum magis versatus. Liberalibus

disciplinis uberrimè instructus, philosophiâ potens, historiæ sacræ et profanæ peritissimus, poëtis oratoribusque sivè græcis sivè latinis quodam modo familiaris, puritatem eloquii cum sententiarum acumine feliciter consociat. Quas discutiendo scripsit epistolas vel tractatus orationes verè dixeris, in quibus omnem eloquentiæ vim exerit, torrenti similis, qui oppositos sibi obices non lentè corrodens imminuit, sed violenter insiliens disturbat. Vehementior aliquandò, nec adversarios dignoscere, nec modum in dicendo tenere valet, sed quà fert impetus, hàc infrenis irrumpit. Hinc sæpiùs in ejus scriptis illi desiderantur fines, *quos ultrà citràque nequit consistere rectum.* Dùm virginitatem exaltat, matrimonium damnare; dùm diaconorum superbiam insectatur, præsbyteros episcopis conferre; dùm vitæ monasticæ sanctitatem vindicat, cæteros vitæ christianæ status reprobare videtur. Origeni ejusque discipulis infensum, quibusdam tamen ejusdem placitis adhærere crederes. Sic v. 9. *in prophetam Nahum* docet eos qui vel aquâ in diluvio vel igne cœli in Sodomorum excidio perierunt peccatorum veniam fuisse adeptos, cùm Deus duplicem pœnam uni peccato non infligat. Sic in tractatu *de filio prodigo* Angelos peccare posse contendit; sic in Danielem et Michæam, regni mille annorum fabulam non semel repetit. Nec admittendæ illæ opiniones, quibus omnia prorsùs juramenta etiam legitima rejicit, laudat eos qui servandæ castitatis studio sibimetipsis mortem inferunt, nec inculpatas habet mulieres, quæ Pharisæorum, ut putat, more Cruces vel alias sacras imagines collo appensas gestare curant. Non verò ità mirum videri debet, quòd fortè tantum lumen aliquid tenebrarum nebulosus contraxerit, quàm quòd tantas mysteriorum tenebras suis splendidus radiis valuerit illustrare.

Dignus ergò et valdè dignus Hieronymus, qui, quas

Augustino aliisque antecedentibus præbuerat, à coëtaneis posterioribusque laudes ipse reciperet. Neque enim desunt apud recentiores Patres tanti doctoris encomia.

Hunc primus omnium vocat Augustinus « hominem » Dei, (*Epist.* 148, n.° 8.) Præsbyterum venerabilem. » (*de Natur. et Grat. Chris.* 65. n.° 78), doctissimum » virum (*de peccator. merit. et remiss. Chris.* 6. n.° 12), » qui in litteris ecclesiasticis excellentis doctrinæ famâ » versatur; (*Id. ibid.*) cujus ingenium divino dono aureum » *æstimatur*; (Epist. 40. n.° 3.) cujus doctrinâ in nomine et adjutorio Domini, tantùm in latinâ linguâ ec» clesiasticæ litteræ adjutæ sunt, quantùm nunquàm an» teà potuerunt (*Epist.* 167. n.° 21.), cujus *tale est* » *scientiæ meritum, ut* infelix *habendus sit*, qui non » tantos et tam sanctos labores et dignè honorat, et de » his Domino Deo gratias agit ».

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Post quinque præcipuas B. Hieronymi editiones, ab anno 1565, usquè ad annum 1624 emissas, prodiit absoluta magis à D. *Martianai*, Benedictino, 6 vol. in-fol. constans editio, quæ ab anno 1693, usquè ad annum 1706 perfecta est. Novissimè anno 1734 *Veronæ* à D. *Villarsi* nova lucem vidit editio, quæ, licèt recentior, Benedictinorum opus non antecellit.

GALLICÆ VERSIONES.

Epistolæ in Gallicam linguam versæ an. 1713 excusæ sunt, 3 vol. in-8°.

§ IX.

Sanctus Augustinus, an. 430.

LATINUS.

Aurelius Angustinus Thagaste in Numidiâ anno 354, Patricio patre, et matre Monicâ natus, ità infans à beatissimâ illâ fœminâ primis religionis Christianæ principiis est imbutus, ut gravi morbo laborans baptisma studiosè postularet, quod, vi mali remittente, dilatum est. Pater autem non tam religiosæ observantiæ, quàm mundanæ famæ cupidus, Thagaste primùm grammaticæ legibus, deindè Madauræ litteris humanioribus, Carthagine demùm rhetoricæ doctrinâ informandum curavit. Severioribus ille parùm disciplinis, nimiùm verò poëtarum fictionibus indulgens, in vitia simul et hæresim Manichæorum prolapsus est. Gaudebat tamen Ciceronis lectione, et Hortensium pervolvendo ad amorem sapientiæ accendebatur; minùs autem sapida, utpotè profanis eloquentiæ floribus non exornata, sacrarum Scripturarum lectio videbatur. Thagaste grammaticam, Carthagine verò rhetoricam annos quinque super viginti natus, non mediocri laude docuit. Cùm autem ejusdem scientiæ explicandæ causâ Mediolanum à Symmacho Præfecto missus venisset, Ambrosii tùm episcopi sermonibus, nec non et Platonis meditatione, et matris Monicæ lacrymis, et interioribus gratiæ motibus, et Pauli doctrinâ, et Dei ipsius voce ad aures personante victus, excusso erroris simùl et cupiditatum jugo, trigesimum secundùm ætatis annum agens, *exultavit ut gigas ad currendam* fidei *viam* et virtutis.

Vix interjecto aliquorum dierum spatio, donec completis, quos publicè habebat, lectionibus, vendemiales ferias attingeret, anno 386 in Verecundi domum secessit, ut perquisitâ seriùs veritate, ad suscipiendum baptisma præpararetur, quo tandem ipso Paschatis tempore sanctificatus anno 387 *Christianus Catholicus* feliciter evasit : non ità multò post amissâ ad ostia Tiberina matre, quæ jam converso filio, *nullâ re in hâc vitâ delectabatur,* Thagasten redux tres annos in jejuniis et orationibus, legis divinæ meditationi diebus noctibusque incumbens, studiosus perscrutator consumpsit. Sic, quem ab æterno occultâ Providentiâ Deus inscium ad primæ Ecclesiæ munera vocaverat, expletis temporibus à longè sanctissimum regendis populis episcopum, splendidissimumque irradiando latè orbi lumen præparare videbatur.

Cùm enim Hipponi-regio pietatis causâ versaretur, à Valerio episcopo raptus, et, licèt invitus et reluctans, incipiente anno 391 sacerdos consecratus est. Nec tamen angelicis etiam humeris tremendum statim ministerium adoriri sustinuit; sed in solitudinem denuò usquè ad Pascha se recepit, ut perlectis iterùm sanctis Prophetarum codicibus, sanctioribusque Evangeliorum libris, ad propugnanda fidei Christianæ dogmata tanquàm generosus miles accingeretur. Undè præsertim attendere datur, Augustinum illum, tanti ingenii virum, qui totam juventutem vel ediscendæ, vel etiam docendæ eloquentiæ impenderat, unum tamen ante baptisma, tres autem à baptismate usquè ad sacerdotium annos, sex deniquè suscepto sacerdotii onere menses in labore et secessu continuos pertransisse, antequàm *Domini justitias enarrare, et testamentum ejus per os suum assumere* attentaret.

Tùm demùm, licèt adhuc sacerdos sacram ascendit cathedram Augustinus, contra Africæ Ecclesiæ morem,

sed juxta ritum Ecclesiæ Occidentalis, concedente Valerio, cujus exemplum, primùm à quibusdam improbatum, mox à pluribus Africæ episcopis assumptum est, ità ut, anno 393, sacerdos Augustinus in universali provinciæ concilio coram omnibus episcopis sermonem rogatus habuerit. Quem tantis plausibus susceptum ne Hipponensi populo alii præriperent veritus non immeritò Valerius, in coadjutorem assumptum, à Megalio Calamensi episcopo, et Numidiæ primate, anno 395, Pontificem consecrari curavit; quod ægrè passus est Augustinus, licèt, uti posteà declaravit, hunc morem tunc temporis Ecclesiæ legibus, et Nicænæ auctoritati contrarium prorsùs ignoraret.

Quemadmodùm verò *parvus fons crescit in fluvium, et in aquas plurimas redundans* (Esth. 10. 6.) germinantem hinc et indè terram fœcundis aquis abluit, sic ille, quas ex paganorum simùl et sacrorum scriptorum quasi confluentibus rivis multo sudore congregaverat, Christianum in orbem, ultimis etiam profuturas seculis, profundere cœpit divitias. Hinc illum videres uberibus lacrymis præteritos vitæ prioris errores in *Confessionum libris* deflentem; illinc paganos in stupendo de *civitate Dei* opere propriis confodientem telis. Quid quòd Manichæos, Priscilianistas, Pelagianos, Donatistas, ipsosque Arianos veritatis indefessus propugnator debellare non infeliciter aggressus, unitatem Dei, Christi divinitatem, necessitatem Gratiæ, liberum hominis arbitrium, cæteraque Ecclesiæ catholicæ dogmata validissimis asseruit argumentis. Monachos intereà monitis et exemplo informare, virgines piis exhortationibus accendere, omnium fidelium mentes *meditationibus* et *soliloquiis* ad Deum cœlestis orator transferre, plurimas datis litteris quæstiones enodare, difficiliora sacræ Scripturæ loca doctis commenta-

riis explanare, necnon et logicæ, et grammaticæ, et rhetoricæ et musicæ etiam artis principia evolvere, ità ut nihil sit in profanis religiosisque scientiis tam altum et tam abstrusum, quod vir ille quodam modo universalis effodere non valuerit.

Ut autem, quod ad rem magis attinet, de sermonibus potissimùm disseramus, non mediocris eloquentiæ concionatorem illum extitisse patet, quem, tùm artis oratoriæ præcepta tradentem, tùm, sacerdotio licèt vix initiatus, ad prædicandi munus contra morem assumptum, tùm deniquè, cùm publicas conciones haberet, modò plausus, modò lacrymas elicientem non Africa tantùm, sed universus etiam suspexit orbis Christianus.

Omnes autem Divi Augustini sermones ad quartos, omissis dubiis, ordines cum Benedictinis possunt revocari, quorum primus 183 Homilias habet circa plurima sivè veteris, sivè novi Testamenti loca; secundus 88 de præcipuis anni festis complectitur; tertius de festivitatibus Sanctorum 69; quartus deniquè 23 de diversis, uti verbi gratiâ de amore Dei, de timore, de pœnitentiâ, de mundi contemptu, de moribus Clericorum, de pace et concordiâ, de resurrectione mortuorum, etc..... Quibus si Enarrationes Psalmorum, quarum plurimæ ad populum fuerunt ex cathedrâ directæ, adjungere volueris, perfecta dabitur tibi omnium ejus sermonum collectio.

Cùm autem Augustinum legeris, ad res ipsas, quæ dicuntur, non ad illum, quo dicuntur, modum attende. Nullum reperies scriptorem, qui tantâ cum auctoritate tam multa simul et tam profunda paucioribus verbis complecti resciverit. Absit autem ut Græcam quæras eloquentiam, quâ, locorum distantiâ et temporum improbitate orbatus est. Rudis in dicendo, imò et incorrectus sæpè, et semibarbarus, colloquentis potiùs more quàm concionantis,

breves scribere sententiis brevioribus interceptos sermones, acutioribus verbis et quasi inter se ludentibus sæpiùs uti, eadem iterùm atquè iterùm repetere, prædicta priùs novis involuta loquelis referre, communibusque locis diutiùs immorari solitus; inferior quidem Græcis, Latinis autem omnibus superior, quibus talem catholicæ doctrinæ thesaurum aperuit, ut ipsius verba ad amussim usurpare nec ipsa dubitaverint concilia. Erraret tamen graviter, si quis illum, unicam Ecclesiæ columnam, posthabitatis omnibus omninò Patribus, affirmare sustineret, cùm Chrysostomo etiam, et Basilio, et Hieronymo, et cæteris sivè Græcis sivè Latinis doctoribus immota incumbat Ecclesia; graviùs autem erraret, qui Augustinum quidem tanquàm oraculum, omnia verò ejus verba tanquàm fidei dogmata veneraretur, cùm illa tantùm ad fidem pertineant, quæ veram esse Ecclesiæ Catholicæ doctrinam contra Pelaganios asseruit, nec aliundè pauca *magnus opinator*, ut Tullii verbis utar, quasi palpando apprehendere, et dubitando exprimere tentaverit: nec certè in *Retractationum* libro se emendare studuisset, cui nulla fuisset necesssaria emendatio.

Fatendum nihilominùs magnum inter maxima Ecclesiæ lumina emicuisse Augustinum, cujus splendore sequentia irradiata secula laudes canere quasi unâ voce consenserunt. Audi B. Hieronymum, cùm ipsum alloquens: «Macte, inquit, » macte virtute; in orbe celebraris; Catholici te condito» rem antiquæ rursùm fidei venerantur et suspiciunt, » qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti ». (*Epist.* 195 *apud August.*) Et alibi: « Certè quidquid » dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanc» tarum hauriri fontibus, à te dissertum est ». (*Epist.* 172.) Audi S. Paulinum Nolanum similia majoraque dicentem: « O verè sol terræ, quo præcordia nostra, ne pos-

» sent seculi vanescere errore, condiuntur! ô Ecclesiæ
» lucerna, quæ latè Catholicis urbibus de septiformi
» lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas
» licèt hæreticorum caligines discutis, et lucem veritatis
» à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis
» enubilas! Os enim tuum fistulam aquæ vivæ, et venam
» fontis æterni meritò dixerim». (*Epist.* 25 *apud August.*)
Nec minor in Augustini laudibus, vitæ ipsius scriptor Possidius : « Augustinus homo cœlestis, imago divinitatis,
» Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyssus sapientiæ,
» præco veritatis, eructator divinorum eloquiorum, in-
» quisitor prædictorum; Augustinus par Angelis in fer-
» vore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum re-
» velatione, par Apostolis in prædicatione, par Martyribus
» in desiderando passionem, par Confessoribus in disci-
» plinarum traditione, et par Virginibus in continentiæ
» observatione..... Si cuncta corporis membra verteren-
» tur in linguas, adhuc non essem sufficiens ad laudan-
» dum tantum Patrem et Doctorem. » (*Epist. ad Maced.*)
Hilarius autem Arelatensis Episcopus : « Doctor, inquit,
» excellentissimus Augustinus, defensor fidei nostræ, in
» divinâ meditatione semper assiduus, metu mortis intre-
» pidus, destruxit sacrilegos, atque superavit hæreticos... »
(*Epist. ad Amat.*) S. Prosper : « S. Augustinus Episco-
» pus, acer ingenio, suavis eloquio, secularis litteraturæ
» peritus, in Ecclesiæ laboribus operosus, in quotidianis
» disputationibus clarus, in omni actione suâ comptus,
» in expositione fidei nostræ catholicus, in quæstionibus
» absolvendis acutus, in revincendis hæreticis circum-
» spectus, et in explicandis Scripturis canonicis cautus :
» præcipua in hoc tempore portio Domini Sacerdotum. »
(*Lib.* 3. *de vitâ contempl.*) S. deniquè Bernardus, Augustinum dicit: *Validissimum malleum hæreticorum* (Serm.

80. in cant.), additque in Epist. 77 : « Ab his duobus co-
» lumnis, Augustinum loquor et Ambrosium, credo mihi,
» difficilè avellor : cum his, inquam, me aut errare aut
» sapere fateor. »

Nec alii tantùm veteres recentesque Doctores, sed et summi Pontifices, et ipsamet concilia etiam generalia in laudandum Augustinum consenserunt. Sic enim Martinus V : « Quicumque de Christo, de fide, de religione
» aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, ut
» nihil penè ex sacris litteris possit nisi eo duce intelligi,
» nihil nisi eo interprete explicari. Eo jam auctore factum,
» ut nec philosophis sapientiam invideamus, non orato-
» rum eloquentiam desideremus, non studiosorum inge-
» nia requiramus, non deniquè nobis acumen Aristotelis
» necessarium, non Platonis eloquentia, non prudentia
» Varronis, non gravitas Socratis, non auctoritas Pytha-
» goræ, non Empedoclis solertia, non cujuscumque illius
» generis hominum scientia ac virtus documento nobis
» esse debeat. Idem nobis Prophetarum oracula, idem
» Apostolorum voces refert, idem omnem omnium Scrip-
» turarum sensum exprimit. Unus postremò omnium Pa-
» trum sapientûmque ingenia ac studia exhibet. Si verita-
» tem quæritis, si doctrinam, si pietatem, quis doctior,
» quis justior, quis, ut ità dicam, sanctior Augustino ? »
(*Serm. de translat. S. Monic.*)

Quod solutâ oratione Martinus Papa V concionator prædicavit, idem, modulatis carminibus, poëta celebravit Pius II Pontifex maximus :

« Barbaricæ gentis decus, Augustine, perenne,
» Horrida quem nobis Africa terra tulit :
» Qui Scripturarum profers arcana sacrarum,
» Eloquiis reserans abdita cuncta tuis ;

» Quem nihil obscurum latuit, sed et omnia florent,
» Atque humana simul dogmata, et alta patent;
» Cujus et instruimur doctrinis, atque movemur
» Exemplis, probitas cujus in ore micat.
» Millia librorum per te, Pater alme, leguntur
» Edita, quæ promunt quidquid ubique latet.
» Sis cunctis fautor pius, ô sanctissime Præsul,
» Atque Deo summas offer ad alta preces. »

Quid autem huic concilii generalis V testimonio conferendum : « Sequimur, inquit, per omnia Augustinum, » et suscipimus omnia, quæ de rectâ fide, et condem- » natione hæreticorum exposuit;» cui adhærens concilium Florentinum, *Augustinum illustrissimum Latinorum doctorem à quintâ synodo consecratum* asserit.

Non minora autem propter virtutes quàm propter doctrinam promeritus encomia, cùm triginta tribus annis in episcopatu verbis exemplisque docens perdurâsset, obsessâ à Vandalis Hippone, dolore et morbo confectus diem extremum obiit, anno Christi 430, ætatis autem 76. Quàm sanctè verò, et christianè, et episcopaliter mortem et exspectaverit et susceperit, ità narrat testis ipse Possidius : « Jusserat psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi » de pœnitentiâ scribi, ipsosque quaterniones jacens in » lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis » intuebatur et legebat, et jugiter ac ubertim flebat : et » ne intentio ejus à quoquam impediretur, ante dies fermè » decem quàm exiret de corpore, à nobis postulavit præ- » sentibus, ne quis ingrederetur, nisi iis tantùm horis, » quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cùm ei » refectio inferretur. Et ità observatum ac factum est, et » omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei, usquè » ad ipsam suam extremam ægritudinem, imprætermissè,

» alacriter, et fortiter, sanâ mente, sanoque consilio præ-
» dicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, in-
» tegro aspectu atque auditu, et, ut scriptum est, nobis
» astantibus, et videntibus, et cum eo pariter orantibus,
» obdormivit cum patribus suis in bonâ senectute : et
» nobis coràm pro ejus commendandâ corporis deposi-
» tione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est. »
(*cap.* 31.)

Ejus sepulchro inscribi potuisset illud Baxii epitaphium :

« Hæretici me fulmen habent, Ecclesia flumen ;
» Hos peto quò pereant, hanc rigo ne pereat. »

Editiones præcipuæ.

An. 1626 et 1637 excusa fuerant sub *magnæ navis* typo editio *Parisiensis*, cui pater *Vignerius*, an. 1655, supplementum duobus tomis constans addiderat, in-fol.; sed ab anno 1678 ad annum 1700 emissa Benedictinorum editio primum locum occupavit. Duo priora volumina rursùs excusa fuêre ; sed melior est illa editio, quæ paginâ primâ quintas lineas complectitur. Eadem rursùs et minùs eleganter excusa est, in-4.°, cum eodem paginarum ordine, *Venetiis*, an. 1703, ut prætermittam illam editionem quæ eodem anno lucem vidit *Amstelodami*, cum notis *Joan. Leclerc* S. Doctoris honori valdè detrahentibus.

Versiones gallicæ.

Plurimæ extitêre S. Augustini gallicæ versiones, quarum nonnullæ præcipuam hanc mendam habent, ut recentiores aliquandò redoleant errores.

Inter præcipuas autem eminent :

1°. *Libri Confessionum* Gallicæ fidei redditi ab *Arnaldo*

D'Andilly, in-8.° et in-12, an. 1667, Iidem à D. *Dubois* in-8.° 1688. Abbas autem *Grou*, in opere cui titulus : *Morale tirée des Confessions de S. Augustin*, redolentem in hoc libro sapientiam doctissimè commendavit, *Parisiis*, 2 vol. in-12.

2.° *Epistolæ* ab eodem *Dubois*, in-8.°, in-12, et in-fol. 1684.

3.° Libri de *Civitate Dei*, à *Lomberto*, 2 vol. in-8.° 1675, vel 4 vol. in-12; et recentiùs à duobus Litteratis, an. 1818, *Bituricæ*.

4.° De *Prædestinatione Sanctorum*, et de *Perseverantiæ dono*, cum tribus ejusdem epistolis, 1 vol. in-12, *Parisiis*, 1676, sine auctoris nomine, sed non sinè Jansenismi notâ.

5.° *Tractatus in Joannem*, à D. *Dubois* 1700, 4 vol. in-8°.

6.° *Sermones in novum Testamentum* 1700, 4 vol. in-8.°; qui pariter *Parisiis* recusi, 1730.

7.° *Commentarius* et *sermones* S. Augustini ab *Arnaldo* 1701, *Parisiis*, 7 vol. in-8°.

§ X.

Sanctus Paulinus Nolanus, an. 431.

LATINUS.

Sanctus Paulinus, qui etiam alio nomine *Pontius* et *Meropius*, ex illustri Romanorum Senatorum prosapiâ, Burdigalæ anno 353 natus est, liberaliumque disciplinarum studiis à celeberrimo Ausonio informatus. Tantam perlegendis veteribus latinis scriptoribus operam adhibuit, ut ad illorum dictionem propiùs accederet. Prima deindè

imperii munera gerere, consulque cum Ausonio audire promeruit. Uxorem habuit Therasiam opulentissimam matronam, quâ præsertim exhortante, multis aliundè difficultatibus rerum intricatus, ad Deum mentem convertere statuit, susceptâque à Delphino Burdigalensi episcopo baptismatis gratiâ anno 389, in Hispaniam secessit, ubi quatuor annis commoratus, et voluntariæ deditus paupertati, vendita paulatim bona in pauperes liberalis profudit, Undè S. Augustinus juniorem Licentium ad pœnitentiam exhortatus: « Vade, inquit, in Campaniam; » disce Paulinum egregium et sanctum Dei servum, quàm » grandem fastum seculi hujus, tantò generosiore, » quantò humiliore cervice incunctanter excusserit, ut » eam subderet Christi jugo, sicut subdidit; et nunc illo » moderatore itineris sui quietus et modestus exultat. » Vade, disce, quibus opibus ingenii sacrificia laudis ei » offerat, refundens illi quidquid boni accépit ex illo, ne » amittat omnia, si non in eo reponat à quo hæc habet.» (*Epist.* 26. *ad Licent. n.*° 5.)

Cujus pietatis tanta brevì enituit gloria, ut ipsâ Natalis Domini die à Barcinonensi populo raptus in sacerdotium postularetur, quod invitus licèt à Lampio suscipere coactus est anno 393. Indè anno sequenti Italiam repetens, Ambrosium Florentiæ, datis invicem amicitiæ signis, invisere gavisus est. Romæ Cleri invidiâ exagitatus, Nolam se recepit, ubi peractis cum uxore Therasiâ inter vitæ monasticæ exercitia quindecim annis, ejusdem urbis episcopus consecratus est anno 409. Gothorum primò, qui Nolam ipsam occupaverunt, incursionibus aliquandiù vexatus, episcopatum posteà pacificè exercuit usquè ad annum 431, quo ad vitam meliorem vocatus est.

Habentur S. Paulini: 1.° *Epistolæ complures*, quarum nescio utrùm aliquid jucundius legi possit; 2.° Plurima

carmina, quæ, licèt non ex omni parte absoluta, ab Ausonio tamen laudata fuêre.

S. Paulini scripta eleganti artificio concinnata, conciso nitidoque eloquio, propriis significantibusque verbis, sententioso simul et vivido sermone commendantur. Ità ex uno ad aliud concatenatus procedit, ut desinente unâ cogitatione in incipientem alteram nescius quodam modo lector inducatur. Scripturæ sacræ testimonia, tanquàm gemmas, dicendis interponere peritus, nimis forsan aliquandò allegoriis indulget; ludentibus inter se verbis non semel abutitur, sed varia doctrinæ vel moralis argumenta quasi superlambere contentus, rerum viscera nusquàm effodit; in describendo aliundè pictor mirabilis, placet, delectat, movet, illudque S. Augustini encomium promeretur : « O bone Vir, et bone Frater,.... legi litteras » tuas fluentes lac et mel, præferentes simplicitatem cor» dis tui, in quâ quæris Dominum sentiens de illo in bo» nitate, et afferentes ei claritatem et honorem. Legerunt » fratres, et gaudent infatigabiliter et ineffabiliter tam » uberibus et tam excellentibus donis Dei, bonis tuis. » Quotquot eos legerunt, rapiunt, quia rapiuntur, cùm le» gunt. Quàm suavis odor Christi, et quàm fragrat ex » eis, dici non potest..... Suavissima et sacratissima spec» tacula litteræ tuæ præbent legentibus, litteræ illæ, » litteræ fidei non fictæ, litteræ spei bonæ, litteræ » puræ caritatis. Quomodò nobis anhelant sitim tuam, et » desiderium, defectumque animæ tuæ in atria Domini? » Quid amoris sanctissimi spirant? Quantam opulentiam » sinceri cordis exæstuant? Quas agunt gratias Deo? » Quas impetrant à Deo? Blandiores sunt, an ardentiores, » luminiosiores, an fœcundiores? Quid enim est, quòd ità » nos mulcent, ità accendunt, ità compluunt, et ità se» renæ sunt? Quid est, quæso te, aut quid tibi pro eis

» rependam, nisi quia totus sum tuus in eo, cujus totus » es? Si parùm est, plùs certè non habeo. » (*Epist.* 27. *ad Paulin. n.*° 2. *et* 3.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Potiores videntur illæ editiones, vel quæ *Parisiis* D. *Lebrun* studio fuit excusa an. 1685, in-fol., vel recentiùs, auctore *Ludov. Anton. Muratorio*, *Veronæ* fuit prælo subjecta an. 1736, in-fol.

§ XI.

Marius Mercator, *an.* 431.

GRÆCUS ET LATINUS.

Marius Mercator, cujus opera nuper reperta diutiùs latuerunt, non cognoscitur, nisi superstitibus, quos reliquit libris, et Augustini epistolam ad illum scribentis testimonio, cujus hæc sunt verba : « Litteras Dilectionis » tuæ, priùs abs te missas, apud Carthaginem accepi,... » aliumque remeans adversùs novos hæreticos librum re» fertum sanctarum testimoniis Scripturarum, quibus » lectis excursisque,.... rescribendum fuit.... Quid nobis » esse debet optatius, quàm ut abundent, qui errores in» festantes catholicam fidem, et insidiantes infirmis ine» ruditisque fratribus usquequaquè redarguant, et Eccle» siam Christi adversùs profanas vocum novitates acriter » fideliterque defendant?... (*Epist.* 193 *ad Mercat.*)

Supersunt 1.° *Historicus quidam contra Cœlestium libellus*, quem græcè primò confectum, in latinum deindè sermonem convertit, et ideò græcus et latinus dicendus est, quamquàm ejus tantùm latina versio remaneat; 2.° *Se-*

cundus contra eosdem hæreticos præsertimque Julianum *Libellus*, post S. Augustini mortem emissus ; 3.° *Tertium opusculum*, quo Nestorii errorem Pauli Samosateni placitis consentire ostendit ; 4.° *Versiones* quorumdam monumentorum ad res Nestorianas pertinentium.

Marius Mercator non eloquenti quidem, sed, ut in tali opere decet, simplici intelligibilique sermone utitur. Nec grandis extollitur, nec nobilis exultat, nec feliciter, quandò propriis ratiociniis agit, errores adversariorum confutat. Ecclesiæ tamen latinæ multùm profuit hujus versio, quam à Facundo Pelagioque secundo adhibitam videmus.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Historicus libellus Marii Mercatoris excusus est primò in editione conciliorum patris *Labbæi*, qui et alia opera emittere statuerat. Sed huic proposito immortuus opus Patri reliquit *Garnerio* ejusdem ordinis, qui illa publica fecit anno 1673, cum longioribus notis.

Eodem tempore pater *Gerberonius*, sub *Rigberii* nomine Mercatoris opera edidit, excepto primo libello, qui jam è prælo exierat.

Tandem plenior accuratiorque editio prodiit curâ et studio *Baluzii*, qui omnia collecta simul publicæ fidei commisit, *Parisiis*, anno 1684, in-8°.



§ XII.

Sanctus Isidorus Pelusiota, *an.* 440.

GRÆCUS.

Sanctus Isidorus, Pelusiota, sic cognominatus quia secessit in vicinam ità dictæ civitatis solitudinem, regnante Theodosio juniore florebat, nec adhùc, quamquàm senior, è vitâ excesserat, cùm apud Ephesum haberetur à S. Cyrillo contra Nestorium synodus. « Isidorus enim, » ut ait Evagrius, cujus ut poëtico verbo utar, latissima » est gloria, Τὸ κλεος ευρυς, κατα την ποιησιν, et qui cùm ob res » gestas, tùm eloquentiæ causâ ubiquè celebratur, usquè » adeò corpus suum laboribus maceraverat, et animum » arcanis ac sublimioribus doctrinis saginaverat, ut Angelorum vitam in terris duceret, et spirans quædam » imago perpetuò esset tam vitæ monasticæ, quàm divinæ contemplationis. Scripsit autem tùm alia plurima » multiplici utilitate referta, tùm ad celeberrimum Cy- » rillum nonnulla, ex quibus manifestè colligitur illum » iisdem temporibus, quibus admirandum Cyrillum, flo- » ruisse...... » (*Lib.* 1. c. 5.) Diem supremum obiisse videtur circa annum Christi 440, scientiâ virtutibusque illustris.

Juxta Facundum duo millia epistolarum; juxta Suidam tria millia de sacrâ Scripturâ, et de diversis quinque millia; juxta Nicephorum deniquè decem millia rescripserat. Tot ab illo scriptas epistolas difficilè credideris; sed quidquid de aliis sit, nunc duodecim super duo millia supersunt, quæ tanquàm perfectissima epistolarum exemplaria haberi possunt, ità ut Possevinus illas ad docendos linguam græcam pueros adhibèri voluisset.

Breves illæ verbis, sed sensu graves epistolæ, in quibus

conscribendis sapientissimam illam, quam ipse docuit, regulam secutus est : « Orationis virtutes quidem sunt, verum, concisa brevitas, perspicuitas et opportunitas. » Vitia autem contraria sunt, falsum, prolixa oratio, » obscuritas et importunè dicere. Quid enim commodi, si » vera quidem sit oratio, non autem concisa, sed quæ » copiâ enecet auditores ? Et concisa quidem, non clara » tamen, vel clara quidem, non autem opportuna ? Si verò » omnes habeat orationis virtutes, sit et efficax, incitata, » ac veluti spirans, veritate quidem auditores ducens, brevitate verò expugnans, perspicuitate veluti capiens, opportunitate deniquè coronam imponens. » (*Lib.* 5. *Epist.* 145.)

Quod quidem assecutus ipse; ità simplex, ut non rudis; ità ingeniosus, ut non exquisitior; ità subtilis, ut non ambiguus; ità acutus, ut non verbis illudens; hìc dulce cum utili feliciter consociatum reperies. Cùm difficiliora scrutatur, placere tamen non desinit; cùm elegantiâ placet, non desinit sectari doctrinam; modò obscura veteris aut novi Testamenti dicta elucidare; modò explicare religionis mysteria; modò Ecclesiæ disciplinam commendare; modò moralia spiritualiaque præcepta evolvere. Nunc hortatur, nunc vituperat; nulla personarum acceptio; nullus in insectando vitio modus; semper liber, semper firmus, sivè ad privatos homines, sivè ad subjectos sibi monachos, sivè ad magistratus, sivè ad reges, sivè ad episcopos ipsos scribendi detur occasio. Si quandoquè laudat, ità laudes moderatur, ut nec se deprimat, nec alios inani superbiâ extollat.

Huic judicio assentiunt antiqui omnes, qui Isidorum semper venerati sunt. Sic tùm à Menæis græcorum *in omni divinâ humanâque scientiâ ad summum eruditionis fastigium provectus*; (ad 4 diem Febr.) tum à Suidâ *vir*

eloquentissimus prædicatur. Evagrius autem : « Theodosio » imperatore regnante, magno etiam in honore fuit Isi- » dorus Pelusiota, cujus gloria ob illius tùm facta, tùm » dicta longè latèque pervagata est, omniumque sermone » celebrata. Iste carnem sic maceravit laboribus, sicque » animum arcanis et divinis doctrinis saginavit, ut vitam » angelicam in terris traduceret, et vivam expressamque » effigiem vitæ monasticæ, et divinæ contemplationis om- » nibus perpetuò intuendam proponeret. » (*Evagr. lib.* 1. *c.* 5.) Nicephorus verò postquàm eadem fermè iisdem- que verbis retulit, hæc adjunxit insuper : « Multa ab eo » scripta sunt variæ utilitatis plena, potissimùm autem » epistolarum omnis generis divinâ simùl et humanâ gra- » tiâ refertarum propè chiliades decem, in quibus Scrip- » turam omnem clariùs exponit, et omnes omnium mores » instituit : quippè qui dicendi genere ad docendum ac- » commodato in eis utitur. » (*Niceph. Callist. lib.* 14. *cap.* 53.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè curante *Schotto* è societate Jesu quintus liber excusus est.

Latinè plures particulatim libri pariter prodierunt, et omnes simul excusi sunt, *Venetiis*, an. 1745, cum notis variorum.

Græco-latina autem editio, *Parisiis*, curante *Andreâ Schotto* excusa est an. 1638.

§ XIII.

Cassianus, an. 440.

LATINUS.

Joannes Cassianus, qui licèt, ut videtur, origine Græcus, inter Latinos tamen quorum linguam in scribendo usurpavit, debet computari, Scythiâ oriundus, Deoque à pueritiâ in Bethlëemitano monasterio consecratus, perfectioris vitæ studio flagrans, assumptoque comite Germano, Ægyptum Thebaïdamque peragraturus profectus est, ut monachorum exemplis et doctrinâ ad sanctitatem promoveretur. Consumptis in viâ septem annis, cùm frequentes instituissent cum celeberrimis abbatibus collationes, monasterium juxtà fratribus promissa repetierunt, acceptâque rursùs obeundi licentiâ in horrendas Scythiæ solitudines iterùm se receperunt.

Expulso è Constantinopoli Joanne Chrysostomo, quem, ut ipse testatur, doctorem habuerat, et à quo Diaconus fuerat consecratus, Romam cum Germano missus est, Sacerdotum epistolas de illatâ sancto Pontifici violentiâ quærentium ad Innocentium I delaturus.

Hinc Sacerdos consecratus Massiliam in Gallias secessit, ubi duo monasteria, unum quidem virorum, alterum verò puellarum condidit, et varia, quæ nunc exstant, contexuit opera. Defunctus est Theodosio Juniore et Valentiniano III regnantibus, circa annum 440.

Tria supersunt Cassiani opera, nempè: 1.° *de institutionibus monachorum* libri 12, quorum 4 priores de instituendâ vitâ monasticâ, 8 verò posteriores de expugnandis præcipuis octo vitiis sermonem faciunt; 2.° *Collationes* 24, quibus referuntur exempla simul et monita

celeberrimorum Ægypti abbâtum, quarumque lectio omnibus monachis suadetur ab omnibus vitæ religiosæ zelatoribus, quales sunt in primis S. Benedictus, Cassiodorus, S. Joannes Climacus, Rabanus, S. Gregorius, Petrus Damianus, S. Dominicus, S. Thomas etc.... Impugnatum tamen illud opus à S. Prospero, tanquàm cum B. Augustini doctrinâ de gratiâ Christi minimè consentiens, imò et à Gelasio Papâ inter libros apocryphos deputatum; S. autem Prosper, qui Cassiani principia refellere nititur, non modò non illum hæresis notâ inficit, sed evidenter declarat eos qui S. Augustini placita non in omnibus admittebant, ad Ecclesiam nihilominùs pertinere, imò et magnâ in Ecclesiâ dignitate vigere, quam major adhùc doctrinæ et virtutis fama exornabat. Ità sanè S. Leoni visum, qui Romanæ tunc Ecclesiæ archidiaconus, neminem invenit digniorem, cui religionis defensionem contra Nestorium committeret. Hinc 3.° scripti 7 de *Incarnatione* libri, quibus duas in uno Christo naturas ità astruit, ut unica sit persona filii Dei, cui jure ac meritò tribui possunt, quæ ad utram pertinent naturam.

Pauci sunt inter veteres, cujus memoria tot tantisque laudibus fuerit exornata. Vocatur enim à S. Prospero *insignis et facundus scriptor* (in Chronic.); à Castore Episcopò Aptensi, *dominus per omnia memorandus, et scientiarum decore pollens;* (Epist. ad Cassian.) à Cassiodoro *vir facundissimus,* (Expos. Psalm. 69.) à Joanne Climaco *magnus Cassianus venustissimè atque altissimè disputans;* (*Scal. grad.* 4.) à Dionysio Carthusiano, *inter venerabiles ac devotissimos Patres, pariter illustrissimus præcipuusque Doctor.* (Præfat. paraph.) Undè Gennadius: « Scripsit, inquit, experientiâ magistrante, plano et librato » sermone, ut et apertiùs dicam, sensu verba inveniens, » et actione linguam movens, res omnium monachorum

» professioni necessarias. » (*de Vir. illust.*) Photius autem : « Tanta, inquit, (ejus operibus) vis inest ac quasi » divinitas, ut et in hunc usquè diem, si quis monacho- » rum conventus hâc ex formâ et hisce præceptionibus » gubernetur, reverà tantisper floreat, cæterisque prælu- » cens virtutum esse officina cernatur : cùm qui hæc re- » pudiârit cœtus, parvis quibusdam virtutum reliquiis » instructus veluti in fluctibus jactetur, vel etiam naufra- » gium faciat. Quarè expedit nihil eorum quæ ibi tra- » duntur contemnere. Nam Dominicæ hæc legis sunt, » atque Evangelicæ disciplinæ expositio et explanatio. » Cæterùm sensibus ipsa quoquè apud eum respondet elo- » cutio, ut quæ non perspicuitatem solùm afferat, sed eâ » insuper sit facultate prædita, ut facilè ac sinè ullâ vi » hominum animis imprimatur, quin et eosdem pervadere, » atque ad institutum suum attrahere queat. Imò sapien- » ter adeò sunt omnia et dextrè temperata atque effor- » mata, ut nec tropologiis liber secundus destituatur, sed » multa contineat quæ demulceant, atque alliciant, ac » plura etiam, quæ, cùm metum ac terrorem incutiant, » tùm pœnitentiam commovendi vim habeant. » (*Bibl. cod.* 197.) Vincentius deniquè Bellovacensis : « Certè, ait, » hujus opuscula multam ædificationem continent ani- » marum, et luculento sermone nitescunt ; nec inter multa » antiquorum opuscula quidquam ad spirituales profectus » atque perfectionis apicem tendenti utilius arbitror me » legisse. » (*Specul. hist. lib.* 20. § 18.)

Ex quibus concludendum : 1.° illum, quoad fidem, non posse tanquàm hæresis reum traduci, cùm à S. Prospero Catholicus habeatur, et in pace Ecclesiæ quieverit ; 2.° quoad virtutem, maximè commendandum extitisse, cùm à quibusdam *Beati* etiam et *Sancti* nomine non indignus judicetur ; 3.° quod ad ipsum spectat operum argumentum, non tan-

tùm utilissimis moralibus præceptis abundare, sed et motibus ad virtutem persuadendam maximè accommodatis; 4.° deniquè quoad scribendi modum, ipsum dictione uti facili quidem, et iis, quæ proponuntur, non omninò alienâ, sed in quâ grandius aliquid et generosius optandum videretur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Inter præcipuas Cassiani editiones numerari possunt, quæ, vel 1616 *Duaci* cum notis *Alardi Gazæi*, Benedictini; vel, *Atrebati*, 1628, cum ejusdem et aliorum notis; vel *Parisiis* 1642, vel 1722, *Francofurti*, et iterùm 1733 *Lipsiæ* fuerunt excusæ.

§ XIV.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, *an.* 444.

GRÆCUS.

Sanctus Cyrillus, Theophili (1), Archiepiscopi Alexandrini nepos, et apud illum à tenerâ ætate institutus diligentem operam litteris, sacris præsertim, navavit. Indè per aliquot annos inter monachos Nitriæ versatus, Alexandriam rediit, et an. 403 interfuit synodo Chalcedonensi *ad quercum*, in quâ, præside Theophilo Alexandrino, condemnatus ac depositus est S. Joannes Chrysostomus.

Post Theophilum an. 412 defunctum, tribus vix elapsis

(1) Famosus est iste Theophilus, qui contra Joannem Chrysostomum debacchatus, ipsum tandem à sede dejectum in exilium trahi curavit. Vide supra S. Chrysostomi historiam. S. Cyrillus dicitur Ἀδελφιδοῦς, Theophilus verò Θεῖος.

diebus, ad Archiepiscopatum Alexandrinum evectus fuit, aliis incassùm pro Timotheo Archidiacono laborantibus.

Ea autem erat Alexandrinorum Episcoporum potestas, ut in iis, quæ ad religionem pertinebant, supremorum instar principum se gererent. Cujus auctoritatis tuendæ, vel etiam amplificandæ cupidus nimis forsàn Cyrillus, vix Pontificalem obtinuerat sedem, cùm expulsis proprio motu Novatianis, pseudo-episcopum Theopemptum bonis etiam, quibus fruebatur, spoliavit. Nec ergà Judæos mitior : cùm enim illi Alexandrinis fidelibus aliquid injuriarum attentâssent, concitati populi dux ipse factus, eorum synagogas invasit, ipsisque ab Alexandriâ ejectis, quidquid possederant Christianis diripiendum tradidit. Hinc exoriri Cyrillum inter et Orestem urbis præfectum invidiæ, cùmque hi pro Oreste, illi verò pro Cyrillo starent, frequentes, propter seditiosum Alexandrinæ plebis ingenium, non sinè cruoris effusione dissensiones. Lapidis ictu à monachis vulneratus Orestes, monachum nomine Ammonium ità quæstioni subjecit, ut inter tormenta moreretur; quem Cyrillus, laudatâ publicè constantiâ, inter sanctos et martyres haberi voluit. Mulierem quamdam, nomine Hypatiam, quæ in suspicionem venerat, quasi Oresti adversùs Episcopum odii faces ministraret, commotus subitò populus, lectore quodam duce, inter vias et compita civitatis pertractam, crudeliter dilaniaverunt. Hoc autem nesciente Cyrillo perpetratum certissimè credendum est, quamvis contrarium in vitâ Isidori philosophi Damascius contendat. Si quid autem duriùs egerit, non cupiditatis explendæ causâ, sed ardentioris illius zeli studio, quod pro defensione fidei Catholicæ totum protinùs exeruit.

Statim atque Nestoriana blasphemia ad aures personuerunt, generosi instar militis, cujus virtutem adversariorum clamores exacuunt, ad pugnam accingitur; vel potiùs

ad pugnam jam insilivit; non priùs tamen quàm, propositâ pace, scriptisque mitioribus epistolis, dissidentes ad concordiam hostes revocare tentaverit. Cùm autem nihil proficeret Evangelicæ sententiæ non immemor : *Si te frater non audierit, dic Ecclesiæ*, summum Pontificem Cœlestinum certiorem facit de novis illis, quæ in Ecclesiâ grassari incipiebant erroribus; Romæ igitur convocatâ anno 430 synodo Cœlestinus, Nestorium à sede repellendum judicavit, sanctoque Cyrillo dedit exequendæ sententiæ mandatum. Quo suscepto, scriptis iterùm ad Joannem Antiochenum, Joannemque Hierosolymitanum epistolis, ut errantem ad meliora revocare conarentur, cùm sæpiùs ille admonitus temerè prolata retractare nollet, alterâ eodem an. 430 habitâ apud Ægyptum synodo, Nestorium tandem, nisi intra temporis spatium Cœlestini epistolâ præfixum errores denegaret, sacerdotio dejectum declaràvit. Proposita simul Nestorio fidei professio Catholica, cum duodecim anathematismis à S. Cyrillo compositis, qui ab Orientalibus Episcopis minimè probati novam deindè disputandi ansam præbuerunt.

Nec ideò finitæ quæstiones, quas ut componeret Theodosius Imperator, omnes Orientis Episcopos, imò et Occidentales plurimos, sanctumque præsertim Augustinum ad plenius concilium eodem anno 430 convocavit; cui defunctus intereà Augustinus adesse non potuit. Jam dies synodo præfixus advenerat, jam post hunc diem alii quindecim effluxerant, cùm præside S. Cyrillo, Ægypti Asiæque Episcopi in concilio tandem sederunt, quanquàm sanctæ sedis nondùm adessent Legati, quanquàm Orientis Episcopi adhùc in viâ detinerentur, quanquàm deniquè sexaginta octo Episcopi dilationem repeterent. Cùm verò Episcoporum absentia, non nisi ad differendum judicium præcogitata videretur, incœptâ synodo, ter juxta canones

citatur Nestorius; ter adesse recusat; audiuntur testes; sermones ipsius leguntur; manifestus deprehenditur error; profertur judicium, et unius diei sententiâ à sede simùl et ab Ecclesiâ expellitur. Minùs autem miranda videbitur tam citò confecta sententia, si attentè perpendatur quis fuerit error, quibus anteà quæstionibus expensus, quibus tandem profligatus judiciis. Manifestus error, ità ut unum illud expendendum, utrùm hunc Nestorius propugnâsset; nec ardua magis posterior illa investigatio, cùm sermones legerentur, cùm inter omnium manus pervolverentur epistolæ, cùm præterea tantâ erecti dudùm quæstione animi suspenderentur; adde judicium à concilio Ægypti latum; adde concilii Romani sententiam; adde S. Cœlestini Papæ venerabiles epistolas; tanto-ne igitur temporis intervallo indiget sic à longè præparata sententia ?

Quinque autem post depositum Nestorium diebus, celebratur oppositum quinquaginta circiter Episcoporum concilium, in quo deponitur S. Cyrillus, ejusque anathematismi anathematisantur. Quo non obstante, Ephesina synodus à supervenientibus Pontificis Romani legatis confirmata sedere pergit, et ferre sententias. Anxius fluctuare Imperator; jubere primùm Nestorium simùl et S. Cyrillum deponi; mox quasi ex abrupto mutare sententiam: abeant Nestorianæ partis defensores, Nestorius in monasterium detrudatur; alius in depositi locum substituatur Episcopus. Redditur Alexandriæ victor Cyrillus, initâque cum Joanne Antiocheno pace, tota B. Mariæ Deiparæ cultui mancipata latè quiescit Ecclesia.

Cui perficiendæ paci reliquum vitæ tempus impensum; cùmque novæ tentarentur de Theodoro Mopsuesteno quæstiones, improbatis ejus scriptis, in hoc tamen consilii totus semper fuit, ut, damnatis erroribus, errantes, maximè in Ecclesiæ communione jàm anteà defunctos, omninò

prætermittendos persuaderet. Sic expleto triginta duorum annorum episcopali curriculo, plenus meritis gloriâque clarus, an. Christi 444, ad cœlos evolavit.

Plurima supersunt, nonnullis etiam amissis, ejus opera, nempè : 1.° *de Adoratione Dei in spiritu et in veritate, libri* 17; 2.° *contra Julianum Imperatorem* 10 libri, in quibus Christianæ religionis veritatem à sophisticis ejus argumentis vindicare contendit; 3.° *varia in Scripturam sacram commentaria*, in Pentateuchum, in Isaïam, in duodecim minores Prophetas, in S. Joannis Evangelium; 4.° *Thesaurus de Trinitate*, nec non et circa idem Incarnationisque Mysterium *dialogi septem;* 5.° *de fide Orthodoxâ ad Theodosium*, cui subjungi possunt *ad Imperatrices scripta;* 6.° *contra Nestorium libri quinque*, cum *duodecim anathematismorum defensione*, *apologiâque* ad Theodosium; 7.° adversùs *Anthropomorphitas* tractatus, qui Deum corporalem effingebant; 8.° plurimæ *Epistolæ*, quæ ferè omnes circa Nestorianam causam versantur; 9.° deniquè *Sermones* nonnulli, quorum alii adversùs Nestorium diriguntur, alii verò ad annuntiandum Pascha confecti dicuntur *Homiliæ Paschales.*

Subtilis admodùm in scribendo Cyrillus, subobscurus aliquandò, nec communibus animis accommodatus; in referendis Scripturæ sacræ testimoniis multiplex; in conficiendis argumentis longior; in excogitandis verò copiosior allegoriis; non politus sermo; non certos intra fines coërcitus; facilior excurrit manus subitaneas omnes animi cogitationes in chartam delineare præceps. Hinc Photius : « Sermo illi confictus, et ad propriam dicendi formam » contortus, ac veluti solutum numerosque negligens me- » trum. » (*Bibl. cod.* 49.)

Non desunt qui illius tamen laudes decantaverint. Vocatur ab Evagrio *vir celeberrimi nominis*, imò et *divinus*

(Hist. lib. 1. cap. 3.) Pothius autem sic illum laudat : « Leguntur Cyrilli Thesauri; epicherematibus refertus est » liber, pugnatque validè ac variè cum Arii et Eunomii » furibundâ rabie. Etenim et logicis argumentis sapienter » illorum destruit amentiam, quibus dùm sanctæ Scrip- » turæ adnectit adtexitque testimonia, quàm sit illa doc- » trina futilis omni ex parte divulgat. Adhibet idem quo- » que sanctæ Scripturæ testimonia, ut quò se fastuosi » vertant obsepti undiquè atque conclusi non habeant. » (*Bibl.*) In Martyrologio pariter Romano (*die* 27 *Januar.*) dicitur *catholicæ fidei propugnator, doctrinâ et sanctitate illustris*. S. demùm Anastasius Sinaïta, sic datum Cyrillo à concilio Chalcedonensi elogium amplificat : «*Cyrillo æterna* » *memoria* sicut et Chalcedonensis synodus dixit : etenim » nullus sanctorum Patrum sanctissimum illud et indefi- » ciens et æternum et indelebile naturæ Christi benefi- » cium ità prædicavit, sicut divinus Cyrillus..... Benè sit » tibi, lumen, fax, et columna veritatis, Cyrille. Iteratò » dicam : *Cyrilli* verè *æterna memoria*, qui non sinit » nos à vero deerrare. »

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Latina plenior emissa est S. Cyrilli editio *Parisiis*, an. 1605.

Græco-latina autem habetur *Joan. Auberto* curante, *Parisiis* 1638, 6 vol. in-fol.

§ XV.

Sanctus Vincentius Lirinensis, *an* 448.

LATINUS.

Sanctus Vincentius, Lirinensis, natione Gallus, S. Lupi Trecensis episcopi frater, « cùm aliquandiù, ut

» ipsius verbis utar, variis ac tristibus secularis militiæ
» turbinibus volveretur, tandem se in portum religionis
» cunctis semper fidissimum, Christo aspirante, condi-
» dit, ut ibi depositis vanitatis ac superbiæ flatibus, chris-
» tianæ humilitatis sacrificio placans Deum, non solùm
» præsentis vitæ naufragia, sed etiam futuri seculi incen-
» dia evitare posset.» (*Commonit.* 1. *initio.*) Undè in monasterium Lirinense se recepit, ubi vitâ functus pacificâ pacificam mortem sortitus est anno 448. Inter Sanctos à Martyrologio Romano, die 24 Martii, recensetur.

Scripserat circa annum 434 *Commonitorium adversùs hæreticos*, quo principia hæreticis quidem omnibus, sed Nestorianis potissimùm confutandis aptissima proponit. Huic potissimùm insistit regulæ, nova nunquàm in Ecclesiâ proferenda, licèt quædam novè possint proferri. Liber ille cogitationibus exquisitis refertus, perspicuoque commendabilis eloquio, duobus primùm constabat partibus, quarum secunda de concilio Ephesino agebatur. Quâ quidem fraudulenter sublatâ, breviarium tantummodò superfuit, quod ad calcem operis legere est.

Laudatus est tùm à S. Eucherio, qui illum vocat *interno gemmam splendore perspicuam*, (De laud. erem.) tùm à Gennadio qui ità de illo loquitur : « Vincentius,
» natione Gallus, apud monasterium in Lirinensi insulâ
» præsbyter, vir in Scripturis sanctis doctus, et notitiâ
» ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus, com-
» posuit ad evertenda hæreticorum collegia nitido et aperto
» sermone validissimam disputationem ». (*de vir. illust.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

S. Vincentii Lirinensis opusculum sæpiùs in variis collectionibus excusum, maximè legendum est cum Salviano

prælo subjectum à *Baluzio*, an. 1663, in-8°. Recusa est cum notis eadem editio *Romæ*, 1731, in-8°.

GALLICÆ VERSIONES.

Habetur *Commonitorium* gallicè versum : 1° ex translatione *Guillelm. Ruzé*, Andegavensis episcopi, *Parisiis*, an. 1561, in-8°.; et *Lugduni*, 1570; atque iterùm *Parisiis*, 1580.

2.° Operâ D. *de la Brosse*, *Parisiis*, an 1615.

3.° Curâ D. *Barthol. d'Astroy*, *Leodii*, an. 1663.

4.° Collaborante D. *de Frontignieres*, *Parisiis*, an. 1684 et 1686.

5.° Deniquè cum Salviano, curante P. *Bonnet*, *Parisiis*, 1700, in-12.

§ XVI.

Sanctus Hilarius Arelatensis, *an.* 449.

LATINUS.

Sanctus Hilarius, Arelatensis, an. 401 natus, in Lirinensi monasterio, ab Honorato abbate, à quo mundi voluptatibus subductus fuerat, educatus est. Honoratum in Episcopatum Arelatensem assumptum secutus, anno 429 Arelatensem cathedram ejus successor occupavit. Interfuit, anno 441, synodo Aransicanæ I, quâ Celidonius Vezuntinus episcopus depositus est. Cùm autem Papam Leonem appellâsset Celidonius, Romano concilio ità est absolutus, ut Hilarius ipse damnatus, auctoritate quam in provinciâ Viennensi exercere solebat, orbaretur. Meritò quidem incusari potest, quòd pedibus Romam veniens, Leonis nimiùm auctoritati restiterit; sed admissam culpam expiâsse credendus est, tùm missis ad summum Pontificem pluribus legatis, tùm frequentioribus pœnitentiæ

caritatisque operibus, quibus incumbere studuit usquè ad mortem, quæ anno 449 accidisse perhibetur.

Ex pluribus, quæ scripserat, operibus modò tantùm leguntur : 1°. *Homiliæ* quæ Eusebii Emesini nomine circumferuntur; 2°. *Vita S. Honorati*, eleganter admodùm scripta; 3°. *Epistola* quædam ad Eucherium, quâ breviore perspicitur arcta, quæ Eucherium inter et Hilarium intercesserat, amicitia; 4°. *Poëma* circa Genesis initium, quod multis mendis scaturiens deprehenditur.

Selectæ cogitationes eleganti quâdam et suavi dictione circumornatæ proferuntur. Acutior tantùm fortè et grandioribus metaphoris indulgens traduci posset, nisi non hominis, sed ætatis, quâ vivebat, ingenio hoc vitium videretur exprobrandum.

Sic illum celebrat Gennadius : « Hilarius, Arelatensis » episcopus, vir in sanctis Scripturis edoctus, paupertatis » amator, et erga inopum provisionem non solùm mentis » pietate, sed et corporis sui labore sollicitus fuit. Nam » pro reficiendis pauperibus etiam rusticationem contra » vires suas, homo genere clarus et longè aliter educatus, » exercuit : sed nec in spiritualibus neglexit. Nam et in » docendo gratiam habuit, et absque personarum accep- » tione omnibus castigatum opus prædicationis ingessit. » Ingenio verò immortali aliqua et parva edidit, quæ eru- » ditæ animæ et fidelis linguæ indicio sunt. » (*De vir. illust.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Excusa sunt S. Hilarii opera tùm ad calçem S. Leonis à patre *Quesnello* editi, tùm separatim an. 1731, *Romæ*, per *Joan. Solinatem*. Vita S. Honorati prælo subjecta est an. 1578 et 1673, *Parisiis*.

VERSIONES GALLICÆ.

Gallicè habetur vita S. Honorati vertente *Arnaldo d'Andilly*.

§ XVII.

Synesius, circa medium quinti seculi.

GRÆCUS.

Synesius, Cyrenensis, philosophus Platonicus et celeberrimæ Hypatiæ Alexandrinæ discipulus, transactis inter mundi munia pluribus vitæ annis, ad Christianam religionem conversus, Ptolemaïdis episcopus anno 410 electus est. Pontificalem dignitatem pristinæ vivendi institutioni contrariam, non nisi ægrè et reluctans suscepit. Platonicis nimiùm indulgens placitis catholicas veritates fide integrâ tenere primùm non videbatur; deinde verò superbientem nimis animum Ecclesiæ auctoritati pontifex consecratus submisit, virtutemque apostolicam in sublevandis præsertim pauperibus exercuit. Quo anno vitam defunctus consummaverit penitùs ignoratur.

Philosophicas scripsit orationes dicendi majestate conspicuas, inter quas maximè recensentur: 1.° *Oratio de modo benè regnandi*, coràm Arcadio magnâ libertate anno 398 pronuntiata; 2.° *oratio ad Pæonium*, quæ philosophiæ astronomiæque laudes complectitur; 3.° *liber* cui titulus: *Dio Frisius*, quo vir ille celebris laudibus extollitur, asseriturque artium liberalium utilitas; 4.° *Calvitii* ingeniosum encomium; 5.° *duo de Providentiâ libri*; 6.° *somniorum liber*; 7.° *epistolæ*, quibus profana multa, nonnullaque etiam sancta evolvuntur argumenta; 8.° *hymni*.

Synesii « stylus, ut Photii judicio utar, sublimis qui- » dem et grandis, sed qui ad popularem simùl dictionem » aliquantùm inclinet... Ejusdem epistolæ variæ venustate » ac dulcedine fluentes cum sententiarum robore ac den- » sitate. » (*In bibl.*) In narrando describendoque præcipuus, modò frequentibus sermonem discursibus variare; modò legentis animum exhilarare depromptis sivè ex historiâ sivè ex fabulâ præstantioribus factis; modò profanorum etiam poëtarum carminibus dicta exornare. Non insuavis rudisque philosophia, sed jucunda et delectabilis, quæ docendo placet, et in gravissimarum rerum notitiam, dum jocari videtur, inexspectantium mentes inducit. Rhethoricâ philosophiam decorare, philosophiâ rhetoricam confirmare miraberis. Profanis tamen potiùs disciplinis, quàm christianis veritatibus imbutus, pauca quæ ad stabiliendam fidem, multa quæ ad informandam eloquentiam conducere possint, posteris legenda reliquit. De quo ista apud Evagrium leguntur : « Synesius tùm reliquis disci- » plinis excultus fuit, tùm in philosophiâ adeò excelluit, » ut admirationi esset etiam Christianis, his scilicet qui » neque odio neque gratiâ adducti de rebus judicare so- » lent... Qualis autem et quantus exstiterit abundè testan- » tur, tùm epistolæ post susceptam sacerdotii dignitatem » eleganter et doctæ ab eo conscriptæ, tùm oratio quam » dixit eidem imperatori Theodosio, tùm quicumque ejus » libri admodùm utiles circumferuntur. » (*Evagr. lib.* 1. *cap.* 5.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè pleraque prodierunt Synesii opera, curante *Turnebio*, an. 1553.

Latinè pariter pleraque in lucem fuerunt emissa, vertente *Jano Cornario, Basileæ*, an. 1560.

Græcè **autem et** ***latinè*****, studio** ***Petavii*****,** ***Parisiis*** **an. 1612, eadem excusa fuerunt; quæ editio an. 1633, et posteà an. 1640, cum Cyrilli catechesibus renovata est.**

§ XVIII.

Sanctus Eucherius, an. 449.

LATINUS.

Non multa de *S. Eucherio* dicenda occurrunt. Narratur tantùm, duobus è matrimonio liberis, Salonio et Verano, susceptis, in insulam Lirinensem declinâsse, undè posteà extractus ad Lugdunensem Episcopatum vocatus est. Anno 449, in Prosperi Chronico defunctus dicitur.

Pauca supersunt ejus opera: 1.° scilicet *liber de Laude eremi*, ad S. Hilarium, posteà episcopum Arelatensem, circa annum 428 scriptus; 2.° *liber de Mundi contemptu*, quo unum è propinquis Valerianum ad fugiendas mundi voluptates exhortatur. Ad annum 432 certissimè referendus est, cùm annum ab urbe conditâ 1085 inscriptum habeat; 3.° tractatus *de formulis spiritualibus* ad Veranum qui mystica tantùm quædam et parùm solida exhibet; 4.° de *Institutionibus* libri duo, quorum priore multas de veteri novoque Testamento quæstiones solvit, posteriore verò multa circa Hebræorum nomina, vestes, mensuras et alia hujuscemodi non ità feliciter explicare contendit; 5.° *S. Mauritii acta.*

Prima duo scripta purâ elegantique dictione, nec non et ingeniosis cogitationibus commendantur; cætera, primis minimè conferanda, eamdem laudem non merentur.

Illum Gennadius scripsisse testatur *scholastico et rationabili sermone.* (De Viris Illust.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Separatìm excusi sunt :

1.° Duo libri de *Laude eremi*, et de *Mundi contemptu*, *Antuerpiæ*, an. 1621.

2.° *Formulæ spirituales cum Institutionibus*, an. 1530 et 1531 *Basileæ*.

3.° *S. Mauritii acta*, apud *Acta sincera martyrum Dom. Ruinarti*, *Parisiis*, 1689.

GALLICÆ VERSIONES.

Gallico sermone leguntur :

1.° *Opera ascetica S. Eucherii*, sivè de *Solitudine christianâ*, *Parisiis*, 1662, in-8°.

2.° Liber de *Mundi contemptu*, vertente D. *Arnaldo d'Andilly*, *Parisiis* 1672.

3.° Idem versibus gallicis modulatus, auctore *Bartholom. Aneau*, *Lugduni*, 1552, in-12.

§ XIX.

Sanctus Petrus Chrysologus, inter an. 449 *et* 456.

LATINUS.

Sanctus Petrus, cognomine *Chrysologus*, Imolâ oriundus, à S. Cornelio ejusdem civitatis episcopo in Clerum assumptus est, et Sixti Papæ III temporibus ad Ravennensem Episcopatum evectus. Exstat S. Leonis epistola ad Neonatem ejus successorem, quæ cùm ad annum 451 referenda videretur, annum circiter 449 sancti doctoris morti assignabat; cùm autem P. *Quesnellus* illam potiùs ad annum 458 pertinere non immeritò conjiciat,

Episcopatûs vitæque annos paulò longiùs producendos crediderim. Leguntur ejus opera : 1.° 176 *Sermones vel Homiliæ* ad populum; 2.° *Epistola ad Eutycheten*, quâ illum ad fidei integritatem revocare nititur.

Breviores homiliæ, paucis, sed elegantibus verbis, varia Scripturæ testimonia, deductis quibusdam moralibus consectariis, exponunt: quædam circa virtutes christianas, quædam circa præcipuas anni solemnitates, plurimæ verò circa parabolas et miracula Domini versantur. Brevitas in eo cum perspicuitate consonat; sententiis inter se concatenatis progreditur; non exquisitiores sensus; non neglectus sermo; non impeditæ expositiones. Grandius tamen aliquid et nobilius et facundius Chrysologi cognomen postulare non temerè diceretur. Adsunt quidem gratæ narrationes, cogitationesque jucundæ, quæ mentem illuminent simùl et delectent; sed desiderantur insoliti illi motus, qui vel raptos extollunt, vel perculsos atterunt audientium animos.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Epistola ad Eutycheten Græco-latina reperitur, *Gerardo Vossio* curante ad calcem S. Gregorii Thaumaturgi, excusa anno 1604 *Moguntiæ*; 2.° *Sermones* à Felice, Ravennensi episcopo, circa annum 702 collecti, prælo fuerunt subjecti, tùm in Bibliothecis Patrum, tùm *Parisis* anno 1670 et 1678, cum S. Leone.

§ XX.

Basilius Seleucensis, *circa an.* 458.

GRÆCUS.

Basilius, Seleuciæ in Isauriâ Episcopus, Eutychetis tempore floruit. Interfuit tùm synodo Constantinopolitanæ

à Flaviano congregatæ anno 408, tùm conciliis Ephesino, generali III, anno 449, et Chalcedonensi, generali IV, anno 451, ubi, detestatis in Ephesino latrocinio patratis flagitiis, sedi suæ restitutus, sententiam cum aliis ferenda licentiam accepit. Quo post illud concilium anno fuerit defunctus non satis inter eruditos constat.

Quadraginta homiliæ sub ejus nomine circumferuntur. Quindecim tantùm legerat Photius; alias autem eidem auctori esse tribuendas eloquii similitudine demonstratur. «In » quibus quidem orationibus, ut Photii judicio utar, hoc » observare licet, magnum eum esse, si quis unquàm » alius fuit, figuratæ atque incitatæ orationis pariumque » artificem; perspicuitatem nihilominùs ac suavitatem re- » tinet. Verùm quia nimius in tropis et schematis incita- » tis, satietatem parit, sivè potiùs quia tam assiduus in » his est ac totus, nihil ut aliud sinè modo occurrat, au- » ditori fastidium et calumniandi ansam præbet, atque ad » scriptoris ipsius vituperationem incitat, quasi neque na- » turam arte moderari, neque regulâ quod inordinatum » erat digerere possit. Etsi autem tropis hoc modo abun- » det, ipsumque adeò tropologicum dicendi genus fontis » in morem effundat, nunquàm tamen ideò vel in frigi- » dum sermonem, nisi perrarò delabitur, vel obscuritate » aliquâ sensum obumbrat : sed si quid ob tropologiam » intelligi minùs commodè poterat, id cùm accelerata » membra atque periodi, tùm dictionum ipsarum signifi- » cantia facilè tollit. Cæterùm, ut jam dixi, satietas gra- » tiam omnem hebetat, et purorum illa troporum affluen- » tia artificii legibus nullam dicendi libertatem concedit.» (*In Bibl.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Homiliæ Basilii Seleuciensis excusæ fuerunt :

Græcè, an. 1596, *Heidelbergæ; Latinè*, an. 1674, *in Ecclesiaste latino Patrum Græcorum, à Patre Combefisio.*

Græcè et latinè, an. 1604, ibidem cum versione et notis *Dausquæi;* et 1621, *Parisiis* in collectione Patrum Græcorum.

Habentur etiam in variis Patrum Bibliothecis.

§ XXI.

Sanctus Nilus, circa medium quinti seculi.

GRÆCUS.

Sanctus Nilus, Chrysostomi discipulus, Constantinopolis Præfectus, magnisque divitiis abundans, duos è matrimonio liberos suscepit, quorum uno conjugi relicto, primogenitum secum assumpsit, ut inter Arabiæ solitudines, montisque Sinæ deserta vitam monasticam profiteretur. Hic in cavernis vel casulis propriâ manu exstructis separatim degebant, non pane, sed acerbis fructibus, crudisque herbis vitam sustentantes. Diebus autem Dominicis ad Ssacram ynaxim rerumque spiritualium devotam collationem conveniebant. Chrysostomo in exilium anno 405 ablegato, duas ad imperatorem Arcadium epistolas magnâ libertate conscripsit, ut tam injustam agendi rationem vehementer exprobraret.

Devastante autem Orientales plagas cum Barbarorum turmis Alarico, captisque et occisis etiam monachorum nonnullis, in montem aufugere Nilus coactus est, dùm Theodulus filius à Barbaris deprehensus, et stellæ Veneris penè immolatus, Elusam ductus est in servitutem redigendus. Illum autem Elusam deveniens Nilus ab Episcopo redemptum et Clero ab eodem addictum feliciter recepit.

Illius mortem ad Mauritii imperium quod post annum 582 cœpit, nonnulla Menologia referunt. Cùm autem certum sit, illum jam præfecturâ Constantinopolitanâ functum, anno 405, ad Arcadium scripsisse, difficilè credendum est illum plùs quàm centenarium usquè ad hoc tempus vitam produxisse. Conjicit Dupinus in Menologiis Marcianum Imperatorem Mauritii loco legendum, mortemque ejus circaa nnum 451 meliùs esse reponendam.

Scripsit 1.° librum *de Vitâ monasticâ*, quo vitia Monachorum reprehendit; 2°. *Peristeriam*, ubi plura de virtutibus disserit; 3.° orationem de *Paupertate voluntariâ*, quâ felicitatem eorum, qui omnibus renuntiaverunt exaggerat; 4.° librum, quo inquirit, utrùm anteponenda sit anachoretarum, vel aliorum in urbibus degentium monachorum vita; 5.° quemdam *de vitiis et virtutibus* tractatum; 6.° orationem *de vincendis tentationibus*; 7.° quædam *epistolæ*, variaque *opuscula*.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Omnia quæ supersunt S. Nili opuscula legi possunt sivè *Latinè* in Bibliothecis Patrum, sivè in editione *græcolatinâ à Suarezio*, episcopo Vasensi, in publicum emissa, cum novâ versione et notis, anno 1673 in-fol. et 1683.

§ XXII.

Theodoretus, anno 458.

GRÆCUS.

Theodoretus, qui meliùs *Theodoritus* dici deberet, piis et opulentis parentibus natus est Antiochiæ circa annum Christi 387. Theodoretus ideò à matre vocatus est, quòd post sterile tredecim annorum conjugium precibus à Deo impetratus, Deo iterùm fuerit consecratus; Theodoretus

enim vel à Deo datus, vel datus Deo significare potest. Post prima institutionis exordia, ab octavo ætatis anno vitam in monasterio Euprepii, non procùl ab Antiochiâ duxit usquè ad Episcopatum. Hìc sacrarum litterarum doctores habuit Theodorum Mopsuestenum, Joannemque Chrysostomum, sodales verò Joannem posteà Antiochensem episcopum, et famosum nimis Constantinopolitanum Nestorium. Ità licèt junior scientiâ virtutibusque inclaruit, ut Lector primùm à Porphyrio, Diaconus autem Præsbyterque ab Alexandro, episcopis Antiochenis ordinaretur. Episcopus Cyrianus, seu Cyri quod oppidum est Syriæ in provinciâ Augustâ Euphratesiâ consecratus est invitus à Theodoro episcopo Antiocheno, circa annum 423, velut probabiliùs videtur 420.

In ejus pontificatûs historiâ duo maximè distinguenda, nempè primò quæ tanquàm privatus gessit Episcopus, et quæ secundò tanquàm Episcopus ad tractandas Ecclesiæ universalis causas agendum esse putavit.

I.° Quidem si Theodoretum tanquàm privatum pontificem considerare volueris, sanctissimum invenies Christi ministrum, verbique divini prædicatorem. Diœcesim nactus naturâ horrendam, populoque rudi et quasi barbaro refertam, huic tamen veluti carissimæ sponsæ individuus adhæsit, posthabitis ditioribus aliis, quas propter vitæ scientiæque meritum facilè potuisset obtinere. Quam quidem quadragies mille passus porrectam, et Ecclesias continentem octingintas, cùm variis hæresibus infectam accepisset, sic illam ab omni *maculâ*, *rugisque* omnibus purgare prævaluit, ut vicos octo, et in his decem Marcionitarum millia, ad Catholicam fidem reduxerit, aliumque vicum Eunomiis, alium Arianis, Macedonianis, et Apollinaristis refertum ab errore liberaverit; quo factum est ut in totâ Cyrianâ regione doctrina Catholica ubiquè perso-

naret. Priùs autem labor non defuit; non defuerunt vitæ pericula; proprii non defuit sanguinis effusio; lapidibus ab impiis aliquandò lacessitus, mortem obire pro persequentium salute Christi sacerdos non timuit; *sic bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

Antiochiæ etiam, non ultrò quidem, sed à Patriarchis vocatus, sacras non sinè omnium plausu conciones habuit. Rarus extra diœcesim, semper autem commissæ sibi plebis regimini intentus, à quâ veluti pater diligebatur. Nullæ unquàm lites ; nihil propter quod in causam peteretur; nihil quod ipse repeteret : nullæ prorsùs divitiæ, nisi simplices illæ quibus induebatur vestes; *munera quæ sapientum excæcant oculos* nec accepit ipse, nec à servis accepi unquàm passus est. Sobrius in victu, quæ supererant pauperibus erogabat, vel construendis urbi necessariis impendebat ædificiis. Sic plures porticus, sic pontes duos, sic publica balnea, sic vastum aquæductum, vel extrui, vel restaurari curavit. Optimus ergò civis, sicut et pastor optimus intra diœcesis fines extitit Theodoretus.

II.° Videamus autem quæ ad magnas Ecclesiæ causas attinent, si quomodò per intricatissimam illius temporis historiam sinceras illius cogitationes deprehendere valeamus. Nestorio familiarior, quem ab infantiâ dilexerat, cujusque austeriorem vivendi modum necessariâ quâdam existimatione prosequebatur; ergà Cyrillum autem, tanquàm ardentioris zeli virum, non injustâ prorsùs suspicione præventus, qui inauditum Nestorium unâ sessione et citare, et judicare, et condemnare properaverat; imò et illâ, quanquàm falsâ, cogitatione præoccupatus, non tam à Cyrillo Personæ unitatem asseri, quàm duas confundi Naturas, circumstantiarum quasi pondere deductus est ad illam, quæ nonnullâ indiget excusatione agendi rationem; hinc duodecim anathematismos contra Nestorii errores à

S. Cyrillo confectos refellere aggressus est; hinc cum concilio Ephesino communicare recusavit, contrariamque synodum cum Joanne Antiocheno aliisque quinquaginta episcopis celebravit, in quâ depositus est ipse Cyrillus; hinc contra eumdem Cyrillum vel potiùs contra ipsammet Ephesinam synodum quinque libros scripsit non ità, ut par erat, moderatione temperatos. Nedùm autem Nestorii propugnaret errores, primus Joanni Antiocheno auctor fuit, ut Nestorium, scriptis epistolis, ad suscipiendum *Deiparæ* nomen impelleret. Damnatum depositumque Nestorium, profligatos destestatus errores, tanquàm ab istâ doctrinâ alienum à communione Ecclesiæ separare diutiùs noluit, Anathematismorum Cyrilli damnationem nihilominùs urgens. Initâ autem inter Joannem Antiochenum sanctumque Cyrillum pace, derelicti Nestorii aliquandiù impatiens, tandem cùm in proposito pacis fœdere nihil nisi Catholicum videret, nec probatis Cyrilli *Anathematismis*, nec confirmato Nestorii judicio, in Ephesinorum Patrum communionem redire sustinuit, aliosque etiam ad simultates deponendas hortatus est.

Defuncti verò an. 444 Cyrilli successor Dioscorus, nascentes Eutychetis errores impugnantem Theodoretum; in Alexandrinâ primùm Ecclesiâ, deindè autem in concilio Ephesi congregato, non solùm inauditum et absentem, sed etiam venire imperatoriâ auctoritate prohibitum, à sede episcopali dejecit. Quod ut rescivit S. Leo, rescissâ Dioscori sententiâ, Theodoretum pro Catholico habitum in pontificalem dignitatem restituit.

Indè anno 451 convocatur Chalcedonensis synodus generalis IV, in quâ non obstantibus Ægyptiorum clamoribus, sedere jussus est Theodoretus. Cùm autem ad octavam concilii, ut aiunt, *actionem* deventum est, postulatum ab eo ut anathema Nestorio diceret, ambages requirere

videtur Theodoretus : instant clamores; Nestorium, Eutycheten, et quicumque catholicè non sentiret, damnandos esse declarat; instant iterùm, quasi non satis clarè loqueretur; ille autem damnato simpliciter Nestorio, Eutychianam approbare doctrinam veritus, anathema Nestorio dicere recusat, nisi priùs quid crederet profiteretur; crescit tumultus; confusæ audiuntur voces: *Hæreticus est, Nestorianus est; foris hæreticus;* quibus deniquè assentiens Theodoretus, hæc verba clarè pronuntiavit: *Anathema Nestorio, et omnibus qui Virginem Mariam Deiparam esse non confitentur.* Sic episcopus à concilio confirmatus, Cyrum brevì repetiit, ubi reliquum vitæ tempus explanandis sacrarum litterarum oraculis, regendoque christiano gregi sanctissimè impendit; nec ità multò post in pace et communione Ecclesiæ quievit an. circiter 458, ætatis circiter 71, pontificatûs autem 38. Qui viventem insectati fuerant, defuncto non pepercerunt, tantùmque adjuvante imperatore Justiniano profecerunt, ut à concilio Constantinopolitano II, generali V, quod anno 553 celebratum est, ipsius pro Nestorio et contra Ephesinam synodum scripta anathemate percellerentur. Intactus verò semper remansit ipse Theodoretus, cæteraque ipsius opera nulli unquàm damnationi obnoxia fuerunt.

Hinc facilè intelligitur, quomodò apud veteres modò exornetur laudibus, modò vituperiis exagitetur, prout scribentium affectus unumquemque impellebat. Perpensis autem omnibus, quæ sivè pro eo, sivè contra eum militant circumstantiis, non alienum à veritate videbitur, si non indignus judicetur, qui cum Nicephore *doctissimus Episcopus Cyri* (Hist. Eccles. lib. 1. c. 1.), cum Theodoro lectore vir *beatæ recordationis* (in Epist. præfixâ. Hist. Eccles.); cum Cassiodoro deniquè *venerabilis Episcopus* (præfat. Hist. tripart.) appelletur. Si enim in hoc veritatis pacisque

amatore deprehendi possit aliquod erroris vestigium, non illa certè reperitur, quæ sola hæreticum constituit, animi pertinacia.

Hæc sunt autem quæ posteritati scripta reliquit, numerosa pariter et omnibus commendanda: 1.° *Historiam ecclesiasticam*, quæ res maximi momenti complectitur, quamque ità laudat Photius: « Hic magis quam reliqui convenientem » historiæ stylum adhibet. Clarus enim et grandis est, mi- » nimèque redundans, nisi quòd translationibus interdùm » audaciùs et penè ineptè utitur. Hic etiam fusiùs cæteris » secundæ Synodi gesta commemorat, quæ alii tanquàm in » transcursu et obitu ac perfunctoriè narrant nec videntur » de eâ loqui velle. Verumtamen ne ipse quidem cuncta » singillatìm refert. Historiam inchoavit ab hæresi Arii, et » ad principatum Theodosii junioris pertexuit, et in morte » Theodori Mopsuesteni desiit, quo tempore Sisinnius » Constantinopolis erat episcopus.» (*Bibl. cod.* 31.); 2.° varia *commentaria* in octo primos veteris Testamenti libros, in Psalmos omnes, in Canticum canticorum, in Jeremiam, Ezechielem, Danielem, duodecimque minores Prophetas, nec non et in epistolas S. Pauli Apostoli. His præsertim inclaruisse testatur idem Photius cujus verba ibi referre non alienum videri potest: « Legi ejusdem di- » vini viri explanationem Octateuchi, quæ inscriptionem » certè operi egregiè congruentem nacta est: *In impedita* » *sacræ Scripturæ loca;* in quibus et ad libros Regum » ac Paralipomena. Utilissimum imprimis hoc opus, quod- » que cum ipsis quasi natalibus parentis mox genium lecto- » rum oculis subjiciat. Præterquàm autem quòd hìc con- » sueta ipsi dicendi forma egregiè eluceat, habeat quoquè » (si ad majorem perspicuitatem et comprehendendi fa- » cilitatem respicias) cùm aliud quoddam commodum, » tùm quòd in summa veluti capita per quæstiones solu-

» tionesque liber distinctus sit. » Ità Photius; 3.° quinque libros *de Hæreticorum fabulis*, qui veterum Hæreseon historiam continent, non prætermissis ipsiusmet Nestorii erroribus; 4.° decem de *Providentiâ* sermones, de quâ nemo apud antiquos excellentiùs locutus est; 5.° *duodecim de curandis falsis Paganorum opinionibus*, quibus de paganorum theologiâ, philosophorumque vitiosâ impietate perfectissimè disserit; 6.° *Historiam religiosam*, seu *Philotheam*, quæ triginta coætaneorum monachorum vitam exhibet; 7.° 147 *epistolas*, quæ ad intelligendos hujus temporis eventus maximè prosunt; 8.° *Eranisten*, seu *Polymorphum*, qui tribus contra Eutychianos dialogis coalescit; 9.° deniquè *Pentalogi* in Cyrillum vehementiora quædam fragmenta; ut refutationem anathematismorum S. Cyrilli silentio prætermittam.

Cùm verò tot scribendi genera fuerit complexus, in nullò minor deficiensque deprehenditur; si Paganorum superstitiones evertere velit, terribilis in aggrediendo; si hæreticorum insultus repellere, in defendendo immotus; si dogmata religionis expendere, in evolvendo altus et simplex; si historiæ facta recensere, in narrando clarus et elegans; si moraila præcepta commendare, in docendo rectus et potens; si loca Scripturæ difficiliora explanare, in interpretando nitidus et facilis; dignus certè qui inter primos Ecclesiæ doctores numeraretur, nisi intercessisset caliginosa illa suspicionum nebula, quâ tanti luminis obtusi sunt radii. Neque tamen penitùs illa obstitit macula, quominùs maximis exornatus encomiis, versibusque etiam decoratus, à Joanne Euchaïtensium Metropolitâ, præclarissimis Ecclesiæ Patribus accenseretur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè plures prodierunt particulares Theodoreti editiones, nempè : 1.° *Historia Ecclesiastica, Basileæ* 1536, et *Parisiis* 1544, curante *Roberto Stephano;* 2.° librorum de *Providentiâ* studio *Majorani*, an. 1545; 3.° *de curandis falsis Paganorum opinionibus*, à *Sylburgio.*

Latina auctior et correctior editio lucem vidit *Coloniæ*, an. 1617 (in-fol.)

Græco-latinæ autem binæ præsertim nominantur, quarum prior an. 1642, studio et operâ *Jacob. Sirmundi*, accedente auctuario *Garnerii*, confecta est; posterior verò, cujus basis est Sirmundiana, sed castigatior auctiorque, curantibus *Schulze*, et *Noësseltio*, *Halæ* an. 1769, et 1774 vulgata est.

VERSIONES GALLICÆ.

1.° *Historia Ecclesiastica* Gallicæ fidei reddita est cum doctissimâ præfatione, tùm à *Martino Matthæo*, tùm à D. *Cousin.*

2.° Liber *de falsis Paganorum opinionibus*, gallicè translatus à *Mich. Mourgo*, excusus est *Tolosæ*, an. 1712.

3.° *Homiliæ* Gallico sermone habentur tùm operâ *Ludov. Leroi*, tùm curâ *Simon. Goularti*, tùm deniquè ex translatione D. *Lemère*, *Parisiis* 1740, in-8°.

§ XXIII.

Sanctus Leo, Papa, an. 461.

LATINUS.

Sanctus Leo, cognomento *Magnus*, juxta quosdam Româ, juxta alios verò Etruriâ oriundus, quo circiter anno non satis constat, primò Acolythi munere in Ecclesiâ

Romanâ functus est, Zozimique epistolas ad Aurelium detulit; deindè suscepto ejusdem Ecclesiæ Archidiaconatu, Cassianum, jubente S. Cœlestino Papâ I, ad scribendos *de Incarnatione* libros impulit; imò et si Chronico S. Prosperi fides habeatur, an. 439, debellatis Pelagianis, inclaruit.

Defuncto autem an. 440 Sixto Papa III, Romanus Pontifex absens electus est, et elapsis diebus quadraginta consecratus, *Attingens à fine usquè ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter*, hæreticis metum, Catholicis reverentiam pontificali dignitati debitam, ipsis deniquè infensissimis hostibus quemdam quasi stuporem incutere valuit.

Erroris veluti impatiens, tenebrosa Manichæorum flagitia juridicâ inquisitione patefecit; Pelagianorum et Priscillianistarum reliquias in Italiâ oppressit; delirantes Eutychianos, reprobato, ut aiunt, *latrocinio Ephesino*, convocatâque synodo Chalcedonensi, generali IV, vel dociles ad Ecclesiam reduxit, vel repulit ab Ecclesiâ indociles. Hæc est illa synodus, in quâ perlectâ ad Flavianum de Incarnatione epistolâ, ab omnibus acclamatum est: *Petrus per Leonem locutus est.*

Nec minùs in propagandâ auctoritate Apostolicâ, quàm in dejiciendis hæreticorum catervis intrepidus, modò Anatolium Constantinopolitanum, principatum in Oriente affectantem, modò Arelatensem Hilarium, canonicæ potentiæ fines excedentem, intentatis Ecclesiæ fulminibus, ad meliora revocare: ut novis infensus, ità veteribus immobiliter adhærere præscriptis; nihil contra Nicænam fidem in credendo, nihil in agendo contra Canones admittere. Splendidior nunquàm, nunquàm potentior Apostolica sedes, ità ut silentes erubescere cogantur, qui Romanæ sedis auctoritatem *falsis Decretalibus* institutam propagatamque impudenter mentiuntur.

Tempus erat, quo Hunnorum rex, *Deique flagellum* Attila, vastato procùl Occidente, Romam ferro et flammis petebat. Quem armata non cohibebant agmina, inermis cohibuit Pontifex, tantâque simùl et majestate, et eloquentiâ, et suavitate locutus est, ut feroces mitis animos demulceret. Cùm verò Attilâ immitior Gensericus deprehensam an. 455 Romam militibus per decem et quatuor dies atrocitèr depopulandam tradidisset, tantùm nihilominùs auctoritate invaluit, ut ab hominibus ferrum, à domibus ignem, à tribus verò præcipuis, quas excellentissimis Constantinus donis ornaverat, ædibus vastationem deprecaretur.

Zelo zelatus pro Deo suo, sacrisque Dei inhabitantis sedibus, post Vendalicum latrocinium, omnia Romanarum ecclesiarum argentea vasa recudi curavit; dicatum sub S. Petri nomine templum, constructâ eleganti fornice, restauravit; S. Pauli ædes fulmine dejectas reædificavit, superpositâ iterùm testudine, ubi diversi coloris lapides ità disponuntur, ut Christum viginti quatuor senioribus circumcinctum videri detur, cum inscriptione, quâ certa fiant futura secula hanc à Theodosio incœptam, et ab Honorio consummatam, à Placidiâ et Leone decoratam fuisse ecclesiam. S. deniquè Cornelio fanum, juxta cœmeterium Callisti, viâ Appiâ, exstrui curavit. Cùm verò Apostolicam sedem per annos 21 obtinuisset, an. 461 defunctus est, ut creditur, 11 die Aprilis, quâ festum ejus memoriaque celebrantur.

Primus omnium Romanorum Pontificum evasit, cujus opera fuerint in unum corpus redacta, quæ tamen nihil aliud quàm 96 sermones, et 141 epistolas complectuntur. Nonnulli etiam illi tribuunt *libros de vocatione gentium*, et *epistolam ad Demetriadem*, quidam autem negant. Urbanus in dicendo, et numerosus, et paulò exquisitior,

verbis eleganter appositis, et inter se vel consociatis, vel pugnantibus, ità tamen ut in jucundum quemdam sonum semper et ubiquè desinant, aures audientium mirâ delectatione demulcet. Parcior forsitàn in evolvendis moralibus principiis, sed in cogitando rectus, in docendo veritatis tenax, in servandâ Ecclesiæ disciplinâ intrepidus, qualem obtinuerit apud veteres auctoritatem patet ex Episcoporum, summorum Pontificûm, ipsorumque conciliorum testimoniis. « Quis, ait, Facundus Hermianensis episco-
» pus, hujus Romani antistitis gravitatem non prædicet?
» Quis tantam constantiam non honoret? Movere hunc
» posset ullo modo secularis potestas à sententiâ non re-
» tractandi quæ divinitùs fuerant constituta, quem cor-
» poraliter loco movere non potuit». (*lib.* 12. *c.* 2.)

Simplicius item Papa: « Leo ità plenè atque dilucidè
» sacramentum Dominicæ Incarnationis exposuit, ut non
» modò Catholicus, sed ne Christianus quidem valeat nun-
» cupari, quisquis illìc suæ redemptionis causas non evi-
» denter agnoscat. » (*Epist. ad Zenon. Imper.*)

Ità priùs Nicolaüs I: « In Ephesino latrocinio cunctis
» Præsulibus, et ipsis quoquè Patriarchis prolabentibus,
» nisi Magnus Leo, imitator scilicèt leonis illius, de quo
» scriptum est: *Vicit leo de tribu Juda*, divinitùs exci-
» tatus, os aperiens, totum orbem et Augustos ipsos
» concuteret, et ad pietatem commoveret, religio chris-
» tiana penitùs corruisset. » (*Epist. ad Michaël. Imper.*)

Undè Episcopi Galli ad ipsum Leonem scribentes: « Quis,
» inquiunt, apostolatui vestro pro hoc tanto munere,
» *Epistolæ ad Flav.*, quo non solùm Gallias, sed to-
» tum mundum velut quibusdam pretiosissimis gemmis or-
» navit, dignas æstimet gratias posse persolvi? Doctrinæ
» post Deum vestræ debet quisque fidelis, ut constanter
» teneat quod credebat; debet etiam infidelis, ut à per-

» fidiâ suâ, agnitâ veritate, discedat, et Apostolicæ veri-
» tatis luce perfusus erroris sui tenebras derelinquat....
» Quod nos antè oculos semper habentes, non desine-
» mus Domino ac Deo nostro gratias agere et pariter
» supplicare, gratulantes quòd tantæ sanctitatis, tantæ
» fidei, tantæque doctrinæ, Apostolicæ sedi, undè religionis
» nostræ, propitio Christo, fons et origo manavit, antis-
» titem dederit. » (*Epist. Raven., aliorumque Gallor. episc. apud Leon.*)

Epistolam verò, quam de Incarnatione ad Flavianum scripsit, ità se suscipere declarant septuaginta Episcopi à Gelasio I Pontifice apud Romam congregati, « ut si de *ejus*
» textu quispiam usquè ad unum iota disputaverit, et non
» eam in omnibus venerabiliter receperit, *hunc* anathe-
» mate percellant. »

Meliùs autem concludi non potest sancti doctoris encomium, quàm hìc rescribendo editionis Quesnellianæ dedicationem, paucis detractis vel mutatis, quæ solitos errores sapere videntur: « Sancto Leoni Magno Ecclesiæ Romanæ
» Episcopo, nec tantæ sedis impari; (*Hincm. Rhem. lib.*
» *de præd. c.* 33) viro apostolico; (*Facund. lib.* 5. *c.* 5.)
» Ecclesiæ luminari (*libel. Episc. Orient. ad Agapit.*)
» Orthodoxæ fidei columnæ; (*lib. Episc.* 2 *Syriæ ad*
» *Justinian. Imperat.*) vocis. Petri interpreti; (*Relat.*
» *concil. Chalced. ad Leon.*) Apostolicorum dogmatum
» defensori; (*libel. Synod. c.* 89.) Apostolis coæquando;
» (*Idem. c.*94.) Angelis æquali; (*Prat. spirit. c.* 149)
» cujus sententiam quidquid ubiquè Catholicum est, velut
» cœleste oraculum miratur, celebrat, veneratur; (*Adrian.*
» *in concil. Constantinop.*); catholicæ veritatis assertori,
» sed pacifico; (*Epist.* 20. *S. Leon. ad Flavian. c.* 2.
» *Epist.* 69, 89); Ecclesiasticæ pacis amatori, sed intrepido;
» (*Epist.* 78—79—80—81), Evangelicæ legis interpreti,

» sed non ex suo; (*in serm. et alibi passim*) sacerdotalis
» sanctimoniæ præconi, sed non otioso; (*Diss.* 1. *de vitâ*
» *et rebus gestis*) Ecclesiæ Catholicæ doctori, sed traditio-
» nis discipulo; (*Leo. epist.* 134—135; *Simpl. epist. ad*
» *Zenon. Aug.*) canonicæ disciplinæ instauratori sa-
» pientissimo, (*Facund. lib.* 2. *c.* 6.) executori religio-
» sissimo, (*Id. ibid.*) vindici (*Epist. Decret.* 1, 2. *Gelas.*
» *epist. ad Dardan. et Marcian. Aug.*) fortissimo; (*Fa-*
» *cund. lib.* 5.) fideli ac fidenti Ecclesiæ propugnatori;
» (*Facund. lib.* 11. *c.* 15) hæreticorum non ficto aut
» trepido impugnatori; (*Idem ibid.*) cujus pro Catholicâ
» fide sollicitudinem ac diligentiam, laborem et indus-
» triam, libertatem atque constantiam omnis Ecclesia
» prædicare non cessat; (*Id. lib.* 5. *c.* 4.) qui mysterium
» sacrosanctæ Trinitatis contra Priscillianistas; (*Epist.*
» 15 *ad Turrib. et serm. de Pentec.*) Jesu-Christi Incar-
» nationis necessitatem contra Judæos; (*serm. de Nativ.*
» *et Epiph. Dom.*) eamdem cum Patre substantiam
» contra Arianos; (*Ibid. et in epist.*) humanæ proprie-
» tatem Naturæ contra Eutychen; (*Epist.* 24 *ad Flav.*)
» Personæ singularitatem contra Nestorium; (*Epist.* 27,
» 46, etc..., *et in serm. Eulogii*) Ecclesiæ jura ac potes-
» tatem contra Novatianos; (*Epist.* 14. *ad Januar.*
» *et Epist.* 1. *ad Afric.*) corporis mystici unitatem
» contra Donatistas; (*Epist.* 1. *ad Afr. et in sermon.*)
» Gratiæ sanguinis Mediatoris partæ necessitatem ac vir-
» tutem contra Pelagianos Pelagianorumque reliquias;
» (*Epist.* 6. *ad Aquileiens. Episc.*) mysteriorum omnium
» veritatem, dignitatem, sanctitatem contra Manichæos;
» (*Epist.* 4. *ad Episc. Ital. Epist.* 15. *ad Turrib. et*
» *in sermon.*) sincerum religionis cultum contra impios
» et pseudo-christianos, (*in sermon. passim.*) cœlesti
» doctrinâ, pietate singulari, invicto animo, exemplo,

» sermonibus, scriptis ex ipso Apostolorum corde pro-
» latis, (*Hormisd. Epist. ad Cler. et Archimand.* 2 *Sy-*
» *riæ*) Ecclesiæ ad victoriam divinitùs præparatus, (*Al-*
» *locut. concil. Chalced. ad Marcian. Aug.*) è Gallicanæ
» Ecclesiæ sinu ad Petri cathedram quæsitus (*Prosper*
» *in chronico*) explicuit, asseruit, propugnavit. »

EDITIONES PRÆCIPUÆ

Innumeræ prodierunt S. Leonis editiones, in quibus præsertim notandæ:

1.° Quæ an. 1614 et 1618 cum Maximi Taurinensis et S. Petri Chrysologi homiliis excusa est, et annis sequentibus *Lugduni* simùl et *Parisiis* sæpiùs repetita; 2.° quæ an. 1676, 2 vol. in-4°. *Parisiis*, et 1700, 1 vol. in-fol. *Lugduni* à Patre *Quesnello* vulgata est, quanquàm imminuendæ Pontificalis auctoritatis causâ elaborata videatur; 3.° quæ *Romæ* 1733 publicæ fidei commissa est, 2 vol. in-fol., à Patre *Cacciari*, qui etiam an. 1751 edidit excellentes in opera S. Leonis exercitationes in-fol.; 4.° tandem quæ eodem anno *Venetiis* à DD. *Ballarimini* vulgata est.

Inter alias autem semper eminere videtur P. *Quesnelli* editio.

GALLICÆ VERSIONES

Habetur concionum S. Leonis Gallica versio à D. de *Bellegarde*, *Parisiis* an. 1701, in-8°.

§ XXIV.

Sanctus Prosper Aquitanus, circa an. 463.

LATINUS.

De *S. Prospero Aquitano* pauca admodùm narrat historia. Scimus tantummodò illum Rieti in Aquitaniâ natum, nec Episcopali, nec Præsbyterali unquàm fuisse dignitate insignitum : discutiendis nihilominùs theologicis quæstionibus operam dedit, sanctique Augustini doctrinam acerrimè propugnatus est; cui etiam anno 429 epistolam scripsit, ut propositas Massiliensium sacerdotum difficultates, datâ solutione, refelleret. Huic epistolæ, quæ inter Augustini opera fuit excusa, scriptis de *Prædestinatione Sanctorum, et de Perseverantiæ dono* libris B. Doctor respondit. Vitam anno 463, quo adhùc viventem Marcellinus in chronico recenset, consummâsse credendus est.

Omnia ferè ejus opera ad explicandam confirmandamque S. Augustini doctrinam diriguntur : 1.° solutâ oratione, pluribus scriptis, objectiones S. Augustini illatas refellere contendit; 2.° modulatis carminibus, nunc *contra ingratos poëma*, nunc *contra Augustini adversarios epigrammata*, nunc de *ejusdem sententiis versus* composuit, quibus addenda tantùm duo de diversis opera, nempè 1°. *in quinquaginta ultimos Psalmos commentarium*, et 2.° *Chronicon à Labbæo* datum, quodsolum videtur genuinum.

S. Augustini, quem in omnibus imitari contendebat fidelis discipulus, quamdam præ se ferre videtur B. Doctoris effigiem. Brevius tamen dicendi genus, nec splendidis ambitiosum ornamentis, sed firmum aliquid et virile prætendens, de quo ità Gennadius : « Prosper, homo Aquitaniæ » regionis, sermone scholasticus et assertionibus nervosus,

§ XXVI.

Faustus Rietensis, anno circiter 485.

LATINUS.

Faustus, Rietensis Episcopus, circa annum 390 in Britanniâ Majori natus, relictâ forensi gloriâ, in monasterio Lirinensi solitariam vitam amplexus est anno 432. Post S. Maximum Abbas electus, post eumdem Maximum Rietensem Episcopatum, anno 456, suscepit, undè his versibus à Sidonio celebratus est :

« ...... Fuerit quis Maximus ille,
» Urbem tu cujus, monachosque Antistes, et Abbas
» Bis successor agis ? »

Interfuit concilio Romæ sub Hilarii Papæ pontificatu anno 462 celebrato, annoque 481 in exilium missus, in pace tandem Ecclesiæ quievit anno circiter 485.

Inter plura quæ etiam nunc supersunt opera, notanda sunt : 1.° duo de *libero Arbitrio et Gratiâ libri*, ubi à S. Augustini principiis plurimùm declinat ; 2.° *Epistola* ad Lucidum Præsbyterum, qui ejusdem beati doctoris principia ultrà modum, ut videtur extendens, plures propositiones, contrariis omninò reprobatis, subscribere ab Episcopis compulsus est. Habentur præterea una ad Felicem Epistola, duæ ad monachos Orationes, altera Epistola ad Paulinum, et aliæ ad Ruricium quinque, in quibus operibus, sicut et in priùs recensitis ità simplex, facile, clarum astruitur eloquium, ut in eumdem sonum modulanter desinat.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Reperiuntur Fausti Rietensis opera sive in veteri Patrum Bibliothecâ, sive in recentiori *Lugduni* excusâ.

§ XXVII.

Sanctus Sidonius Apollinaris, anno 487.

LATINUS.

Caïus Sollius Sidonius Apollinaris, cujus pater et atavus prima imperii munia in Galliis obierant, Lugduni, circa annum 430, natus est, liberalibusque disciplinis imbutus, versibus et solutâ oratione excellentis ingenii specimen junior adhùc præbuit. Uxorem duxit Papianillam, Aviti illius filiam, qui ex Galliarum præfecto Imperator post Maximum evasit. Obsessâ autem et etiam expugnatâ â Majoriano Lugdunensi civitate, captus in manus adversarii incidit, et ab eo humanè exceptus, ut grati animi testimonium præberet, panegyricâ oratione victorem celebravit.

Sub Anthemio Imperatore, quem etiam laudibus extulerat, Romæ Præfectus primùm, deindè Patricius, mox Deo vocante, omnibus nuntium remisit, ut Ecclesiæ Arvernensis, nunc Claromontanæ dictæ, administrationem susciperet. Agebatur annus 472, cùm Eparchii successor consecratus est. Hinc relictis omnibus mundi dignitatibus, non seculares tantùm ludos sed et innoxium poësis delectamentum posthabere cœpit, ut Theologiæ sacrarumque Scripturarum studio incumberet. Incertâ licèt valetudine, continuos pœnitentiæ labores nunquàm remisit. Tempore

famis præter diœcesanos omnes, 4000 viros aut mulieres miseriâ Arvernam secedere compulsos profusis sustentavit eleemosynis. Cùm urbem obsidentibus Gothis fortiter restitisset, à victoribus aliquandiù expulsus est, sed brevì restitutus. Iterùm exagitatus à duobus pravis sacerdotibus, qui illum à pontificatu simùl et ab urbe dejecerant, iterùmque post annum honorificè revocatus, quievit tandem in pace, anno Christi 487, episcopatûs 15, vitæ autem 56.

Remanent usquè adhùc : 1.° *novem Epistolarum libri*, quæ ferè omnes circa profana versantur argumenta, licèt quædam extrahi possint, quæ ad disciplinam pertineant; 2.° *viginti quatuor carmina*, quibus præsertìm tres Imperatores, Avitum, Majòrianum, et Anthemium, nec ineptè nec inelegànter celebrat.

Ità liberalium artium gloriâ floruit, ut à Claudiano Mammerto vocaretur *disertorum eruditissimus*, *ac veteris eloquentiæ reparator*. Encomio consonant scripta; ingenioso igne scintillant; sale quodam grato condiuntur; raris simùl et jucundis cogitationibus abundant; varietate sermonis stupor cum delectatione injicitur; verè epistolaris dictio, concisa, acuta, pungitiva, descriptionibus præsertìm exornata; subtilior fortè et aliquandò exquisitior, undè obscura sæpiùs et intellectu difficilis; verbis, comparationibus et metaphoris inusitatis ità velut exultat, ut non omnibus semper probandus videatur. Inclinato maximè ad poësim animo, facilia quidem, sed non incude satis retusa profundebat carmina. Severus sui ipsius judex, rejectis quæ claudicantia videbantur opera, illa tantùm, quæ verè credidit posteritati commendanda, emittere curavit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

An. 1609, accurata prodiit Sidonii operum editio cum optimis adnotationibus, studio *Savaronis*, *Parisiis*, in-4°.; plenior autem et cum notis non minùs commendandis Patris *Sirmundi* curâ, an. 1614, in-4°.; quò mortuo, eadem iterùm recusa est, an. 1652, pariter in-4°.

VERSIONES GALLICÆ.

Parisiis epistolæ et carmina Sidonii Gallicæ fidei reddita sunt et excusa, an. 1787, 2 vol. in-8°.

§ XXVIII.

Julianus Pomerius, deficiente seculo quinto.

LATINUS.

Julianus Pomerius, in Mauritaniâ natus, et Sacerdos in Galliis consecratus, circa quinti seculi finem floruisse creditur. Plura scripserat, quorum tres tantùm supersunt *de Vitâ contemplativâ* libri, non verborum majestate, sed cogitationum præstantiâ insignes.

Fœtus ille Juliani Pomerii inter S. Prosperi, cui diù tributus est, opera excusus reperitur.

§ XXIX.

Gennadius, circa annum 493.

LATINUS.

Gennadius, Sacerdos, non autem Episcopus Massiliensis, Semipelagianorum erroribus aliquandiù adhærere incusatus est, quia S. Augustini de Gratiâ et libero arbitrio sen-

tentiam non in omnibus sequebatur. Nec ideò tamen in fide parùm stabilis habendus est, cùm beati Pontificis doctrina non sit necessariò admittenda, nisi in iis quæ tanquàm Catholicæ doctrinæ interpres exposuit. Defunctus perhibetur circa annum 492 vel 493.

Illo auctore habentur: 1°. liber *de Viris Illustribus*, qui post librum *de Scriptoribus ecclesiasticis* apud Hieronymum legitur; 2°. tractatus *de Dogmatibus ecclesiasticis*, qui S. Augustino diù ascriptus inter beati doctoris opera excusus videtur.

CAPUT VI.

De Sanctis Patribus, et Scriptoribus ecclesiasticis sexti Ecclesiæ seculi.

Exhausta, ut ità dicam, præcedenti fæcunditate Ecclesia, et irruentibus undiquè Barbaris continuò vexata, vix hoc seculo unum aut alterum edidit doctorem, quorum operibus possit gloriari.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica sexti Ecclesiæ seculi.

§ I.

Imperatorum Regumque series.

IMPERIUM ORIENTIS.

Anastasius I. octodecim primis hujus seculi annis in imperio perseverat, moriturque anno 518, Catholicis usquè ad finem infensus.

Justinus I, ejus successor, 9 annis rerum summam obtinet, favet Catholicis, annoque 527 morte consummatur.

Justinianus I, juris studio notissimus, sed rebus ecclesiasticis nimiùm implicatus, summorum Pontificum Silverii præsertim et Vigilii persecutor, nec erroris aliquandò immunis, anno imperii 39, Christi autem 565, supremum exhalat spiritum. Multa mala Ecclesiæ simùl et reipublicæ inquieto levique ingenio attulit, imò et nimiâ quâ laboravit avaritiâ.

Justinus II, vel *Junior*, princeps debilis simùl et crudelis, imò et mente aliquandò alienatus, imperium 13 annis fatigat, moriturque anno 578. Illo regnante, *Narses* eunuchus, qui ejus nomine Italiæ rebus præerat, Sophiæ Justini uxoris cavillationibus exagitatus, *Alboinum* ducem Longobardorum vocat, qui, magnâ Italiæ parte occupatâ, novum imperium constituunt.

Tiberius II, post 4 imperii annos populi lacrymis honoratus, decedit è vitâ anno 582.

Mauritius 20 annis imperium exercet, initioque seculi sequentis tumulatur.

ITALIÆ REGES.

Theodoricus 33 annis imperat, vitâque cedit anno 526.

Athalaricus, Theodorici nepos, pravâ institutione corruptus, vix 16 annos natus languore abripitur, anno regni 8, Christi 534, Catholicis quibus faverat desiderandus.

Theodatus, strangulatâ *Amalasontâ* consobrinâ, à Belisario exagitatus, necnon et à suis electo *Vitigete* derelictus, tertio imperii anno, Christi autem 536, vitæ curriculum interemptus claudit.

Vitiges 4 annis regnat, et anno 540, captâ Româ, Constantinopolim à Belisario transfertur.

Theodebaldus anno 540 electus, anno 541 jàm defecerat.

Erarícus eodem anno èt apparet et evanescit.

Totila, qui et *Baduilla*, in solium extollitur, contra Justinianum bellum acerrimè gerit, duabus inclarescit victoriis, captamque Romam militibus vastandam tradit. Victus à Belisario, urbe cedere cogitur; sed, illo recedente, Romam iterùm occupat, regnumque usquè ad annum 552 protendit.

Denique post *Teiam* ultimum Italiæ regem, qui eodem anno jàm evanuerat, *Narses* Justiniani militum in Italiâ Præfectus, per 15 annos Italiæ res administrat, et primus Exarchatûs Ravennensis conditor existit.

Anno 568 *Alboinus*, Longobardorum dux, Italiæ partem invadit, novumque creat imperium, Longobardorum nomine dictum.

LONGOBARDORUM IMPERIUM.

Alboinus ab anno 568 usquè ad annum 573 rerum summâ potitur, necaturque ab *Helmige*, qui ejus uxorem amore prosequebatur.

Clepho ejus vices suscipit, annoque 575 necatur.

Illo defuncto, Longobardi per 10 annos à triginta ducibus gubernantur.

Autharis regis nomen inusitatum diù sibi anno 584 iterùm vindicat, et sceptrum usquè ad annum 590 moderatur, quo veneno conficitur.

Agilulfus totam Italiam, exceptâ Ravennâ, armis subjicit, pluribusque sequentis seculi annis incœptum continuat imperium.

REGNUM GALLICUM.

Clodovæus I, christianam Religionem *S. Clotildis* preci-

bus exemplisque amplexus, usquè ad annum 511 sceptrum obtinet. Quo defuncto, filii regnum dividunt.

Austrasia à *Theodorico* I usquè ad annum 534 occupata, et posthàc à *Theodeberto* primùm filio, deindè autem à *Theodebaldo* nepote administrata, an. 553 à Clotario I, Suessionum rege, invaditur.

Regnum Aurelianense à *Clodomiro* suscipitur, qui anno 526 inter pugnandum occiditur; cujus duobus filiis à Clotario Childebertoque interemptis, cùm tertius *S. Clodoaldus* in monasterium se recepisset, regnum inter duos interfectores dividitur.

Regnum Parisiorum à Childeberto I usque ad annum 558 directum, illo defuncto, à Clotario I iterùm occupatur.

Hinc *Clotarius* I, qui ab anno 511 Suessionum regnum moderabatur, totum imperium ab anno 558 administrat. Illo ad annum 562 defuncto, regnum inter filios iterùm dividitur.

Regnum Parisiorum à Chariberto usquè ad annum 567 occupatum, illo sinè liberis defuncto, transit ad fratres.

Regnum Burgundionum, post *Guntramni* sapientissimam administrationem, à *Theodorico* II, Childeberti II Austrasiæ regis filio et Theodeberti II fratris interfectore, fœdatum, in seculum sequens porrigitur.

Regnum Suessionum à Chilperico I gubernatur, qui, ductâ in matrimonium Fredegunde, occiso Sigiberto I fratre et Austrasiæ rege, à sicario ipse anno 584 perimitur. Ejus successor et ex Fredegunde filius Clotarius II Brunichildem Sigiberti uxorem bello devictam crudeliter interficit. Regni finis ad seculum sequens pertinet.

Regnum Austrasiæ à *Sigiberto* I regitur, qui Brunichildem uxorem accipit, Fredegundi adversam, cujus

insidiis an. 575 occiditur. *Childebertus* II, ejus filius, à Fredegunde devictus, anno 596 vitâ cedit. Ejus vices suscipit *Theodebertus* II, qui non nisi seculo sequenti defunctus est.

Florebant eodem tempore in Persarum imperio *Chosroës* I, cognomine *Magnus*, et *Chosroës* II, à quo *Heraclius* veram crucem recepit.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

Symmachus moritur anno 514.

Hormisdas I Eutychianorum schisma consummat, Manichæos à Româ expellit, Ecclesiamque sapientissimè administrat 9 annis, id est, usquè ad annum 523.

S. Joannes I, à Theodorico legatus Constantinopolim mittitur, à quo, dùm Arianis adversatur, in carcerem dejectus, moritur anno Christi 526, Pontificatûs autem 3.

Felix III Ecclesiam multâ pietate prudentiâque multâ ædificat, quatuorque annorum Pontifex transit ad Deum anno 530.

Bonifacius II, brevì mortuo pseudo-pontifice *Dioscoro*, cathedræ pontificali insidet, annoque 532 viam universæ terræ ingreditur.

Joannes II, cognomine *Mercurius*, approbato hoc loquendi modo : *Unus de Trinitate passus est*, sedem apostolicam post 3 annos cum vitâ relinquit, id est anno 535.

Agapitus, ejus successor, Constantinopolim jubente Theodato deveniens, celebrato concilio, Anthymium ejus urbis Patriarcham synodo Chalcedonensi adversantem deponit, et post decem Pontificatûs menses ibidem, an. 536, moritur.

Silverius, legitimè ad pontificalem dignitatem promotus, à Belisario in exilium mittitur; quo adhùc vivente *Vigilius* contra Canones electus, Silverium ab Imperatore in sedem remissum in insulam Palmariam transferri jubet, ubi fame conficitur anno 538.

Vigilii electio illegitima, mortuo legitimo Pontifice, confirmatur; vix sede pontificali potitus erat, cùm Anthymio particulares misit epistolas errori Eutychiano faventes; publicè verò semper catholicam professus est fidem. Anthymium, quem restituere promiserat, ità intra ipsius Constantinopolis mœnia restituere recusavit, ut fune per vias tractus, in carceremque conjectus immobilis permaneret. Nec minùs intrepidè gessit in *trium Capitulorum* quæstione, quæ à Justiniano damnata illi damnanda proponebantur. Damnationi enim eorum non acquievit, nisi post convocatum Concilium Constantinopolitanum II, generale V, cui adesse quidem noluit, sed posteà, dato proprio *judicato*, auctoritatis apostolicæ sigillum incussit. Tantis laboribus ille prioris agendi rationis labem extersisse credendus est. Cessit è vitâ Syracusæ in Siciliâ, juxta quosdam ingravescente calculo, juxtà alios autem consumente veneno, anno Christi 555, Pontificatûs autem 18.

Pelagius I, summus Pontifex electus, sed propter *Vigilii* necis suspicionem invisus, solemni juramento se à crimine prorsùs alienum testatur, Ecclesiamque fidei integritate, virtutumque exemplo corroborat. Moritur anno 560.

Joannes III, cognomine *Catelinus*, tertio decimo pontificatûs anno, Christi 573, meliorem vitam ingreditur.

Benedictus I, dictus *Bonosus*, post aliquot mensium vacationem electus, 4 annis Ecclesiæ gubernaculum dirigit, annoque 578 supremum exhalat spiritum.

§ IV.

Concilia generalia sexti Ecclesiæ seculi.

Anno 553 celebratur Concilium Constantinopolitanum II, generale V, ubi aderant 151 Episcopi, Vigilio summo Pontifice, qui assistere quidem recusavit, sed ab Episcopis acta deindè comprobavit. Causa illius congregandi duplex, nempè: 1.° *trium Capitulorum*, quibus acerrimè adversabatur Justinianus, damnatio; 2.° quatuor primorum Conciliorum generalium, et præsertim Chalcedonensis ab *Acephalis* adhùc impugnati solemnis confirmatio.

ARTICULUS II.

De vitâ et scriptis S. Patrum sexti Ecclesiæ seculi.

Sanctus Fulgentius et *S. Gregorius Turonensis* soli hujus seculi densissimas tenebras paulisper discutere visi sunt.

§ I.

Sanctus Fulgentius, an. 529 *vel* 533.

LATINUS.

Sanctus Fulgentius, Teleptæ in provinciæ Bizacenæ civitate, Gordiano Carthaginiensi senatore atavo, Claudio autem patre, et matre Mariannâ natus est anno 468, et humanioribus disciplinis ità informatus, ut linguam etiam Græcam apprimè calleret. Provinciæ procurator

factus, cùm necessarias hujus officii exactiones ægrè ferret, quod animo dudùm volvebat relinquendi mundi, amplectandæque religionis propositum sancto Pontifici Fausto comprobandum subjecit; comprobatumque, flente incassùm et exprobrante matre, consummavit. Fausti aliquandò discipulus, sed ab ejus doctrinâ persecutionum furore brevì avulsus; in aliud se recepit monasterium, ubi à Felice Abbate in collegæ locum susceptus est. Dissipatis autem, dùm Mauri incurrunt, hujus monasterii incolis, Sicceam regionem tutosque recessus quærere decreverunt, sed ab Ariano sacerdote capti, et in carcerem detrusi, et verberibus afflicti, non nisi dilaniatis membris in libertatem exierunt.

Hinc Ægyptum petere contendit Fulgentius, ut monachorum exemplo proficeret; sed exhortante Episcopo Syracusanorum Eulalio, ab itinere ideò prohibetur, quòd Orientis monachi communioni Romanæ alieni haberentur; consilioque accepto ab Africæ Episcopo in Siciliâ degente, visitatis Romæ Apostolorum liminibus, patriam remeavit; ubi et construxit monasterium.

Africæ tunc præerat Thrasimundus, rex Vandalorum, qui Arianus Catholicisque infensus, ne Catholici Episcopi decedentium loco substituerentur, datâ lege, prohibuerat. Cùm verò Africani Episcopi, invito principe, Episcopos, ut par erat, constituere decrevissent, non persecutionis, sed officii metu perculsus delituit Fulgentius, quoadusquè omnes consecrarentur Episcopi. Vix autem ex latebris exierat, cùm, vacante Ruspensi Episcopatu, Pontificali dignitate frustrà reluctans decoratus est anno 508.

Nihil autem in habitu, nihil in victu immutatum; idem in oratione; idem in abstinentiis; idem in monachorum amore; idem in solitudinis desiderio, cui totum à sacerdotalibus officiis vacuum tempus impendere gaudebat.

In insulam Sardiniam cum cæteris omnibus Catholicis Africæ Episcopis relegatus, junior licèt, ducis tamen instar habebatur; ipsi consilia proponere; ipsi proposita confirmare; ipsi confirmata scribere datum. Quem cùm famâ conspicuum videre et audire optaret Thrasimundus, Carthaginem accersitum, propositis pluribus intricatis difficultatibus, tentavit; quas ità, auscultante rege, solvere invaluit, ut à laudibus ipse temperare non posset, veritusque Arianus Episcopus, ne omnes abirent Ariani, ejus ab urbe discessionem efflagitaret.

Post defunctum anno 522 Thrasimundum, revocante Hilderico filio, cum cæteris Catholicis Episcopis in suam redux Ecclesiam Fulgentius, moderando Clero regendisque populis, virtutum ipse omnium humilitatisque præsertim exemplar usquè ad mortem incubuit, quæ accidit ultimo die anni 533. Undè vitam per 65 circiter, Episcopatum verò per 25 annos exegit.

Omnia ejus opera circa grassantes hoc temporis errores versantur, quorum præcipua sunt : 1.° plures ad stabilienda dogmata tractatus, quales libri ad *Thrasimundum, ad Monimam, ad Donatum de fide, ad Victorem de divinitate Verbi, ad Petrum rursùs de fide, ad Felicem de Trinitate, contra Pintam, contra Fabianum de Remissione peccatorum, de Prædestinatione et de Gratiâ* juxta S. Augustini doctrinam, cujus quidem posterioris tractatûs detracta quædam testimonia in errorum suorum confirmationem malè interpretando vertere frustra tentaverunt Jansenii subtiliores discipuli; 2.° plures etiam *Epistolæ*, quæ librorum instar haberi possunt, in quibus de moralibus præsertim disserit; 3.° responsiones nonnullæ vel ad Arianorum objectiones, vel ad quæstiones Catholicorum; 4.° deniquè decem tantummodò sermones nec Fulgentio digni, nec omnes etiam tribuendi Fulgentio.

Augustini doctrinæ æmulator Fulgentius dictionem ipsam imitari conatus est, non ità nitidus scribendo, sed ludentium inter se verborum parcior. Subtilis ingenio, facilè concepta faciliùs explicat, sed fortè diffusiùs, eadem sæpiùs variis revoluta modis usquè ad satietatem ingerens. Curiosior etiam in effodiendis abstrusarum quæstionum latebris, mysticisque in interpretationibus frequentior; sacræ autem peritissimus Scripturæ, sanctorumque Doctorum ac maximè Augustini operibus perlegendis assiduus.

EDITIONES LATINÆ.

Præcipua est illa Fulgentii editio quæ anno 1684 *Parisiis* apud *Desprez* excusa est. (1 vol. in 4°.)

§ II.

Sanctus Gregorius Turonensis, anno 595.

LATINUS.

Sanctus Gregorius Turonensis, illustri familiâ in Arverniâ natus anno 544, disciplinarum simùl et virtutum studio addictus est à Gallo avunculo, qui Claromontanum Episcopatum exercebat. Turonensis Episcopus anno 573 consecratus, plurimis interfuit conciliis, fortiterque sæpiùs egit, præsertim contra Chilpericum et Fredegundem, quibus non semel crimina exprobare palàm ausus est. Romam paulò ante obitum invisit, ubi à Gregorio Magno benè exceptus, anno 595, quinquagesimum primum annum agens, in pace defunctus est.

Duo tantùm Gregorii Turonensis opera supersunt, nempè: 1.° *Gallicana Historia* ab origine religionis tem-

Tiberium III et Constantem II, anteà sibi asciscere coactus.

Tiberius III, paucis diebus, eodem anno cum Heracleonâ imperium partitur.

Constans II, Heraclii Constantini filius, regnum agit usquè ad annum 668, famosumque sibi crudelitate et impietate nomen comparat.

Constantinus III, cognomine *Pogonatus*, pace cum Barbaris post gloriosum bellum gloriosè compositâ, sexto Concilio generali, quod convocari curaverat, adest, imperiumque administrat usquè ad annum 685. Ipso regnante, inventus est à Callinico ignis ille, quo infidelium naves ipso in mari comburebantur.

Justinianus II, cognomine *Rhinotmetes* seu *nasus sectus*, crudelitate insignis, cùm unâ nocte omnem Constantinopolitanum populum cum Patriarchâ gladio cædi jussisset, à Patricio *Leontio*, commotâ ad seditionem plebe, dejicitur, resectoque naso mittitur in exilium anno 695.

Leontius ad imperatoriam sedem extollitur, et regnat usquè ad annum 698, quo, captâ à Barbaris Carthagine, *Absimarius Tiberius* à devicto, quem reducebat, exercitû Imperator proclamatus, illum, resecto iterùm naso, in monasterium detrusit.

Absimarius Tiberius 7 annis rerum summâ potitur; sequenti seculo, ut dicetur infrà, perimitur.

LONGOBARDORUM IMPERIUM.

Agilulfus decedit è vitâ anno Christi 615, regni autem 25, liberalitate erga pauperes et Ecclesias commendandus.

Adaloaldus, ejus successor, regno usquè ad annum 626 potitus, ab Arioaldo expulsus primùm, veneno deinceps conficitur.

Arioaldus, Arianus, 11 annis rerum summam obtinet, defunctus anno 636 absquè liberis.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica septimi Ecclesiæ seculi.

§ I.

Imperatorum Regumque series.

IMPERIUM ORIENTIS.

Mauritius, obtruncatis ob oculos filiis, ipse à Phocâ jugulatur, anno 602.

Phocas subditos sibi populos tyrannicis exagitans modis ab Heraclio dejicitur, amputatisque cervicibus, scelerum pœnam exsolvit anno Christi 610, regni 8.

Heraclius Chosroam II regem Persarum debellat, veræque Crucis lignum ab impio principe sublatum, et feliciter recuperatum propriis humeris, regalibus insignibus exutus, ferre gloriatur; undè *Exaltationis sanctæ Crucis* festum 14 die Septembris ab Ecclesiâ Græcâ simùl et Latinâ celebratur. Posteà verò à Monothelitis deceptus edictum *Ectesim* dictum vulgavit, quod anno 640 à Joanne IV, Pontifice maximo, damnatum est; culpam confessus Imperator, inter Saracenorum Ægyptum Syriamque invadentium insultus, post 30 regni annos, anno scilicèt Christi 641, hydropisiâ correptus interiit.

Heraclius Constantinus, ejus filius, tribus tantùm mensibus regnat, eodemque anno moritur.

Heracleonas, ejus frater, quocum juxta ultimas Heraclii voluntates imperium partitus fuerat, 7 mensibus eodem anno regnat, et resecto naso, in exilium amandatur,

REGNUM BURGUNDIÆ ET NEUSTRIÆ.

Clodovæus II, Burgundiam Neustriamque suscipit imperio administrandam.

Mortuo Sigiberto II, et Dagoberto ejus filio, cujus locum invadere tentaverat Grimoaldus, Palatii Magister, Austrasiam imperio adjungit. Hinc

REGNUM AUSTRASIÆ.

Dagobertus II, Austrasiæ præest, usque ad annum 656.

Sigibertus II, Sigiberti filius, è solio dejicitur à Grimoaldo, Pippini filio, Prætorii Præposito, qui proprium intrudere audet filium. Quo ab Austrasianis occiso increbrescente mortui Dagoberti famâ, hæreditaria suscipitur à *Clodovæo* auctoritas. Hinc

Clodovæus II solus regnat, eodemque anno 656 vitam cum regno deserit. Tres reliquerat filios, sed posthabito Theodorico juniore, qui adhùc in cunabulis versabatur, in duas partes iterùm scinditur regnum.

REGNUM BURGUNDIÆ ET NEUSTRIÆ.

Clotarius III, supremam exercet auctoritatem usquè ad annum 668. Cujus mortui colligitur à Childerico II hæreditas. Undè

REGNUM AUSTRASIÆ

Childericus II Clotarii hæreditatem anno 668 suscepto anteà regno adjungit. Undè

Childericus II solus imperium moderatur usquè ad annum 673, quo à Bodillone quem indignis affecerat suppliciis interficitur. Ab hoc tempore resumitur à Magnatibus jus electionis anteà desuetum, duoque eliguntur reges.

REGNUM BURGUNDIÆ ET NEUSTRIÆ.

Theodoricus III, Clodovæi II tertius filius, qui nullam priùs ex hæreditate paternâ susceperat partem, vocatur ad Burgundiæ regnum. Bellum gerit contra Pippinum Heristalium, Austrasiæ Ducem; qui, reportatâ victoriâ, sub Prætorii Præfecti nomine, totam auctoritatem exercet, ab anno circiter 690.

Curante *Pippino Heristalio*, successivè eliguntur:

Clodovæus III, *Theodorici* filius qui regiæ dignitatis umbram servat usquè ad an. 696.

Childebertus III, præcedentis frater, mortem obit anno 711.

REGNUM AUSTRASIÆ.

Dagobertus II, Sigiberti II filius, cujus mortui fama aliquandiù invaluerat, in patriam redux in regem eligitur. Jubente crudeli *Ebroino*, Prætorii Præfecto, occiditur, anno 679.

Pipinus Heristalius, Dux Austrasiæ eligitur, Theodoricique III aggressionem repellere coactus, relatâ victoriâ, Austrasiam propriâ auctoritate, Burgundiam verò et Neustriam cum Prætorii Præfecti titulo, relictâ tantùm Merovingianis regiæ dignitatis umbrâ, summâ potestate moderatur. Moritur anno 714.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

S. Gregorius Magnus gloriosum Pontificatum consummat anno Christi 604, Apostolatûs autem ferè 14.

Sabinianus virtutibus prædecessorem æmulatur, duo-

busque tantùm annis Episcopatûs apicem tenet, defunctus anno 606. Illi à quibusdam primus campanarum usus tribuitur.

Bonifacius III statim post annum moritur, anno videlicet 607.

Bonifacius IV apostolicum ministerium implet per 6 annos, id est usque ad annum 615. Ab ipso primùm dedicatum est templum, quod dicebatur *Pantheon.*

S. Deus-dedit Romanam sedem occupat usquè ad annum 618, quo virtutibus clarus migrat ad cœlum.

Bonifacius V, ejus successor, anno Christi 625, Pontificatûs 7, Deo restituitur.

Honorius I à Sergio Constantinopolitano Patriarchâ, qui Monothelitarum partes propugnabat, deceptus, epistolam particularem ad eum scribit, quâ illorum hæreticorum erroribus favere videtur. Illa tamen epistola benignè interpretari potest, nec ad totam Ecclesiam, sed ad solum Sergium dirigitur, undè nihil argui potest sivè contra infallibilitatem Ecclesiæ in factis dogmaticis, sivè contra summi Pontificis è cathedrâ docentis auctoritatem. Mortem subit anno 638.

Vacat uno anno et septem mensibus Sancta Sedes.

Severinus, anno 640 consecratus, Monothelitas damnat, secundoque Pontificatûs mense spiritum Domino reddit.

Joannes IV in Monothelitarum damnatione perseverat, edictumque *Heraclii*, quod Ectesis vocatur, apostolicâ auctoritate reprobat, utpotè quod hæreticorum saperet errores. Anno 642 jam morte fuerat abreptus.

Theodorus I *Pyrrhum Paulumque* Constantinopolitanos Patriarchas anathemate percellit, et sententiam Christi sanguine consignat. Primus omnium ab Episcopis *frater*

vocari desinit, *Summique Pontificis* nomine decoratur. Mors ejus incidit in annum 649.

S. Martinus I Monothelitas prædecessorum exemplo persequitur, sextoque Pontificatûs annô, Christi 655, in cœlum coronandus evolat.

S. Eugenius I fidem auctoritate virtutemque exemplo persuadet, annoque 657 jam cœlo maturus Beatorum palmâ donatur.

Vitalianus in Angliam præsbyteros mittit, *Organorum* usum in ecclesiis approbat, Sanctorumque morte remuneratur anno 672.

Adeodatus 4 annis Ecclesiam sapienter administrat, vitamque consummat anno 676. Primus omnium hanc in epistolis dicendi formam adhibuit: *Salutem et Apostolicam Benedictionem*.

Donus, vel *Domnus*, post 2 annos, anno scilicet 678, ad Deum revocatur.

S. Agatho concilio Constantinopolitano III, generali VI, per Legatos præsidet, epistolamque ad Constantinum Pogonatum scribit, quâ Ecclesiæ Romanæ matris magistræque, cujus primatus à S. Petro procedit, auctoritatem exaltat; quâ in concilio generali perlectâ, acclamaverunt Patres: *Petrus per Agathonem locutus est.* Mortuus est anno 682.

S. Leo II Monothelitarum damnationem iterùm confirmat, Honoriique nimiam indulgentiam reprehendit. Ab illo instituta feruntur tùm *osculum pacis* intra missam, tùm aquæ benedictæ in populum aspersio. Anno 683 æternam gloriam adeptus est.

Benedictus II pedum pastorale usquè ad annum 685 moderatur.

Joannes V sanctitate dignus, qui apostolicæ cathedræ insideret, statim anno 686 mortem obit.

Cono, posthabitis *Petro* et *Theodoro* pseudo-pontificibus, apostolicum suscipit ministerium, quo, morte intercedente, orbatur anno 687.

S. Sergius, submissis invitè *Paschatio*, voluntariè autem *Theodoro*, illegitimis Pontificibus, sedi apostolicæ imponitur. Concilium quod *in Trullo*, seu *Quini-sextum* dicitur, approbare recusat, quia nec à Romano Pontifice convocatum fuerat, nec Romano Pontifice per se aut per Legatos præsidente habitum : undè *Justiniano juniori* invisus evadit. Illo jubente tùm primùm in missâ cantatus est versus : *Agnus Dei*. Initio seculi sequentis Sanctorum præmium morte consecutus est.

§ VI.

Ecclesiæ Adversarii in septimo Ecclesiæ seculo.

Monothelitæ et *Pauliciani* Ecclesiæ pacem hoc seculo inverterunt :

1°. *Monothelitæ*, sic à Græco sermone, qui unam voluntatem exprimit, nuncupati, quia unam in Christo Voluntatem Operationemque, nempè divinam, admittebant, antecedentibus *Sergio* Patriarchâ Constantinopolitano, et *Cyro* Alexandrino Patriarchâ, protegentibus autem *Pyrrho*, *Paulo* et *Petro*, qui post *Sergium* Constantinopolitanam sedem obtinuerunt, insuper et *Macario* Antiochensi Patriarchâ, plurimùm invaluerunt. Præcipuè Monothelitis obstiterunt S. Joannes Eleemosynarius, Sophronius Hierosolymitanus, Arcadius Cyprensis, et S. Maximus Abbas, qui et pro fidei defensione Martyrium subire promeruit. A Severino, Joanne IV, Theodoro I, S. Martino I, et Agathone damnati, in concilio generali VI iterùm anathemate percussi sunt.

2°. *Pauliciani* nihil aliud erant, quàm, mutato nomine, additisque novis deliramentis *Manichæi*; prodierunt anno circiter 653, duce *Paulo Samosateno*, in Armeniâ. Omnibus licèt flagitiis infames, plurimos post se, potentibus excitatis partibus, discipulos traxerunt.

3°. Hoc eodem seculo, impius *Mahumetus*, natione Cyrenæus, à Sergio, ut creditur, Nestoriano monacho adjutus, Mahumetanorum sectam, commixtis simul et Judaïcis dogmatibus, et veritatibus Christianis, et veterum hæreseon deliramentis, et novis etiam insaniis, excogitavit. Nemo nescit quantùm armorum vi ridicula ista invaluerit secta, sic permittente Deo propter Christianorum maximè Orientalium crimina, qui *patrum suorum mensuram impleverant.*

§ IV.

Concilia generalia septimi Ecclesiæ seculi.

Annis 680 et 681 habetur concilium Constantinopolitanum III, generale VI, cui aderant duo Patriarchæ, Constantinopolitanus scilicet et Antiochensis, 160 Episcopi, et ipse *Constantinus Pogonatus* Imperator, ad compescendam seditiosorum audaciam. S. Agatho illi per Legatos præfuit. Damnati sunt Monothelitarum errores, duæque in Christo Voluntates agnitæ, divina scilicet et humana, totidemque Operationes quot Naturæ. *Sergius*, *Pyrrhus*, *Paulus* et *Macarius*, eorumque sectatores ab Ecclesiæ communione ejecti sunt.

ARTICULUS II.

De vitâ et scriptis sanctorum Patrum septimi Ecclesiæ seculi.

Hic de *S. Joanne Climaco*, *S. Gregorio Magno*, *S. Isidoro Hispalensi* latinis, et S. *Maximo* Græco dicendum occurrit.

§ I.

Sanctus Joannes Climacus, circa annum 600.

GRÆCUS.

Joannes, cognomento *Scholasticus*, ut vocatur in titulo vitæ à Daniele monacho scriptæ, notior est nomine *Climaci*, quod accepit ab edito opere cui titulus Κλιμαξ, sivè *Scala Paradisi*. Quanquàm omni humaniore doctrinâ imbutus esset, tamen annos natus undeviginti asceticam vitam prætulit, atque inter monachos velut rudis atque illiteratus vixit per annos quadraginta. Hinc Abbas montis Sinæ constitutus, in summâ pietatis laude, admodùm senex, seculo septimo incipiente, obiit, successore in Abbatiâ relicto Georgio fratre, qui decimo post eum mense similiter est defunctus. De anno obitûs non planè constat, licèt circa annum 580 scripsisse *Labbæo Pagioque* assentiar. Memoriam ejus Græca et Latina recolit Ecclesia trigesimâ die martii.

Scala autem Climaci quam postulante Joanne Raïthensi Abbate scripsit, triginta gradibus constituitur, quorum primus est de abrenuntiatione mundi, secundus de abjiciendis mundanis affectibus, tertius de peregrinatione vel secessu extra mundum; quartus de obedientiâ; quintus de pœnitentiâ; sextus de meditatione mortis; septimus de

dolore pœnitentiæ et lacrymarum necessitate; octavus de mansuetudine; nonus de injuriarum condonatione; decimus contra linguas maledicas temerariaque judicia; undecimus de silentio; duodecimus de vitando mendacio; decimus tertius de invidiâ pigritiâque fugiendis; decimus quartus adversùs intemperantiam; decimus quintus de castitatis excellentiâ; decimus sextus contra avaritiam; decimus septimus de tepore; decimus octavus de somno inter orandum obrepente; decimus nonus de corporali spiritalique vigilantiâ; vigesimus contra falsas vanitates; vigesimus primus de vanâ gloriâ; vigesimus secundus de funestis superbiæ effectibus; vigesimus tertius de blasphemiarum tentationibus; vigesimus quartus de simplicitate; vigesimus quintus de humilitate; vigesimus sextus de discretione virtutum et vitiorum; vigesimus septimus de sacrâ solitudinis quiete et eremiticæ vitæ laudibus; vigesimus octavus de necessitate orationis; vigesimus nonus de tranquillitate mentis à cupiditatibus liberæ; trigesimus deniquè de fide, spe, et caritate, quibus adjuncta est epistola ad Abbatem Raïthensem de Abbatis dotibus et officiis.

Ea autem est S. Joannis Climaci supra cæteros *asceticos* auctores gloria, quòd non depressas nimìs, nec nimìs vacuas, nec etiam interdiù veritate destitutas cogitationes proferat. Concisus et elegans in dicendo, plura paucis verbis complectitur, frequentesque sententias ità figuris involvit, ità allusionibus obnubilat, ità Scripturæ sacræ onerat testimoniis, ità veteris Testamenti allegoriis, nec non et parabolis, et exemplis, et historiis implicat, ut subobscurus aliquandò explicatione indigeat. Hinc facti circa Scalam plures commentarii, maximè à *Joanne* Raïthensi Abbate, ab *Eliâ* Metropolitâ Cretæ, et à Carthusiano *Dyonisio*.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Scala Climaci excusa est :

Latinè, sivè in antiquioribus Bibliothecæ Patrum editionibus, sivè separatim anno 1601, curante *Mich. Isseltio Amerfortio* (in-8°.), sivè cum Sophronii *Prato Spirituali* et Petri Venerabilis libris duobus de miraculis anno 1624, *Coloniæ* (in-8°)

Græcè autem et *latinè*, studio *Raderi* è Societate Jesu Præsbyteri, typis luculentis, *Parisiis*, anno 1623 (in-fol.);

VERSIONES GALLICÆ.

An. 1634 prælo subjecta est *Parisiis*, vertente *Arnaldo d'Andilly*, in-12, qui doctis Climacum etiam notis illustravit in alterâ editione, ibid. 1661 et 1668, in-12.

§ II.

Sanctus Gregorius Magnus, anno 604.

LATINUS.

Sanctus Gregorius, cognomento *Magnus*, Romæ illustri prosapiâ ortus est, circa annum 540. Gordianum senatorem et Sylviam Sanctis posteà ascriptam, parentes habuit, atque inter atavos Felicem Papam III, cujus neptes Tarsilla et Emiliana locum etiam inter Sanctas meritæ sunt, numerare gloriabatur. Romæ jam à primis inclaruit disciplinis, crescentibusque in dies ingenii dotibus, ad urbis Præfecturam evectus, primo illo civili munere decoratus est. Dilatâ diù vitæ perfectâ emendatione, tandem patre orbatus, divitiisque potitus hæreditariis, sex in Siciliâ septimumque Romæ in suâ ipsius

domo monasteria condidit, abdicatisque mundi vanis dignitatibus, in solitudinem secedens, Hilarionis primùm ductu, et deindè Maximiani monasticam vitam professus est.

Cùm autem ità jejuniis sacrorumque librorum studio indulsisset, ut, debilitato stomacho, deficientes vires frequentiori cibo sustentare cogeretur, Eleutheri cujusdam sanctissimi viri precibus obtinuit, ut crudis tantùm leguminibus uti valeret. S. Andreæ monasterio primùm præpositus, sed salvandorum Britannorum desiderio flagrans, in Angliam ad infideles populos deputatur; medio autem itinere plebis Romanæ votis interceptus revocatusque, unus è septem Romanæ Ecclesiæ Diaconis à Benedicto Bonoso Papâ ordinatur. Quo munere sanctissimè aliquandò functus, non multò post à Pelagio II Constantinopolim missus est, ut Apocrisarii sivè Nuntii Apostolici officium apud Tiberium Imperatorem adimpleret.

Defuncto circa an. 586 Tiberio, Romam remeavit, ubi Pelagium in ecclesiasticis rebus haud imperitus scriba adjuvit, ejusdemque contagione perempti successor unanimi Cleri populique consensu electus est; quod præsentiens Gregorius non solùm ad Mauritium Imperatorem detrectatorias Pontificatûs epistolas conscripsit, sed in sportâ latitans, vigilesque custodum oculos piâ fraude deludens, altos sylvæ speluncæque recessus ab urbe fugitivus petiit. Brevì autem deprehensus, tertiâ die septembris anni 590, Pontifex consecratus est, et Apostolicæ Cathedræ impositus.

Hæc autem in ejus Episcopatu maximè notanda occurrunt: 1.° quòd Orientalibus Patriarchis Patriarchæ Œcumenici titulum ambientibus fortiter obsistens, primus tamen ipse *servus servorum* Dei dici non sustinuerit modò, sed etiam instituerit; 2°. quòd exorta trium Capitulorum occasione dissidia compescere fuerit conatus; 3.° quòd

GALLICÆ VERSIONES.

1.° *Moralia* S. Gregorii gallicæ fidei reddita lucem viderunt annis 1666, 1667 et 1669 (3 vol. in-4°.)

2.° *Dialogi* gallicè interpretati tùm à T. D. B. 1601, tùm à *Mich. Coyssard* 1616 *Lugduni*, tùm *Parisiis* 1624 à D. *Simone Mileto*, Benedictino.

3.° *Epistolæ delectæ* gallicè prodierunt *Parisiis* 1676, in-12.

4.° *Homiliæ in Evangelia*, eâdem linguâ prælo subjectæ sunt *Parisiis* 1665, in-4°.

5.° *Homiliæ in Ezechielem*, à D. *Leclerc* versæ, pariter habentur *Parisiis* 1747, in-12.

§ III.

Sanctus Isidorus Hispalensis, anno 636.

LATINUS.

Sanctus Isidorus, Severiani filius, Theodorici autem Italiæ regis nepos, Hispalensis, quâ natus fuerat, civitatis Episcopatum post sanctum Leandrum fratrem circa an. 595 suscepit. Concilium an. 623 congregavit, mortemque obiit anno 636, post gubernatam 40 annis Ecclesiam.

Præcipua ejus opera sunt : 1.° quidam de variis artibus aut scientiis tractatus; 2.° in Scripturam sacram *Prolegomena* et *Commentarii*; 3.° *Historici Libri*, qui chronicon universale usquè ad Heraclium, Gothorum, Vandalorum et Suevorum historiam, nec non et tractatum de scriptoribus ecclesiasticis continent; 4.° *dogmatici duo contra Judæos Tractatus*; 5.° circa disciplinam liber *de*

Officiis; 6.° nonnullæ *Epistolæ;* 7.° deniquè *Opuscula* quædam *Moralia*.

Optandum quidem foret, ut assiduæ lectioni sublimius accessisset ingenium; simplicitate dictio, non eloquentiâ commendatur. In afferendis propriis cogitationibus sæpiùs errans, in deligendis alienis parùm solers, res transeundo potiùs delibare, quàm incumbendo exhaurire dicendus est. Ità nihilominùs, illâ quâ vivebat ætate, scientiâ emicuit, ut tanquàm oraculum haberetur et prodigium, maximisque laudibus à concilio Toletano VIII, sic ornaretur : « Nostri quoquè seculi doctor egregius Isidorus, » Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus, præcedentibus » ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, » et, quod majus est, in seculorum fine doctissimus, » atque cum reverentiâ nominandus. » Braulio autem Cæsaraugustanus Episcopus : « Isidorus, inquit, vir egre- » gius, Hispalensis Episcopus, Leandri Episcopi successor » et germanus........, vir in omni locutionis genere for- » matus, ut imperito doctoque secundùm qualitatem ser- » monis existeret aptus, congruâ verò opportunitate loci, » incomparabili eloquentiâ clarus. Jam verò quantus sa- » pientiâ fuerit ex ejus diversis studiis et elaboratis opus- » culis perfacilè prudens lector intelligere poterit........, » Quo verò flumine eloquentiæ, et quot jaculis divinarum » Scripturarum seu Patrum testimoniis Acephalitarum » hæresim confoderit, synodalia gesta coram eo Hispali » acta declarant. (*Prænot. libr. Isid. à Braul. Cæsaraug. Episcop.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Inter omnes S. Isidori editiónes, illa primum locum occupat, quæ anno 1601, curante D. *Dubreuil*, Bene-

» ad compositionem cessationesque) suâ in oratione sec-
» tatus, ne auditu quidem esse jucundus studet. Verbo-
» rum insuper translatio, nequaquàm ad gratiam colli-
» gendam lectoremque pelliciendum floridè composita
» est, sed simpliciter atque incuriosè assumitur. Idem
» præetereà sui studiosos propemodùm obtundit : adeò
» procul à litterâ et notâ historiâ, sivè potiùs ab eo ipso
» quod petitum erat solutiones ipsius recedunt. Tantùm
» si cui fortè gratum anagogicis ac contemplationibus
» mentem implicare, nunquàm is sanè reperiet hisce aut
» magis varia, aut diligentiùs elaborata. Etenim cùm
» aliorum colligit sententias in dubiis quibusdam pronun-
» tiatas, tùm et adjicit, quæ ipsius diligentiâ nihil his
» minorem, si non majorem, præferunt venustatem atque
» solertiam. Ubiquè autem viri pietas germanumque
» Christi desiderium elucet. » (*Bibl. Cod.* 192.)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Pleraque S. Maximi opera prodierunt, curante patre *Combefisio*; Græcè et Latinè *Parisiis*, anno 1675, excusa, (2 vol.)

CAPUT VIII.

De sanctis Patribus et Ecclesiasticis Scriptoribus octavi Ecclesiæ seculi.

Pauci iterùm hoc seculo Scriptores enituerunt, quos antequàm referamus, duobus ut suprà tabellis, præcipua orbis utriusque regna, lectoris oculis subjiciemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica octavi Ecclesiæ seculi.

§ I.

Regum Imperatorumque series.

IMPERIUM ORIENTIS.

Absimarius Tiberius, qui *Leontii* locum anno 698 occupaverat, anno 705 à Justiniano II expellitur, qui amisso ità restituitur solio, quo usquè ad annum 711 fruitur.

Philippicus Bardanès, ejus successor, anno 713 deponitur, utpotè qui *Monothelitis* faveret.

Anastasius II collatam à populo purpuram anno 716 abjicit, ut monasticum habitum induat.

Theodosius II, à rebelli Anastasii exercitu solio invitus imponitur, quod *Leoni* III, aliter *Isaurico*, anno 717 concedit, in Ephesi monasterium se recipiens.

Leo III, *Isauricus*, bellum Imaginibus Sanctorum intentat, pluresque doctissimos Christianos, incensâ 30,000 voluminum bibliothecâ comburit. A Gregorio II et Gregorio III ecclesiasticis percellitur fulminibus, moriturque anno 24 regni, Christi vero 741.

Constantinus Copronymus prædecessoris insistit vestigiis, fideique Catholicæ persecutor anno 775 è vitâ decedit.

Leo IV, cognomine *Chazarus*, Copronymi filius, Catholicis primùm favere videtur, sed posteà illudit pariter et Imagines venerantibus, et Imagines comminuentibus, Quinto regni anno, Christi 780 defunctus tumulatur,

Hinc dividitur inter filios potestas : Austrasiæ Ducatus *Carlomano*, natu majori, datur; *Pippinus* verò, cognomine *Brevis*, Prætorii Præfectus cùm summâ auctoritate creatur. Eligitur tamen *Childericus III*, filius Chilperici II, qui vix regis speciem exhibet. Quæritur à S. Zachariâ, summo Pontifice, utrùm, propter regni necessitatem, et Regis eligendi consuetudinem, liceret inani regi regem administrandi capacem substituere : quo affirmante, depositus anno 750 Childericus, in monasterium detruditur, *Pippinus*que ad regnum evehitur.

Hinc extinctâ *Merovingianorum* stirpe, *Pippinus*, secundæ regum Gallorum propaginis, id est *Carlovingianorum* caput, regnum sibi vindicat, occupatumque Exarchatum Ravennensem Ecclesiæ Romanæ concedit.

Mortuo Pippino Brevi, regnum dividitur inter *Carolum Magnum* et *Carlomanum*. Carlomanus Austrasiæ et Burgundiæ præest usquè ad annum 771, quo defuncto, tota in Carolum magnum colligitur auctoritas.

Carolus Magnus, *Pippini* filius, gloriosum quadraginta sex annorum inchoat regnum, Imperiumque Occidentale ruinis diù sepultum resuscitat. Ecclesiæ favens, Romam summo Pontifici regendam præbet, Exarchatûs Ravennensis donum confirmat, annoque 800 à *Leone III* Imperator Occidentis coronatur.

§ II.

Summorum Pontificum Successio.

S. Sergius anno 701 in cœlum rapitur.

Joannes VI Pontificatum pacificè exercet usquè ad annum 705.

Joannes VII, Justiniani junioris nimiùm desideriis

acquiescens, Concilii Quinisexti sivè *in Trullo* canones sibi delatos ad Imperatorem incorrectos remittit. Moritur anno 707.

Sisinnius vigesimo Pontificatûs die, subitâ morte abripitur.

Constantinus, 7 electionis anno, Christi 715, Deo restituitur.

S. Gregorius II, Iconoclastis, habitâ anno 729 synodo, adversatur, sanctumque Bonifacium in Germaniam prædicaturum mittit. Virtutibus clarus obdormivit in Domino annò 731.

Gregorius III, Leoni Isaurico Iconoclastarum partes propugnanti, Apostolica intentat fulmina; à Longobardis vexatus, *Caroli Martelli* auxilium expostulat; Exarchatum Ravennensem ab Orientalibus Imperatoribus penè derelictum aliquandiù administrat, annoque 741 vitâ fungitur.

S. Zacharias, caritate ergà captivos insignis, disciplinæque restituendæ studiosus, Romanos contra Longobardorum vexationes eloquentiâ et fortitudine protegit, et anno 752 Sanctorum cætui adjungitur.

Stephanus, electus et non consecratus, à plerisque historiæ scriptoribus inter summos Pontifices non recensetur.

Stephanus II, ejus successor, in Galliam transvehitur, adversùs Aïstulfum Longobardarum regem *Pippini* quæsiturus auxilium; à quo devicto Aïstulfo, Exarchatum Ravennensem regendum suscipit. Anno 757 Pontificatûs curriculum adimplet.

Paulus I Ecclesiæ 10 annis præest, annoque 767 ad Dominum colligitur.

Stephanus III, devicto pseudo-pontifice *Constantino*, Pontificatûs cacumen tenet usquè ad annum 772.

Adrianus I à Carolo Magno, Gallorum rege, contra

cùm à parentibus S. Benedicto Biscopensi Wiremuthensi Abbati et Jarrovensis monasterii fundatori oblatus est; quo in monasterio ità sub primi Abbatis Ceolfridis regimine pueritiæ et juventutis primitias pietati dedicavit, ut decem et novem annos natus in Diaconum eligeretur; imò et post annos undecim à Joanne Hagulstadensi Episcopo consecratur Sacerdos. Ecclesiasticis profanisque scientiis incubuit, semper lectioni insistens, nisi vel doceret, vel scriberet; docendo enim plures informavit discipulos, scribendoque plura de pluribus confecit opera, quibus magnam apud coætaneos doctrinæ famam promeritus est. Animam Deo reddidit an. Christi 735, ætatis 63, nec posteriorum etiam temporum concionatoribus inutilis, ut patet exemplo patris *Burdalii*, qui illum sæpiùs laudat in sermonibus. Præter opera de profanis disciplinis, quæ referre nostri non est instituti, scripsit: 1°. *Historicos de rebus Anglicanis libros* in recentioribus quidem fide non indignos, in remotioribus autem non satis accuratos, cùm falsis aliquandiù testimoniis nimiùm indulgeat; 2°. nonnulla *quorumdam Sanctorum acta*; 3°. *Commentarios circa vetus novumque Testamentum*, qui sententiis præsertim sanctorum Patrum concatenatis coalescunt; 4°. plures de tempore, vel de Sanctis *Homilias*; 5°. *Quædam alia Opuscula*, quæ ad regulas morales commendandas, vel enodandas Scripturæ sacræ difficultates præcipuè spectant.

Clarus scribendi modus et facilis, non autem nitidus et elegans; frustrà cogitationum magnitudo, frustrà verborum desideratur urbanitas. Quæ hinc et inde perlecta fideli mandaverat memoriæ, meditatione parùm digesta projiciebat, potiusquàm proferebat; non in præstantioribus deligendis sagax, sed in obviis quibuslibet congerendis facilior. Ejus encomium uno verbo conclusit Bonifa-

cius Moguntinus Archiepiscopus, cùm illum *candelam Ecclesiæ* sæpiùs in epistolis vocavit. (*Epist. ad Cutbert. et ad Egbert.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Omnia Bedæ opera, collecta octo voluminibus, excusa fuêre *Basileæ* primùm ab *Hervagio* an. 1563, et posteà an. 1612 et 1688, *Coloniæ Agrippinæ.*

§ II.

S. Joannes Damascenus, circa an. 750.

GRÆCUS.

Joannes, propter originem *Damascenus*, et propter eloquentiam *Chrysorroas* cognominatus, nobilem ex divitibus piisque parentibus vitam Damasci suscepit, et à Cosmâ monacho docto, qui ex Italiâ captivus illùc à Saracenis fuerat adductus, liberalibus disciplinis eruditus est. Defuncti patris, qui Consiliarii munere apud Saracenorum principem fungebatur, dignitati substitutus, debitumque Imaginibus honorem vindicare aggressus; ità in Leonis Iconomachi, Imperatoris, odium incidit, ut iste excogitatâ insigni perfidiâ invisum præcipitare scriptorem statueret. Simulatâ enim Joannis scripturâ, falsam sub ejus nomine confecit epistolam, quâ regis sui proditor Leonem Damascum advocare, urbe subitò potiturum, fingebatur. Undè furore concitus Saracenorum princeps, si Joannis vitæ auctori fides, manum amputari dexteram præcepit, quæ in mediâ urbe per aliquot horas exposita, B. Virginis ope brachio rursùs conglutinata dicitur. Quo miraculo stupefactus princeps, agnitaque Joannis innocentia,

Hinc neglectis, quæ Damasci offerebantur, dignitatibus, Hierosolymam in Sabæ monasterium concessit, ubi in litterarum, sacrarum præcipuè, meditatione consenuit; quâ declinante jàm ætate, Sacerdos ab Hierosolymitano Patriarchâ consecratus est. Disciplinis philosophiæ egregiè excultus, et omnimodâ eruditione ultra illius seculi exemplum ornatus, migravit è vitâ circa an. Domini 750.

Clarus in methodo, in Theologiâ subtilis, in veterum cognitione versatissimus, in prædicatione mediocris, plura conscripsit opera, quæ in dogmatica, historica, moralia, concionatoria, ecclesiastica et profana dividi possunt.

Ad Dogmatica revocantur: 1°. Quatuor *de Fide Orthodoxâ* libri, quibus omnem Theologiæ doctrinam complectitur, cùm primo disserat de Deo in omnibus fidei consentiens, nisi quòd procedentem à Patre, non autem à Filio, Spiritum sanctum doceat; secundo de creaturis divinâ Providentiâ moderatis, sauciatisque peccato hominibus; tertio de Incarnatione Christi, hominisque lapsi Redemptione; quartò deniquè de Baptismo, Fide sanctarumque Imaginum cultu, quibus sacrorum librorum catalogum adjungit; 2°. *Dialogus Saracenum inter et Christianum*; 3°. Alius Orthodoxum inter et Manichæum *Dialogus*; 4°. *de duabus Naturis et de duabus in Christo Voluntatibus* contra Monothelitas; 5°. *Trisagion* contra Petrum Fullonem; 6°. *de Incarnatione et Trinitate*; 7°. *tres de Imaginibus Orationes*; 8°. *de Oratione pro defunctis* quam ab Apostolis traditam asserit; 9°. deniquè *de Imagine Dei hominibus impressâ, et de extremo Judicio*.

Ad historica verò: 1°. *de Hæresibus* liber; 2°. *Barlaami historia et Josaphatis* Indorum Regis filii, fabulantis potiùs quàm narrantis more conscripta.

Morale unicum superest opus quod omnia simul complectitur; tribus enim libris, quos *Parallelos* vocat,

diversis titulis diversa digessit præcepta, Scripturæ sententiis, Patrumque testimoniis confirmata.

Concionatoriis operibus ascribuntur sermones *de Transfiguratione Christi*, *de Nativitate Virginis*, *de Assumptione*, et in *Sanctum Sabbatum*.

Ecclesiastica verò scripta hæc sunt, nempè: 1°. *in præcipua Festa Hymni*; 2°. *Odæ* vel *Prosæ* pro religioso totius anni officio, quæ quidem Joanni non omnes ascribendæ.

Dialecticam deniquè et *Physicam* inter profana deputamus.

Plura etiam supersunt, quæ nunquàm excusa fuêre, ejusdem Damasceni opera, quorumque nomina ab *Allatio* collecta videri possunt ad calcem collectionis auctorum Græcorum ab eodem confectæ, et typis mandata *Antuerpiæ*, an. 1653.

Hinc nulla usquè nunc exstat plena operum Damasceni collectio; hoc novum à doctis exspectat religio ornamentum. Hìc tamen pleniores particularesque Damasceni editiones recensemus.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Græcè habetur liber *de Orthodoxâ Fide* cum *oratione* de iis, qui in fide obierunt, auspiciis *Giberti* Veronensis Episcopi, an. 1531, in-4°., quæ rarissima editio. An. pariter 1553 *Vita* et libri tres *de Imaginibus*, edente *Nicol. Maionaro*, prodierunt Romæ, in-8°.

Latinè emissa sunt ejusdem Damasceni opera, curante *Frontone Ducæo*, an. 1603, 1615 et 1619 ex versione *Jacob. Billii.*

Græcè autem et *latinè* studio præclari atque eruditissimi viri *Mich. Lequien* excusa est omnibus præcellens editio, an. 1712, Parisiis, 2 vol. in-fol.

CAPUT IX.

De Scriptoribus Ecclesiasticis noni Ecclesiæ seculi.

Seculum non minùs factorum historicorum pondere, quàm scriptorum numero vel dotibus illustre ingredimur. Tunc enim imperante Carolo Magno reviviscere visum est extinctum diù vel saltem sopitum Occidentis ingenium.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica noni Ecclesiæ seculi.

§ I.

Regum Imperatorumque series.

ORIENTIS IMPERIUM.

Nicephorus tyrannicum exercet imperium, quod usquè ad annum 812 producitur. Imperio sociârat anno 803 *Stauracem* filium, qui omnia patris vitia horrendâ facie perditisque moribus referebat; undè cùm exstincto patre, regnum accepturus rediret, illud *Michaeli Rhangabo* collatum à populo reperit. Secedere in monasterium coactus, eodem anno ac pater defunctus est.

Michaël Rhangabus, vel *Curopalates* anno 813 ab exercitu dejicitur, et ingreditur monasterium.

Leo V, cognomine *Armenius*, non minùs erga proximos quàm erga Imaginum cultores crudelis, *Michaëli* ab exercitu substituitur, ipsâque Nativitatis nocte, cùm antiphonam imponeret interfectus, anno 820 occidit.

Michaël II, cognomine *Balbus*, sacrarum Imaginum cultores vexare perseverat, nonoque regni anno, Christi 829, è vitâ decedit.

Theophilus, Michaëlis filius, sacrarum Imaginum horrorem quasi hæreditate consequitur, Catholicorumque sanguine fœdatur. Quinquies à Saracenis, conserto prælio, devictus, augente dolore moritur anno 842.

Michaël III, cognomine *Ebriosus*, *Theodoræ* matris primùm consiliis adjutus, Catholicis favet, et Iconoclastarum errores prorsùs extinguit; istâ autem an. 857 in monasterium detrusâ, cupiditatibus liberè indulget; Photium, expulso Ignatio legitimo Pontifice, in Sedem Constantinopolitanam, incitante Bardate ejusdem nepote, et imperii administratore, intrudit; ipsumque Ignatium in conciliabulo Constantinopolitano probris indignissimis afficit. Anno 867 occiditur.

Basilius, cognomine *Macedonius*, ejus vices accipit, amandatoque in monasterium Photio Ignatium revocat. Photium autem posteà, mortuo Ignatio, in sedem Constantinopolitanam restitutum, et Romanæ auctoritati illudentem malè tuetur. Illo regnante, celebratur Constantinopoli Concilium generale VIII. Anno 886 naturæ satisfacit.

Leo VI, *Sapiens* vel *Philosophus* cognomine, quòd virtutibus minimè, sed liberalium disciplinarum amori debebatur, à Nicolao, Photii successore, anathemate percellitur, quia, contra Ecclesiæ Græcæ disciplinam, ad quartas convolaverat nuptias. Ejus autem matrimonium ab Ecclesiâ Romanâ comprobatum est, utpotè quod Evangelio non adversaretur. Sermones magis scribere quàm imperium defendere peritus, mortem anno 911 inglorius subiit.

rantur. Prior anno 882, posterior autem 884, vitam consummant.

Carolus Opimus, Ludovici Germanici filius, Rex simùl et Imperator, usquè ad annum 888 regnum protendit.

Odo, Parisiorum Comes, Galliarum Rex, vivente adhùc Carolo Opimo, eligitur; ab omnibus non admittitur ejus auctoritas, mortemque anno 898 occumbit.

Intereà *Carolus* III, cognomine *Simplex*, an. 893 ad solium vocatus, Rhemisque coronatus, à Normannis plurimùm vexatur. Cætera, quæ ad ejus regnum pertinent, seculo sequente absolventur.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

S. Leo III, coronato *Carolo Magno* Imperatore, Pontificatum pacificè exercet usquè ad annum Christi 816, Episcopatûs autem 21.

Stephanus IV, vix in Sanctam Sedem collocatus, evanescit anno 817.

S. Paschalius I Iconoclastis obsistit, moriturque anno Pontificatûs 7, Christi autem 824.

Eugenius II, pseudo-pontifice *Zizimo* Apostolicam dignitatem frustrà affectante, Pontificatum exercet usquè ad annum 827.

Valentinus, quadragesimo post electionem die, morte rapitur.

Gregorius IV, Ostia Tiberina reædificare curat, in Galliam transfertur ut *Ludovicum Debilem* inter et rebelles filios pacem stabiliat, festumque omnium Sanctorum toti terrarum orbi celebrandum proponit. Moritur anno 844.

Sergius II Pontificatûs apicem tenet usquè ad annum 847.

S. Leo IV fortitudine et virtutibus inclarescit; desertam ab Orientis Occidentisque Imperatoribus Romam solus à Saracenorum incursibus vindicare prævalet, non bellatoris more qui manu pugnat, sed Pontificis qui sapientiâ commissas oves contra irruentes lupos defendit. Disciplinæ pariter vindex meritis gloriâque commendandus obdormiscit in Domino anno 855.

Benedictus III, excluso *Anastasio* pseudo-pontifice, quem anteà in Parochiâ non residentem S. Leo à sacris interdixerat, legitimus agnoscitur Pontifex quinto post Leonis obitum die; undè evanescit *Joannæ* Pontificis fabula, quam ad medium inter duos illos Pontifices tempus referre quidam mentientes voluerunt. Moritur anno 858.

Nicolaüs I Legatos Constantinopolim mittit ad examinandam Photii et Ignatii de Constantinopolitanâ Sede contendentium causam. Auditâ Legatorum à Photio seductorum indignâ collusione, Photium à Sacerdotio dejicit. Moritur anno 867.

Adrianus II. Photii damnationem persequitur, illoque in Synodo Romanâ deposito, decem Legatos Constantinopolim mittit, qui Concilio generali VIII ejus nomine præsiderent, damnatumque dejicerent Photium. Quasdam etiam cum Carolo Calvo contentiones habuit, propter Hincmarum Laudunensem Episcopum, qui à Romanâ appellatione fuerat prohibitus. Mors ejus accidit anno 872.

Joannes VIII à Photio aliquandiù deceptus, illum Constantinopolitanæ sedi, scriptis epistolis, restituit, quas cùm à Photio adulteratas rescivisset, simulque de impio Constantinopoli celebrato Concilio certior fuisset factus,

illum iterùm anathemate perculsum à Romanâ communione segregat. Nimiùm fortè crebras excommunicationis sententias contemptui objecit, mortuusque est anno christi 882, Pontificatûs 10.

Marinus vel *Martinus* II contra Photium in sacerdotio impiè perseverantem depositionis innovat sententiam, vitâque cedit anno 884.

Adrianus III uno anno consummatus, magnum sui desiderium Ecclesiæ relinquit.

Stephanus V Photium rursùs anathemate percellit, mortemque obit anno 891.

Formosus claves Ecclesiæ usquè ad annum Christi 896, Pontificatûs autem 5 retinet.

Bonifacius VI quinto decimo post electionem die morte conficitur. A *Baronio* inter summos Pontifices non annumeratur.

Stephanus VI, congregato Concilio, extractum è tumulo *Formosum* et sedi Patriarchali impositum crudeli judicio prosequitur, amputatisque tribus digitis, capite etiam truncari jubet cadaver. Ipse verò in carcerem posteà dejectus, an. 897 strangulatur.

Romanus, rescissâ Stephani VI contra Formosum sententiâ, quarto Pontificatûs mense, Christi verò eodem anno 897, vitâ fungitur.

Theodorus II viginti solummodò diebus Sedem obtinet Apostolicam.

Joannes IX, ex S. Benedicti monacho summus Pontifex, anno 900 defunctus, præsens claudit seculum.

§ III.

Ecclesiæ adversarii in nono seculo.

Sergius et *Baanès*, *Claudius Taurinensis*, *Gotescalcus*, *Photius* et *Joannes Scotus Erigena*, Ecclesiæ præsertìm hoc seculo adversati sunt.

1°. *Sergius et Baanès* Paulicianorum hæresim, vel novis impietatibus superadditis, vel paululùm immutatis veteribus, in Oriente resuscitârunt.

2°. *Claudius Taurinensis* Vigilantii et Aërii de Reliquiis et invocatione Sanctorum, Iconoclastarum autem de Imaginum cultu errores innovavit. Confutatus est præsertìm à *Jonâ* Aurelianensi Episcopo, et à *Dungalo* S. Dionysii Parisiensis monacho.

3°. *Gotescalcus*, monachus in diœcesi Suessionensi, Prædestinatianorum erroribus indulsit. Undè à Rabano Mauro Moguntino Archiepiscopo et ab Hincmaro Rhemensi exagitatus est. In Concilio Moguntino anni 848, et Carisiaco anni 849 et 850 damnatus est.

4°. De *Photio* hìc dicere abstinebimus, cùm ejus historia fusiùs referenda sit, ubi de particularibus modò uniuscujusque Scriptoris notissimi factis agetur.

5°. *Joannes Scotus Erigena* plura de Prædestinatione et de Eucharistiâ, regnante Carolo Calvo, deliravit. Ex ejus scriptis excerpta sunt principia, quibus posteà sacrilegam de Sacramento altaris hæresim Berengarius effinxit.

§ IV.

Concilia generalia noni Ecclesiæ seculi.

Anno 869, Concilium Constantinopolitanum IV, generale VIII, imperante Basilio Macedonio, Pontificatum

tantùm, sed publicis intra ipsum Regis palatium habitis lectionibus, Gallorum gentem edocere curavit. Pluribus à Carolo rege Abbatiis donatus, sanctique demùm Martini Turonensis Canonicorum regimini prælatus, in hâc congregatione defunctus est, an. Christi 804.

Scripsit : 1°. Quosdam in Scripturas sacras *Commentarios ;* 2°. De Doctrinâ plures *tractatus*, quibus præcipuè Trinitatem asserit, Christique Incarnationis consectaria contra Felicem Urgellinum vindicat; 3°. De Disciplinâ *tractatus* nonnullos, intra quos eminet ille quo S. Martini Clericos ad peccatorum confessionem exhortatur; 4°. De Morali opus, quod inscribitur de *Virtutibus et Vitiis ;* 5°. Plurium Sanctorum acta et maximè S. Martini Turonensis vitam ; 6°. Quindecim supra centum *Epistolas*; 7°. Tres Homilias *de Incarnatione, de Virginis Nativitate, et in omnium Sanctorum solemnitatem*; 8°. Deniquè quædam *Poëmata vel minora Carmina.*

Nitidus et vivax et ingeniosus in scribendo, exquisitiora pro tempore verba adhibere solet, dicendaque ità callet jucundâ circumornare formâ, ut nec eloquentiæ nec urbanitatis gloria illi deneganda videatur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Collecta ab *Andreâ Quercetano* ejus opera, apud *Cramoïsium* excusa fuerunt anno 1617.

§ III.

Sanctus Theodorus Studita, anno 826.

GRÆCUS.

Theodorus Studita, anno 759 natus, et Platonis, qui monti Olympio Abbas præerat, discipulus, ejusdem mo-

nasterii curæ, anno 795, ab eodem Platone præfectus est. Constantini Copronymi, qui detrusâ in monasterium legitimâ uxore Mariâ, Theodoram matrimonio coram Josepho Œconomo pravè susceperat, adulterio fortiter obstitit. Undè ab eodem Imperatore cum undecim monachis ablegatus est.

Quo defuncto, Constantinopolim repetiit, ubi propter Barbarorum incursiones Olympium montem deserere coactus, Studense monasterium aliquandiù in pace administravit. Cùm autem Nicephoro Patriarchæ Josephum Œconomum malè restituenti iterùm obsisteret, Synodique sententiam secundum Constantini matrimonium approbantem admittere recusaret, in exilium alterâ vice amandatur, quo minimè compelli potuit, ut, scriptâ etiam ad Leonem III epistolâ, *Mœchianos* vocare cessaret adversarios. Anno 811 Constantinopolim à Michaële I revocatus, Nicephorique Patriarchæ, expulso Josepho Œconomo, amicitiam iterùm amplexus, contra Leonem Armenium pro Imaginum cultu, ità fortiter dimicavit, ut tertium subire cogeretur exilium, undè vel incitare vel consolari Catholicos non destitit. Imperante post Leonem Michaële Balbo, Constantinopolim redeundi licentiam accepit; sed cùm liberrimè loqui perseveraret, ad tempus iterùm cedere coactus est. Instante jam vitæ termino, Nicephorum Patriarcham cæterosque exules invisit, annoque Christi 826, ætatis verò 67, in Chalcidis insulâ plenus meritis obdormivit in Domino.

Inter præcipua ejus opera recensentur : 1°. *Sermones* 134, quæ Latinè tantùm prodierunt, et *Magnæ Catecheses* vocantur ; habentur et *Parvæ Catecheses* nondùm in lucem emissæ; 2°. Particulares quædam aliæ de variis *Conciones ;* 3°. *Tractatus* dogmaticus de *Cultu Imagi-*

num ; 4°. S. Platonis vita ; 5°. *Epistolæ* nonnullæ; 6°. Deniquè ejusdem ad monachos *Testamentum*.

Utilissima monachis simul et disciplinæ horumce temporum studiosis Theodori lectio, cujus aliundè nitidum, elegans, concisumque eloquium legentibus non injucundum videbitur. Ejus encomium ità paucis complexus est Anastasius Bibliothecarius: « Theodorus, vir valdè mirabilis, » non solùm fidei constantiâ, verùm etiam scientiæ gratiâ, » et signorum virtutibus *inclaruit.* » (Præfat. ad Serm. Studit.)

EDITIONES.

Exspectatur adhùc integra Theodori operum editio.

Particulatìm habentur :

1°. *Sermones* 134, ex versione *Livinæi*, anno 1602 *Antuerpiæ*.

2°. *Epistolæ quædam, Sirmundo* interprete, apud *Baronii* annales.

3°. *Sermo de Adoratione Crucis* à *Gretsero* emissus.

4°. *Vita S. Platonis* apud *Surium*, sextâ die Decembris.

5°. *Tractatus contra Iconoclastas*, Græcè *Romæ* 1553, et Latinè *Antuerpiæ* 1556.

6°. Recentiùs plura ejus opera excusa fuerunt *Parisiis* 1696, et *Venetiis* 1728, cum ejus vitâ, curante post P. *Sirmundum* P. *de la Beaune*.

Præparata fuerat auctior et accuratior Studitæ editio, à DD. *Toustin* et *Tassin*, Benedictinis, quæ publicam in lucem emissa non videtur.

§ IV.

Nicephorus, *an.* 828.

GRÆCUS.

Nicephorus, laïcus adhùc, anno 806 Constantinopolitanus Patriarcha post Tarasium electus est. Pluribus vitæ annis inter aulæ tumultus transactis, paulò ante electionem è mundo abscesserat, quamvis vitam monasticam non fuisset professus. Vix Episcopatûs dignitate insignitus, Josephum OEconomum, qui Theodoten Constantini Copronymi illegitimam uxorem sacrilegâ decoraverat coronâ, restituit, obstantibus frustrà Theodoro Studitâ et Platone celeberrimis monachis, qui cùm habitâ anno 809 Synodo juridicè approbatum viderint adulterium, à Nicephori communione recesserunt.

Expulso autem posteà Josepho OEconomo, ità pax Nicephorum inter et Theodorum Studitam inita est, ut persecutionem simul pro cultu Imaginum compati mererentur. Expulsus ab urbe Nicephorus, et in exilium anno 814 à Leone Armenio ablegatus, nec cum aliis à Michaële Balbo revocatus, post annos absentiæ quatuordecim, anno Christi 828 vitam confessor consummavit.

Scripsit : 1°. *Epistolam* ad Leonem Papam III, quâ, anno 811 exaratâ, longa fidei professio continetur; 2°. *HistoriæBreviarium* à defuncto Mauritio Imperatore usquè ad Imperatricis Irenes regnum productæ; 3°. *Chronographiam* quæ illi attributa, et ab Anastasio Bibliothecario quondam, ut refertur, in latinum versa, ab alio saltem emendata et aucta prædicanda est, cùm Imperatorum et Patriarcharum illo jam mortuo defunctorum nomina

tiosis probationibus dirimendas esse statuentem vehementer impugnat, quâ quidem de re alterum confecit librum, cui titulus *de Judicio Dei*; 5°. *librum de Sacerdotio* cujus excellentiam et jura vindicat; 6°. *duos* de superstitionibus tunc frequentatis *Tractatus*; 7°. *Epistolam* ad Lugdunensem Clerum de Ecclesiastico regimine, quâ præstantissimæ circa Ecclesiarum administrationem regulæ traduntur; 8°. *librum de Dispensatione bonorum Ecclesiæ* contra laïcos illa rapientes; 9°. *Orationem de Fide*, quâ præcipua perstringit fideï Christianæ mysteria; 10°. *tractatum de Imaginibus* quarum venerationi non satis favere videtur, licèt Iconomachorum errores non admittat; 11°. Quædam ad dissidia Ludovici Debilis ejusque filiorum pertinentia; 12°. quædam in sanctarum Reliquiarum translationem *Carmina.*

Dictio simplex et perspicua, sed inornata et depressa. Longiora superabundant Scripturæ sacræ testimonia, veterumque excerpta Patrum juxtà hujus temporis morem. Probanda cæterùm proferre solet ratiocinia, quæ virum doctrinâ Patrum Ecclesiæque disciplinâ satis instructum ostendunt.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Prima ejus operum prodiit editio studio *Papyrii Masson*, qui inventum forsitàn manuscriptum, ab ignaro artifice jam resecandum, excudi curavit, *Parisiis* an. 1605. Anno autem 1666, auctior et accuratior emissa est operâ *Baluzii* apud *Mugùetum* (2 vol. in-8°.) cum doctissimis annotationibus.

§ VI.

Walafridus Strabo, anno 849.

LATINUS.

Walafridus, Benedictinus, *Strabo* ut creditur cognominatus, quia oculis laborabat, anno 806 natus et in Fuldensi monasterio sub Rabani Mauri disciplinâ educatus, ibidem vitam monasticam professus est; undè sancti Galli Decanus primùm et deindè Abbas monasterii Richenovensis electus, pietate pariter et doctrinâ inclaruit. Defunctus est in pace, circa annum 849.

Præcipua ejus opera sunt : 1°. *de Officiis Divinis* seu *de Exordiis et Incrementis rerum Ecclesiasticarum*, opus ad cognoscendam veterem Ecclesiæ disciplinam utilissimum; 2°. *Poëmata quædam*; 3°. *quorumdam Sanctorum Acta*; 4°. *Glossa ordinaria in sacram Scripturam.*

Multa quidem legerat, perlectaque tractandis non ineptè accommodabat argumentis. Falsas summorum Pontificum Decretales sæpiùs laudat, incertasque aliquandò historias referre incusatur.

EDITIONES.

Nulla exstat generalis Walafridi operum editio :

1°. Liber *de Officiis Divinis* excusus est tùm in Bibliothecis Patrum, tùm in collectionibus operum ad divinos ritus pertinentium.

2°. *Poëmata* apud *Canisium* reperiuntur anno 1604, in-4°.

3°. *Sanctorum Acta* sivè apud *Surium*, sivè *in seculis Benedictinis D. Mabillonii* habentur.

4°. *Glossa* prodiit Parisiis 1590, 7 vol. in-fol. et *Antuerpiæ* 1634, 6 vol. in-fol.

§ VII.

Rabanus Maurus, anno 856.

LATINUS.

Rabanus, sivè *Herbanus*, *Maurus* vel *Magnentius* cognomine, Moguntiæ natus est anno 788. In monasterio Fuldensi junior adhùc prima suscepit liberalium disciplinarum semina, quæ Turonis posteà celeberrimi doctrinâ Alcuini irrigata plurimùm germinaverunt. In monasterium reversus, juniorum monachorum regimini primùm præfectus, posteà anno 814 Sacerdos consecratus, tandem anno 822 Fuldensis Abbas electus est. Quo in munere cùm per annos viginti perseverâsset, conquerentibus monachis, quòd studio nimiam, monasterii autem administrationi leviorem operam impenderet, dignitatem ultrò abdicavit, et in montem S. Petri se recepit, undè ad Moguntinum Pontificatum anno 847 assumptus, eodem anno Concilium restituendæ disciplinæ causâ celebravit, Gotescalcum in alterâ Synodo damnatum ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum remisit. Mors ejus accidit anno Christi 856, ætatis 68, Pontificatûs nono.

Scripsit : 1°. in totam ferè Scripturam sacram *Commentarios*; 2°. tractatum *de Universo* seu *de verborum Significatione*, cujus quinque tantùm primi libri ad religionem pertinent; 3°. *opus quoddam in Crucem* mirabile, licèt mediocris utilitatis, quo litteræ ità diriguntur, ut, Crucem informantes, carmina pariter non tantùm à sinistrâ ad dextram legenti, sed etiam ab infimo ordine ad superiorem ascendenti, vel à superiore ad

infimum descendenti repræsentent; 4°. plures *Homilias* et *Sermones*; 5°. tractatum *de Allegoriis*; 6°. *tres pro Institutione Clericorum libros*; 7°. *De Ordinibus Sacramentisque divinis*; 8°. *tres libros* de *Disciplinâ Ecclesiasticâ*; 9°. duos ad Bonosum, unum *de Visione* Dei, alterum de *Pœnitentiâ*; 10°. *Pœnitentialem librum*; 11°. *Epistolas tres Canonicas*, *aliasque ad Humbertum duas*; 12°. libros de *Animâ*, de *Vitâ Antichristi*, de *Corepiscopis*, de *Veneratione Parentibus debitâ*, propter dissidium filiorum Ludovici Debilis cum patre; 13°. *tres in Gotescalcum Epistolas*; 14°. *aliqua Carmina*.

Ætatis suæ vitiis plurimùm inficitur Rabanus; omnia ejus opera versantur sivè in explicandis artium principiis, sive in colligendis veterum Patrum testimoniis, sivè in referendis communibus circa varias sacræ Scripturæ partes interpretationibus, sivè in astruendis super divinorum librorum historias allegoriis, sive in detegendis mysticis religiosorum rituum causis, sivè tandem in quâdam veluti consuetudine vix soluto sermone digna ambitioso poëmatum nomine propter claudicantem modulationem decorandi. Vir tamen suo tempore doctissimus nec etiam nunc contemnendus, cùm plura apud ipsum reperiantur, quæ tùm ad confirmanda fidei dogmata, tùm ad cognoscendam hujus ætatis disciplinam plurimùm proficiant.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

An. 1627 excusa sunt Rabani opera curâ *Antonii Hyerat* *Coloniæ Agrippinæ*, 3 vol. in-fol.

In hâc editione nonnulli desunt Tractatus nempè : 1°. *De Corepiscopis*, et *de Veneratione Filiorum*, qui prodierunt in collectione operum D. *de Marca* curante *Baluzio*; 2°. *liber de Scientiâ computi temporum*, qui

reperitur in Miscellaneis *Baluzii*; 3°. *duæ ad Regimboldum Epistolæ*, quarum prior ad calcem Capitularium ab eodem *Baluzio* editorum, posterior verò in octavo ultimæ editionis Conciliorum volumine legitur.

§ VIII.

Paschasius Ratbertus, anno 865.

LATINUS.

Paschasius Ratbertus, Suessionensis, à parentibus infans derelictus, à monialibus B. Mariæ susceptus est, quæ illum in exterioribus Abbatiæ partibus educari curaverunt. Ætate provectior in monasterio Corbiensi, cui S. præerat Adelardus, vitam monasticam vovit, studioque ità incubuit, ut propter scientiæ virtutisque famam anno 844 Corbiensis monasterii Abbas eligeretur. Sacerdotio tamen, suscepto priùs Diaconatûs ordine contentus, consecrari noluit: exorto autem aliquo inter illum et monachos dissidio, ab officio depositus, quod vitæ supererat legendis scribendisque libris impendit usquè ad annum 865, cùm animam in pace exhalavit.

Primum et præcipuum Paschasii Ratberti opus de *Eucharistiâ* disserit, et modò *de Corpore et Sanguine Christi*, modò *de Sacramentis* inscribitur. Licèt in hoc libro doctrinam Catholicam ab omnibus tunc admissam propugnet, tamen disputandi ansam præbuit, eò quòd, contra hujus temporis usum, dixisset: *Quòd non sit alia caro Christi, quàm quæ nata est de Mariâ, et passa in Cruce, et resurrexit de sepulchro.* Quibus verbis contendebant adversarii pravè doceri carnem Christi in eodem prorsùs statu, cùm recipitur, quàm cùm nata est et passa inveniri. Undè Eucharistiam carnem esse Christi confitentes, Ratberti locutionem

reprobabant, utpotè quæ nullam inter statum corporis Christi nascentis et Christi in Eucharistiâ recepti differentiam statuere videbatur. Sic Mabillonius: « Ante Paschasii » librum, inquit, confitebantur Catholici omnes Christi » Domini verum Corpus verumque Sanguinem reverà » existere in Eucharistiâ, itemque panem et vinum in » illâ converti. At nemo Paschasii tempore illud corpus » esse idem quod è Mariâ Virgine natum est tam directè » asserere auditus fuerat. Id quidem anteà ex Patribus » tradiderant non pauci, sed ignota erant illo ævo, aut » certè non observata eorum hâc de re testimonia. Qua» propter cùm Paschasius in libro suo tam fidenter et » asseveranter illud docuisset, hujus rei novitate, ut sibi » videbatur, commoti sunt quidam viri docti haud ince» lebres, qui scriptis editis hanc ejus sententiam acriter » impugnârunt. »

Secundum opus quod plures etiam animos commovit *de Puerperio Virginis* disserit, quo, Ratramni opinione, qui asseruerat Christum natum esse per semitam vulvæ, licèt per *vulvam clausam*, Beatæ Mariæ Virginitatem lædi ostendere conatur; sed immeritò, cùm, nato *per vulvam clausam* Christo, Maria vel ante partum, vel in partu, vel post partum Virginem permansisse pateat.

Scripsit prætereà tùm in Matthæum, in Psalmum 44, et in Lamentationes Jeremiæ *Commentarios*, tùm duos de Valæ Corbiensis Abbatis vitâ libros.

Scientia in Paschasio cum pietate consentiebat; non puro tantùm et perspicuo, sed eloquenti commendatur eloquio. Lucidum, quod naturâ sortitus erat, ingenium Ecclesiasticorum pariter et profanorum Scriptorum lectione labor assiduus excoluerat. Nullum autem opus tantâ curâ perfecit, quàm tractatum de Eucharistiâ, cujus lectionem doctrinæ amatoribus commendamus.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

An. 1618, collecta fuêre et in publicam lucem tradita Ratberti opera, curante P. *Sirmundo*, *Parisiis* in-fol.

Desunt in istâ editione duo de vitâ Valæ libri, qui à P. *Mabillonio* fuerunt prælo subjecti.

§ IX.

Ratramnus, *anno* 870.

LATINUS.

Ratramnus, qui à Sigeberto *Bertramus* vel *Ratramus* dicitur, à Trithemio autem *Betrannus* aut *Ratrannus*, incipiente seculo natus, ex Corbiensi monacho, Orbæensis Abbas electus, temporibus Hincmari et Ratberti floruit, impugnatisque tùm Ratberto, tùm Hincmaro, tùm Photio Constantinopolitano Episcopo, defunctus est anno circiter 870.

Omnia ejus opera vel ad Eucharistiam contra primum, vel ad Prædestinationem contra secundum, vel ad auctoritatem Ecclesiæ Romanæ contra tertium referuntur.

I°. Quidem contra Ratbertum scripsit celeberrimum de Eucharistiâ librum, quem *Bertrami* nomine insignitum et à Protestantibus primò emissum Catholici suspectum habuerunt; posteà verò re maturiùs perpensâ demonstravit P. *Mabillonius* illum Ratramno reverà esse tribuendum : 1°. quia in duobus manuscriptis Ratramni nomine inscribitur ; 2°. quia Sigebertus et Trithemius nomen Ratramni ità immutant, ut ad Bertrami nomen propriùs accedat ; 3°. quia supralaudati scriptores eidem simùl tribuunt auctori et opus *de Corpore Christi* et opus *de*

Prædestinatione, quod certò Ratramno abjudicari non potest. Quo quidem admisso, facilè potest demonstrari opus illud præsentiam Christi realem minimè impugnare, cùm primo operis ingressu declaret illud à se figuram dici, quod velis obtegitur, veritatem autem, quod apertè videri potest; undè concludit Christum esse realiter in Sacramento, sed velis Sacramenti obtectum, ac proindè tantùm in figurâ : cæterùm prædicare non desinit apparere exteriùs panis formam et colorem, interiùs verò adesse realiter corpus Christi : *In specie*, inquit, *Panis est, in Sacramento verum Christi corpus.* Quapropter non modò non nocet ille liber integritati fidei nostræ, sed illam è contrà multùm juvare potest, cùm quæstionem tunc temporis agitatam non circa ipsam mysterii substantiam, sed circa quædam tantùm verba, versatam fuisse evidenter ostendat. 2°. Contra eumdem Ratbetum edidit, tractatum *de Nativitate Christi*, cujus argumentum videri potest in præmisso Ratberti operum breviario, qui illum acerrimè impugnavit.

II° Hincmaro opposuit *librum de Prædestinatione*, Catholicæ doctrinæ in omnibus optimè consentientem, et contra hujus librum idem argumentum agentis *Epistolam*.

III° Deniquè *Responsum* emisit ad ea, quæ à Photio aliisque Græcis Ecclesiæ Latinæ objiciebantur, ubi *de Processione sancti Spiritûs*, de Sabbati Jejunio, de Jejunio Quadragesimæ, de rasâ barbâ, de Sacerdotum Cœlibatu, de prohibitione Sacerdotibus factâ frontem sancto oleo ungendi, de Ordinatione Episcoporum *per Saltum*, de primatu Romani Pontificis non indoctè disserit.

IV°. Superest etiam Tractatus *de Naturâ animæ*, quæ nondùm lucem vidit.

Tantâ doctrinæ famâ, dùm viveret, enituit, ut nulla hoc temporis mota fuerit quæstio, de quâ ejus sententiam

vel audire, vel etiam expostulare doctior quisque non gestierit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Nulla exstat generalis Ratramni operum editio. Separatìm prodierunt :

1°. *Tractatus de Corpore et Sanguine Christi*, an. 1532, *Coloniæ* cum Bertrami nomine, et pariter *Basileæ*, an. 1550. Simùl atque duæ illæ priores emissæ fuerunt à Protestantibus editiones, inter libros prohibitos reputatæ sunt à *Censoribus* jussu Concilii Tridentini constitutis. Catholici plures librum ab Œcolampadio suppositum aliquandiù crediderunt. *Clemens Papa* VIII illum tanquàm hæreticum rejiciendum putavit, quem secuti sunt *Bellarminus*, *Quiroga*, *Sandovalus et Alanus*. *Lovanienses* tamen, anno 1671, non absolutè damnandum judicaverunt, sed tamen corrigendum. Ejus doctrinam *Cardinalis Duperron* non approbandam censuit. *D. de Marca* anno 1657 illum esse librum Joannis Scoti Erigenæ propugnavit, adhærentibus huic sententiæ plerisque doctioribus usquè ad P. *Mabillonium*, qui, anno 1680, illum et Ratramno tribuendum et hæresi minimè infectum ità evidenter ostendit, ut omnes, paucis exceptis, ad ejus converterentur opinionem. Hinc excusus est an. 1686 *Parisiis* ex *Lobbii* manuscripto cum versione Gallicâ *Jac. Boileau* Doctoris Sorbonici.

2°. Duo *de Prædestinatione* libri, anno 1650 à *D. Mauguin*, in collectione Scriptorum noni seculi de Gratiâ, *Parisiis*, 3 vol. in-4°.

3°. Opera *de Nativitate Christi* et *contra Græcos*, anno priùs 1655, in tomo primo Spicilegii *P. Dacherii*, posteriùs verò 1656 in secundo ejusdem tomo.

GALLICÆ VERSIONES.

Præter interpretationem Gallicam *Jac. Boileau* suprà citatam, 1686 in-12, veteres exstant versiones à Protestantibus confectæ 1558, 1560 et 1653.

§ X.

Hincmarus Rhemensis, an. 882.

LATINUS.

Hincmarus, nobili Galliarum familiâ natus, et in S. Dionysii monasterio educatus, transactis in Ludovici Debilis Imperatoris aulâ pluribus annis, primùm juventutis hospitium, revocatis ad perfectiorem statum ab Hilduino S. Dionysii Canonicis, anno 829 repetiit. Misso in exilium Hilduino comes in Saxoniâ adhæsit, ità tamen ut à partibus Lotharii alienus, Ludovico Debili fidelis permaneret. Quo in solium restituto, Regem et Episcopos in rebus Ecclesiasticis adjuturus, aliquot iterùm annis aulam frequentare non destitit. Vix in monasterii solitudinem reversus, anno 844, Archiepiscopus Rhemensis, postulante populo, approbantibus Episcopis Bellovaci congregatis, consentiente demùm monasterii Abbate electus est et consecratus.

Quibus intricatissimis rebus fuerit implicatus breviter exponere operæ pretium erit.

I°. Quidem, uno post ordinationem anno, impugnatus est ejus Pontificatus à Lothario Imperatore, qui illum Carolo Calvo Galliarum regi faventem odio prosequebatur, propter Ebbonem à Rhemensi Archiepiscopatu decem abhinc annis ejectum, quem hùcusquè superstitem sedi

suæ restituendum contendebat. Missis à summo Pontifice Legatis, vocatisque in Concilium Hincmaro simul et Ebbone, cùm adfuisset prior, posterior autem venire non sustinuisset, confirmata est Hincmaro Episcopalis dignitas.

II°. Gotescalcum, Benedictinum monachum, duriùs de Prædestinatione sentientem, coram Episcopis Carisiaci in diœcesi Rhemensi congregatis citatum, hæresique convictum damnari curavit, qui juxta S. Benedicti regulam, non solùm à Sacerdotio alienus declaratus est, sed in carcerem post durissima flagella perpetuò detrusus. Cùm autem quatuor capitula de Prædestinatione, Gotescalci refutandi causâ, direxisset Hincmarus, ab Ecclesiâ Lugdunensi primùm, et deindè à Valentinâ Synodo impugnatus est. Doctrinam autem quam protulerat novo de Prædestinatione scripto vindicavit.

III°. Prohibuit hymnum de Martyribus, ubi tres Personæ divinæ *trina Deitas* dicebantur, quia Deitatem ad Naturam non ad Personas pertinentem trinam pronuntiari non posse contendebat. Illa quæstio prorsùs inanis in logomachiam ità desinere visa est, ut Ecclesia etiam nunc *trinam Deitatem* in uno Eucharistiæ hymno à S. Thomâ confecto celebrare non dubitet.

IV°. Rotadum, Suessionensem Episcopum, in judicium vocatum, et summum Pontificem frustrà appellantem, interceptâ malè ejusdem epistolâ, à quibusdam Episcopis in suburbio Suessionensi congregatis, deponi, expelli, in carcerem detrudi perfecit. Ille autem Abbatiâ licèt posthàc ditissimâ donatus, summi Pontificis judicium expostulare non destitit. Quo certior factus Nicolaüs Papa I, Hincmaro vehementer exagitato excommunicationis minas semel et iterùm intentavit, nisi Rotadus Romam mitteretur cum accusatoribus Apostolicâ auctoritate judicandus. Cùm autem, misso Rotado, non adessent accusa-

tores, illum in sedem, frustrà reluctante Hincmaro, restitutum anno 866 Suessionas remisit.

V°. Vulfadium aliosque Clericos ab Ebbone post depositionem ordinatos in Suessionensi Concilio ab Ordinibus amovendos declaraverunt Episcopi, quorum judicium à Leone Papâ IV ejusque successore Benedicto III confirmatum est. Nicolaüs autem I, re maturiùs perpensâ, novum à Carolo Calvo expostulavit Concilium, quod rex eò faciliùs concessit, quod Vulfadium ad Bituricensem Episcopatum promovere volebat. Hinc, victo iterùm Hincmaro, restituti sunt Clerici ab Ebbone ordinati, Vulfadiusque, etiam ante Romanum responsum Pontifex consecratus, in Episcopalem Biturigûm sedem Adriani II jussu impositus.

VI°. Hincmaro nepoti, Laudunensi Episcopo, injustè agenti in Sacerdotes et Carolo Calvo insultanti, aliquandiù patrocinatus est. Cùm verò magis ac magis ille debaccha165retur, in Vermeriensi Synodo ab ipso rege accusatus, et interpositâ ad summum Pontificem appellatione dimissus, à Duziacensi Concilio tanquam seditionis et inobedientiæ reus anno 871 damnatus est, præsidente Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi ejusdem Metropolitâ. Modò in exilium missus, modò incarceratus, effossis tandem oculis luce simul et libertate orbatus, anno 878 non in Episcopatum quidem, sed in Sacerdotii munera restitutus est. Defunctum precibus Hincmarus Rhemensis prosequendum curavit.

VII°. Reginæ Thietbergis à Lothario Lotharingiæ rege conjuge dimissæ, matrimonium validum esse, nec potüisse dissolvi cum Episcopis provinciæ Rhemensis non immeritò defendit, pluresque alias matrimoniales causas eâdem sagacitate tractavit.

VIII°. Tres Rhemis Synodos, unam anno 842, alteram

857, tertiam verò 874 celebravit, quibus sapientissimæ circa disciplinam regulæ sancitæ sunt.

IX°. Lotharium anno 869, Ludovicum anno 877, Judith Caroli filiam, cùm anno 856 Anglorum regi Edulpho in matrimonium tradita est, sacro redimivit diademate.

X°. Plura reliquit scripta, inter quæ maximè notanda occurrunt : 1°. posterior *de Prædestinatione* liber contra Gotescalcum, priore amisso; 2°. liber *de non trinâ Deitate*, cujus occasionem anteà retulimus; 3°. *de Divortio Lotharii* et *Thietbergis Reginæ*; 4°. *Capitula* contra Hincmarum Laudunensem; 5°. *plures* ad Imperatores, Reges, Episcopos et summos Pontifices *Epistolæ*; 6°. *Capitula* pro diæcesis regimine confecta; 7°. libelli *de Regibus Reginisque coronâ redimitis*; 8°. deniquè plures iterùm libelli pluribus in Conciliis prolati.

XI°. Si Hincmari Rhemensis agendi rationem dijudicare volueris, virum boni amantem, religionis studiosum, disciplinæ tenacem, supremæ auctoritatis cupidum, quietis impatientem, virtute intrepidum, zelo ardentiorem, imò et tantisper litigiosum reperies. Sin autem animi dotes considerare magis placet, Scripturæ sacræ, veterum Patrum, civilis Ecclesiasticique juris notitiâ optimè instructum miraberis. Dicendum tamen, quòd dictio seculi quo vivebat ingenium redolet, dura, rudis, intricata, diffusa, continuis intersecta suspensionibus, congestisque nimiùm scaturiens testimoniis. Non majestas eloquentiæ, aut sermonis urbanitas, sed perfecta Canonum scientia et Ecclesiastici régiminis cognitio apud eum deprehenditur.

XII°. Normannis Episcopali urbi imminentibus Sperniacum secedere coactus est, ubi post 38 Pontificatûs annos, 21 decembris anni 882, animam Deo reddidit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

An 1602 *Moguntiæ*, et 1615 *Parisiis*, pars ejus operum excusa est, curantibus *Busæo* et *Cordesio*. Sed an. 1645 studio patris *Sirmundi* in publicum emissa est plenior et accuratior editio *Parisiis*, 2 vol in-fol. Anno autem 1658 Pater *Cellot* tertium volumen patris *Sirmundi* editioni superaddidit.

§ XI.

Photius, circa annum 886.

GRÆCUS.

Photius, ex nobilissimâ Constantinopolis prosapiâ ortus, et S. Patriarchæ Tarasii nepos, præstantissimis tum civilibus, tum etiam militaribus officiis functus, ab impio Bardate, Michaëlis III nepote, et Imperii administratore in sedem Constantinopolitanam loco S. Ignatii intrusus est, et ex laïco Patriarcha, collatis successivè per octo dies variis Sacerdotii gradibus anno 858 consecratus à Gregorio Asbestate, Syracusano quondam Episcopo, nunc autem summi Pontificis auctoritate deposito. Photius à Metropolitanis primùm admissus, expostulatis duobus Pontificis Romani Legatis, Concilium Constantinopoli celebravit anno 861, quò vocatus Ignatius gravissimas, pontificalibus ornamentis exutus, injurias perpessus est non solùm à Michaële Ebrioso, crudelissimo principe, sed et ab aliis Synodi Episcopis, et ab ipsis etiam Romæ Legatis, qui commissâ indignè abutentes auctoritate, beati antistitis depositioni consenserunt. Dejicitur in carcerem Ignatius; tribus carnificibus torquendus traditur; crude-

lissimis afficitur verberibus; nudo in marmore hyemales inter glacies jacere cogitur; per quindecim dies omni ferè cibo destitutus, novis continuò vexatur suppliciis. Ità jusserát Photius, ut tormentis victum ad suscribendam Episcopatûs abrenuntiationem compelleret. Cùm autem constantiam satellites superare non possent, unus assumptâ Sancti reluctantis manu, crucem in chartâ delineat, cui veluti signo ipse Photius superaddidit: *Ego Ignatius, indignus Patriarcha Constantinopolitanus, Patriarchalem sedem contra regulas invasisse confiteor, et tyranni more Episcopatum exercuisse.*

Appellabat intereà summum Pontificem Ignatius; facinoris rumor Romæ increbescere incipiebat; deferuntur acta Concilii; patet crimen; indignationem ultrà cohibere nequit Nicolaüs I, summus Pontifex, Apostolicisque fulminibus à Sacerdotio dejicitur Photius, qui eò furoris et dementiæ procedit, ut, congregatò Conciliò, ipsum anathemate percellere Nicolaüm sustineat. Occiso autem an. 867 Michaële, Basilius Imperator, Photio in monasterium detruso, Ignatium revocare properavit. Hinc damnatis rursùm in Synodo Romanâ Photiani Concilii actis, ipsoque iterùm reprobato, convocatur Constantinopolim anno 869 Concilium generale VIII, ubi Photii depositio, Ignatiique Pontificatus solemniter confirmantur.

Decem autem posthàc annis, mortuo Ignatio, Photius Constantinopolitanam iterùm Ecclesiam armis invadit, ipsoque apud Joannem VIII agente Imperatore, Episcopali tandem sedi legitimè imponitur. Vix autem in Ecclesiasticum regimen fuerat restitutus, cùm seductis iterùm Pontificis Romani Legatis, falsâque congregatâ Synodo, quam generalem octavam vocare præsumpsit, sacra Concilii octavi generalis acta rescindere non veretur. Quâ certior factus audaciâ Joannes VIII, depositionis sententiâ Pho-

tium rursùs à Sacerdotio dejecit, quam Marinus post eum, et post Marinum Adrianus III, et post Adrianum Stephanus V renovârunt. Stabat nihilominùs super Constantinopolitanâ sede schismaticus Photius, propter Imperatoris Basilii tutelam confidens. Illius autem defuncti Leo Sapiens filius et successor depulsum à Constantinopoli Photium in monasterium detrudit, ubi tandem anno circiter 886 mortuus est.

Inter Photii opera hæc præcipuè notanda occurrunt: 1°. *Bibliotheca*, Græcè Μυριοβιβλων dicta, quia 279 vel 280 Scriptorum perlecti ab eo libri recensentur; sacros hìc et profanos auctores nullo ordine digestos reperies, sed prout memoriæ vel lectioni occurrebant; 2°. *Nomocanon*, ubi Conciliorum Canones et leges Imperatorum de rebus Ecclesiasticis excellenti ordine digestas legere datur; 3°. *octo theologici Tractatus*, inter quos eminet liber *de duabus in Christo Voluntatibus*; 4°. *Epistolæ* eleganter scriptæ.

Nullo meliùs testimonio describi possunt præstantissimæ Photii dotes, quàm Nicetæ Paphlagonii, qui vitam Sancti Patriarchæ Ignatii descripsit, narratione: « Erat, inquit, » Photius, homo minimè obscurus aut ignobilis, sed claris » et illustribus oriundus natalibus, rerumque civilium et » politicarum usu, prudentiâque et sapientiâ clarissimus; » grammaticæ quoquè, litteraturæ, et carminis pangendi, » dicendique laude, quin et philosophiæ et medicinæ » atque omnium propè liberalium disciplinarum exter» narum studio cognitioneque tantoperè floruit, ut ævi » sui facilè princeps haberetur. Imò et cum veteribus jam » posset componi; omnia quippè confluxerant in illum, » aptitudo quædam et naturæ vis et felicitas, opes quibus » sibi librorum maximam copiam comparabat; et, quod » præ cunctis, gloriæ laudisque cupido, quâ flagrans totas

» noctes, ut lectioni assiduè vacaret, insomnis ducebat. » Felix quidem ingenio, virtute autem felicior, si quas Deo debebat dotes non in Deum convertisset, illam impugnando Ecclesiam de quâ dixit Christus: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit; si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus.*

EDITIONES.

Nulla generalis habetur Photii editio. Separatim lucem viderunt:

1°. *Bibliotheca*, quæ *Latinè* primùm ex *Schoti* interpretatione prodiit *Augustæ* an. 1606. *Græcè* autem et *Latinè* 1611 *Genev.* cum ejusdem *Schoti* versione in-fol., et 1653 *Rothomagi* apud *Berthelinos*; quæ præstantior est editio.

2°. *Nomocanon* lucem vidit *Latinè* an. 1561 *Parisiis et Basileæ. Græcè* autem et *Latinè* 1615 *Parisiis*, à D. *Justel* cum *Balsamonis* scholiis; reperitur etiam inter *Balsamonis* opera, et in Pandectis Canorum Anglicanorum.

3°. *Epistolæ* cum versione *Richardi de Montaigu Londini* 1651 prælo subjectæ fuerunt.

4°. *Liber de duabus in Christo Voluntatibus* reperitur in superaddito collectioni *Canisii* volumine, auctore *Stevart*.

5°. Aliæ Theologicæ dissertationes habentur in quinto *Canisii* tomo.

§ XII.

Anastasius Bibliothecarius, circà finem noni seculi.

LATINUS.

Anastasius, Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, Nicolaï I, Adriani, II et Joannis VIII temporibus floruit.

A Ludovico II, Italiæ Imperatore, ad Basilium Orientis Imperatorem missus, Concilio Constantinopolitano, generali VIII, anno 869 interfuit, ubi, propter accuratam Græcæ Latinæque linguæ notitiam, summi Pontificis Legatos plurimùm adjuvit. Quo anno defunctus sit nullâ certâ ratione statui potest; illud tantummodò affirmandum, quòd Joannis VIII anno 882 defuncti temporibus superstes adhùc vixerit, undè ad finem noni seculi referendus videtur.

E Græco sermone in Latinum vertit : 1°. VII *et* VIII *Conciliorum generalium acta*; 2°. *plura circa Monothelitarum historiam Monumenta*; 3°. *Chronographiam tripartitam*, quæ Nicephori, et Georgii, et Theophanis chronica ab orbe condito usquè ad Leonis Armenii Imperium complectitur; 4°. *S. Joannis Elemosynarii vitam*; 5°. *Sancti Demetrii Passionem*.

Scripsit autem ipse : 1°. plurimas præcedentibus versionibus præmissas *Præfationes*; 2°. *Præfationem* iterùm in S. Dionysii Areopagitæ interpretationem; 3°. *summorum Pontificum acta* à S. Petro usquè ad Nicolaüm I, vel etiam ad Adrianum II, quæ falsò olim Damaso Papæ tribuebantur.

Non parùm Latinis profuerunt Anastasii versiones, qui utriusque linguæ peritissimus magnam pro tempore doctrinæ famam adeptus est.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Nulla generalis exstat Anastasii operum editio. Separatim è prælo exierunt :

1°. *Acta Conciliorum*, in Conciliorum collectionibus.

2°. *Collectio* monumentorum ad Monothelitas pertinentium, curante P. *Sirmundo*, anno 1620.

3°. *Passio S. Demetrii* in primo Analectorum P. *Mabillonii* tomo.

4°. *Summorum Pontificum acta*, *Moguntiæ* anno 1612, et *Romæ* auctore *Bianchino* an. 1718, 4 vol. in-fol.

CAPUT X.

De Scriptoribus Ecclesiasticis decimi seculi.

Nullum ferè Ecclesiæ seculum paucioribus inclaruit scriptoribus. Si qui hinc et indè occurrunt, qui libros conficere attentaverint, macilenta quædam et semibarbara emiserunt opera, quæ nec argumentorum pondere, nec dictionis urbanitate, lectorum animos alliciunt. Cùm tamen quædam, licèt rara et obscuriora, lumina ex densis ignorantiæ tenebris emicuerint, à referendis eventibus primùm, deindè scriptoribus hujus seculi minimè abstinendum duximus.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica decimi Ecclesiæ seculi.

§ I.

Regum Imperatorumque Series.

IMPERIUM ORIENTIS.

Leo Philosophus, primo hujus seculi anno, filium suscipit *Constantinum Porphyrogenetam*, et post 27 annos regni morte consummatur anno 911.

Constantinus Porphyrogeneta puer adhùc, primùm sub *Alexandri* Leonis fratris, deindè verò sub *Nicolaï* Patriarchæ, posteà verò sub *Zoës* matris tutelâ Imperium gerit; expulsâ autem anno 919 Zoë, *Romanoque Lecapene* in regni comitem assumpto, solus administrat Constantinus et anno 49 regni, Christi autem 959 veneno, quod à proprio susceperat filio, peremptus moritur.

Romanus II, dictus *Junior*, ejus filius et successor, tribus tantùm annis ademptum veneno regnum administrat, annoque 963 morte præripitur.

Nicephorus Phocas, ab exercitu Imperator renuntiatus, anno regni 7, Christi 969, interficitur.

Joannes Zimiscès locum ejus 7 annis occupat, annoque 976 veneno confectus tumulatur.

Basilius II et *Constantinus* VIII, filii Romani Imperatoris, in solium restituuntur, et hujus seculi finem cum parte seculi sequentis non modicâ longissimo complectuntur Imperio.

IMPERIUM ET REGNA OCCIDENTIS.

Occidens decimo seculo in Imperium, Italiam, Galliamque præsertim dividebatur.

IMPERIUM GERMANICUM.

Ludovicus IV, Arnulphi filius, qui accuratè distingui debet à Ludovico III, Bosonis filio, regnúm Italiæ contra Berengarium affectante, ultimus *Carlovingianorum*, sedem Imperatoriam occupat; illoque ad annum 912 defuncto, Imperator non jam nativitatis, sed electionis jure creatur.

Conradus I à Germanicis principibus eligitur, septemque annis regnat, id est usquè ad annum Ch. 918.

Henricus I, cognomine *Auceps*, Othonis Saxonum

Ducis filius, Imperium suscipit, defunctusque anno Ch. 936, regni autem 17, sceptrum filio moderandum relinquit.

Otho I, cognomine *Magnus*, Italiam ab Imperio aliquandiù alienatam, suæ ditioni subjicit, Romæque à summo Pontifice Imperatoriâ coronâ redimitur an. Ch. 962. Filium suum Othonem II pariter anno 967 coronandum curat. Deniquè anno 37 regni, Ch. 973, gloriâ insignis ex hâc vitâ decedit.

Otho II, cognomine *Rufus*, patris suscipit vices, regnumque per 11 annos feliciter dirigit, id est, usquè ad annum 983.

Otho III ad Imperium, mortuo patre, provehitur, et decimum seculum cum seculo undecimo conjungit.

ITALIA.

Italia interim continuis concutiebatur dissidiis :

Ludovicus III, Bosonis filius, de Italiæ regno cum *Berengario* contendit, à quo anno 905 captus oculis orbatur.

Berengarius I Imperatorio diademate redimitur, sed impugnatur à *Lamberto*, *Viti* Spoleti Ducis filio, qui ab Italicis Imperator renuntiatur. Illo autem per insidias occiso, *Berengarius* Italiam solus occupat,

Berengario rursùm anno 924 occiso, *Radulphus* Burgundionum Dux Italiam regendam suscipit.

Hugo, Arelatensis Comes, mox *Radulphi* recedentis loco sufficitur, pactoque fœdere cum *Radulpho*, Italiæ regno præsidet.

Anno 933 novum exurgit bellum *Arnulphum* inter spurium *Arnulphi* Imperatoris filium, et *Hugonem*, qui victor evadit. Sed anno 945 iterùm expellitur à *Berengario* II, Ivrensis Marchionis filio ; *Lotharius*que in illius locum substituitur.

Lothario rursùm anno 950 defuncto, *Berengarius* II, Italiæ coronam sibi vindicat, cum *Adalberto* filio. *Adelaïda* autem, Lotharii vidua, Othonem I Imperatorem in auxilium vocat. Devictos Berengarium et Adalbertum regno frui permittit, Adelaïdamque in matrimonium ducit. Cùm autem novi illi Italiæ reges Italiam simùl et Ecclesiam Romanam vexarent, ab Italiâ expelluntur, victorque Otho coronam Longobardorum à Mediolanensi Archiepiscopo, Imperiale autem diadema ab ipso summo Pontifice Joanne XII suscipit.

Inter omnes autem illas concussiones immota permanebat Roma, quæ ab *Alberico*, Marosiæ filio, Joannisque XI fratre occupabatur. Ille, mutatâ administrationis formâ, Consulis nomen sibi vindicat, urbemque contra omnes contendentium conatus viriliter defendit. Ejus anno 954 mortui vices suscipit filius *Octavianus*, qui, ut spiritalem potestatem temporali auctoritati consociaret, se ad Pontificatum promoveri curavit, primusque omnium nomen, suscepto Pontificatu, mutavit, et dictus est Joannes XII. Annos tantùm 18 natus, consecratus est indignusque Pontificatu Ecclesiam vitiis fœdavit, et vocatum Othonem Imperatorio diademate redimivit.

GALLIA.

Carolus III, cognomine *Simplex*, regnum aliquandiù pacificè gerit. Anno autem 922 *Robertus* eligitur, Rhemisque consecratur rex Galliæ, cui inter præliandum occiso, substituitur *Radulphus*, Burgundionum Dux. Carolus autem captus primùm anno 923, in carcere posteà finem vitæ invenit anno 929.

Radulphus, qui Caroli vices invaserat, regnum producit usquè ad annum 936.

Ludovicus IV, cognomine *Ultramarinus*, potitus regno, plura bella gerit, moriturque anno 954. Ab hoc tempore regnum inter filios jam ampliùs non fuit divisum; sed primogenito soli nomen et jura regia tributa sunt. Undè provecta brevì, aliter sæpiùs imminuta, regni gloria.

Lotharius ejus filius et successor, bellum cum Othone II Imperatore gerit, regnumque anno 986 veneni complet insidiis.

Ludovicus V, cognomine *Piger*, quamvis sollicito semper foret ingenio, 20 annum agens ab uxore *Blanchâ*, ut videtur, veneno perimitur anno 987. Hìc *Carlovingianorum* in Galliâ finis.

Mortuo Ludovico V, *Hugo Capetus*, Francorum Dux, posthabito Carolo Lotharingiæ Duce, qui hæreditario jure ad solium vocabatur, eligitur in regem, captoque Carolo, et intra carcerem defuncto, novam instaurat regum seriem, quæ *Capetianorum* dicitur. Moritur anno 996.

Robertus, ejus filius, regnum inchoat, in seculum sequens diutiùs producendum.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

Benedictus IV, Episcopali cathedræ insidet, vitâque cedit anno sequenti, Christi 903.

Leo V, quadragesimo post electionem die expellitur, conjiciturque in carcerem à *Christophoro* qui sanctam sedem invadit, dùm Leo in carcere dolore conficitur.

Christophorus, qui à pluribus pseudo-pontificibus accensetur, post septem menses à *Sergio* dejicitur qui Formosi tempore et ipse pseudo-pontifex audierat, et de Pontificatu cum Joanne IX decertârat.

Sergius III quatuor annis Pontificatum gerit, Joannem IX ejusque successores sibi olim præpositos pseudo-pontifices malè habet, Formosoque Papæ infensus, quæ Stephanus VI contra illum perpetraverat, approbare non veretur. Moritur anno 911.

Anastasius III duobus annis Ecclesiæ sapienter præest, id est usque ad annum 913.

Illo defuncto eligitur *Lando*, qui sex mensibus tantùm Pontificatum dehonestavit cæcâ erga Theodoram veterem, Marosiæ matrem, subjectione.

Theodoræ junioris, præcedentis filiæ, astutiâ eligitur *Joannes* X, qui, licèt indignâ viâ ad Pontificatum promotus, illum tamen pacificè exercet per 14 annos. Marosiæ autem, Theodoræ sororis, odio exagitatus, illâ suadente, à Vito ejusdem conjuge, Hugonisque fratre, in carcerem conjectus, suffocatione perimitur anno 928.

Leo VI, ejus successor, post sex menses morte perculsus, sedem alteri relinquit anno 929.

Stephanus VII anno 931 pariter Ecclesiæ administrationi subtrahitur.

Joannes XI non Sergii III, ut ex populari famâ Liutprandus refert, sed Alberici Spoleti Ducis et Marosiæ filius, regendam Ecclesiam, 25 annos natus, matris auctoritate suscipit, sed ab Alberico ejusdem Marosiæ filio in carcerem cum matre conjectus, anno 936 extremum exhalat spiritum.

Leo VII collatam summi Pontificis dignitatem invitus sibi imponi patitur, zeloque et virtutibus insignis mortem citiùs obit anno 939.

Stephanus VIII quarto Episcopatûs anno, Christi 943, transit ad Deum.

Marinus, aut Martinus III, post tres sancti Pontificatûs annos, anno 946 vitæ finem invenit.

Agapitus II, zelo et caritate commendandus, nono post electionem anno, Christi 955, cœlum defunctus repetit.

Joannes XII, Alberici filius, *Octavianus* anteà dictus, 18 annum agens, mutato primus omnium nomine, Othoni I Imperatori cujus opem contra Berengiarum II imploraverat, imperiali diademate redimit, et semper fideliter adhærere juramento se astringit; sed brevì ejus inimicis adjungitur. Undè reversus Romam Otho, indignum Pontificem, maximis sceleribus obstrictum, horrendisque impuditiis fœdatum, congregatâ Synodo, deponit anno 963. *Leo* VIII in ejus locum suffectus, discedente Othone, reversoque Joanne XII, expellitur. Mortuo annò 964 Joanne, *Benedictus* V successor à Romanis datur. Redux autem Otho Benedictum depositùm in exilium mittit, ubi moritur anno 965, Leonemque VIII restituit, qui eodem anno Romæ vitam consummat. Leo VIII à D. *Fleury* veris Pontificibus accensetur, à *Baronio* verò et patre *Sagi* inter pseudo-pontifices amandatur; quibus posterioribus potiùs acquiescendum putamus, cùm Joannes XII non potuerit deponi secularis principis et particularis Concilii auctoritate. Dici tamen potest illum, acquiescente ultrò depositioni injustæ Benedicto V, legitimum aliquandò forsàn evasisse.

Joannes XIII, consentiente Imperatore, sed invitis Romanis ad Apostolicam dignitatem promotus anno 965, à Petro, Romæ Præfecto, ab urbe expellitur. Redux iterùm Otho, illum restituit, Petrumque castigandum ipsi Joanni tradit. Moritur anno 972.

Benedictus VI à Crescentio strangulatur anno 974; quo adhùc vivente, *Bonifacius* VII, pseudo-pontifex, sedem Episcopalem invadit.

Donus II, Benedicti successor, quem pravè nonnulli à summorum Pontificum serie expellunt, eodem anno 974 citiùs morte præoccupatur.

Benedictus VII anno 983 Pontificatum cum vitâ amittit.

Joannes XIV à redeunte Bonifacio VII, qui Constantinopolim aufugerat, in Castellum sancti Angeli captivus detruditur, ubi moritur anno 985. Eodem anno morte plectitur Bonifacius.

Joannes XV electus, sed, ut videtur non consecratus, Deo statim restituitur eodem anno 985.

Joannes XVI, qui et à quibusdam XV, substracto precedente dicitur, *à Crescentio* Romæ Patricio vexatus, Uldaricum, Augustanum Episcopum, solemni *Canonizatione*, cujus anteà nullum exstabat exemplum, Sanctorum numero ascribit, undecimoque Pontificatûs anno, Christi 996, vitæ curriculum perficit.

Bruno, Othonis propinquus, cum *Gregorii* V nomine sacræ imponitur Cathedræ; sed à Crescentio expellitur qui ejus in locum sufficit *Joannem Philagathum* pseudopontificem. Veniens autem Imperator, expulso Joanne, cujus etiam manus et aures amputari præcepit, Gregorium V legitimum Pontificem restituit. Moritur anno 999.

Gerbertus, Archiepiscopus Ravennensis, in Pontificem electus, *Sylvestri* II nomen sibi assumit; acta ejus Pontificatûs ad undecimum seculum pertinent.

§ III.

Ecclesiæ adversarii in decimo Ecclesiæ seculo.

Illo seculo, sicut pauci Doctores, ità providente Deo, nulla nova prodiit hæresis. Nonnulli fortè in Italiâ deprehensi sunt *Anthropomorphitæ*, id est qui Deo formam humanam tribuebant. A *Ratherio*, Veronensi Episcopo, confutati brevì evanuerunt.

In Occitaniâ *Walafridus* homo ignobilis animam immor-

talem negare præsumpsit, sed efficaciter expugnatus est à *Durando*, Castrensi Abbatiæ Præfecto, quæ posteà Ecclesiæ Episcopalis privilegium à Joanne XXII adepta est.

§ IV.

Concilia generalia decimi Ecclesiæ seculi.

Nullum hoc seculo generale Concilium celebratum est.

ARTICULUS II.

De Sanctis Patribus, sivè Ecclesiasticis Scriptoribus decimi Ecclesiæ seculi.

Obscurum quidem sed non omni prorsùs doctrinâ vacuum exstitit decimum Ecclesiæ seculum. Tunc enim inter alios floruerunt *Odo Cluniacensis*, *Simeo Metaphrastes*, *Atto Vercellensis*, *Flodoardus*, *Liutprandus*, et *Ratherius*, quorum tamen nullus inter Sanctos recensetur.

§ I.

Odo Cluniacensis, anno 942.

LATINUS.

Odo, Abbonis filius, Turonis in Galliâ natus est, anno 879. A *Fulchio*, Andegavensi Comite, educatus, et ad Canonicatum S. Martini Turonensis anno ætatis decimo nono promotus, Parisios paulò post deveniens, Remigium Altissiodorensem magistrum discipulus audivit. Inito soli Deo vivendi consilio, vitam monasticam in monasterio Balmensi, cui *Berno* præerat, professus est. Clunianensis Abbas electus strictiorem observantiam, in plurima propagatam monasteria, Romam usquè produxit, quam tribus

susceptis itineribus invisit, primo quidem anno 936, secundo autem anno 938, ultimo tandem anno 942, vocantibus summis Pontificibus, ut inter Italiæ principes pacem mediator componeret. Indè cùm monasterium redux repeteret, Turonis mortuus est, eodem anno 642, ætatis 63.

Nullum vitæ tempus consumpsit, quin utili cuidam incumberet operi. Canonicus enim *Breviarium S. Gregorii Papæ Moralium* confecit, *Hymnis*que et *Antiphonis* B. Martini exornavit memoriam; monachus autem, tres scripsit *de Sacerdotio* libros, qui *Collationes* à quibusdam, ab aliis verò *Occupationes* dicuntur; Abbas deniquè *S. Gerardi* Aureliacensis Comitis, et *S. Martialis* Lemovicensis Episcopi vitam cum *Narratione Translationis B. Martini* ejusdemque *encomio*, nec non et sermones quosdam, et *S. Benedicti panegyricam Orationem* composuit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Ejus opera leguntur in Bibliothecâ Cluniacensi cum hymnis in sanctissimum Sacramentum et in B. Magdalenam.

§ II.

Simeo Metaphrastes, ante annum 950.

GRÆCUS.

Simeo Metaphrastes, Constantinopoli circà finem noni seculi natus, non nativitatis solùm jure, sed præstantibus animi dotibus præcipuas dignitates imperii assecutus est. Apud *Leonem Philosophum* et *Constantinum Porphyrogenetam Logothetæ* seu *Apocrisiarii* munere functus, suadente eodem Constantino, Sanctorum acta collegit, panegyrici potiùs quam historici more; hinc mutare eloquium,

indè quæ placebant superaddere, vel quæ displicebant detrahere non veretur. Multa quidem supersunt quæ ejus nomine circumferuntur, sed genuina cum falsis permixta vix possent distingui, nisi *Allatius* in diatribâ *de Simeonum scriptis* magnâ sagacitate curâsset lumen his tenebris inferre. Adeant illud opus, qui hanc quæstionem voluerint penitùs explanare; nobis dicere sufficiat 100 esse Sanctorum acta quæ Simeoni Metaphrastæ vindicantur, 100 quorum ignorantur auctores, 450 autem quæ veris auctoribus restituuntur. Præter illud de *Actis Sanctorum* opus, *plures etiam de præcipuis anni festis Sermones, Hymnos* et *Preces* in Græcorum libris obvias, *morales*que insuper *Orationes* ex operibus S. Basilii detractas ascripsit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

1°. Opus *de Actis Sanctorum* sæpiùs Latinæ fidei redditum est, ét excusum reperitur apud *Surium*; *Græca* verò adhùc desideratur editio.

2°. *Sermones* nondùm prælo fuerunt subjecti.

3°. *Morales* ex *S. Basilio Orationes* cum B. Doctoris operibus excusæ sunt.

4°. Quædam apud *Allatium* sivè soluto sermone, sivè modulato occurrunt.

5°. Nonnulla deniquè Græca carmina apud *Corpus poëtarum Græcorum* leguntur, *Genev.* 1606, et 1614, 2 vol. fol.

§ III.

Atto Vercellensis, *anno* 960.

LATINUS.

Atto, cognomine *Secundus*, filius Aldegarii, Lothario, Italiæ Regi qui illum inter Consiliarios assumpsit, gratissimus, Vercellensem Ecclesiam ab anno 945 usquè ad annum 960 administravit. Plura confecit opera quæ diutiùs in Bibliothecâ Vaticanâ latuerunt, nempè: 1°. *Capitularium* 100 articulis conceptum, quo Vercellensi Clero disciplinæ regulas à veteribus assumptas proponit; 2°. *tractatum de Persecutionibus Vexationibusque Clero intentatis*, tribus partibus divisum, quorum de injuriis primò in personas, secundò in ordinationes, tertiò in bona illatis agit; 3°. undecim *Epistolas* de diversis.

Omnia ferè ejus opera rescriptis librorum divinorum sive sanctorum Canonum, veterumque Patrum testimoniis coalescunt. Quæ ipsi propriè auctori referuntur, ingenium in inveniendo, acumen autem in scribendo exhibent.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Attonis scripta excusa fuêre sivè in *Spicilegio P. Dacherii* tomo 8, sivè in particulari editione *Caroli Barontii*, *Vercellis* anno 1768, 2 vol. in-fol.

§ IV.

Flodoardus, *anno* 976.

LATINUS.

Flodoardus, seu *Frodoadus*, Sperniaci notus anno 894, Ecclesiæ Rhemensis Canonicus, Remigio Altissiodo-

enim *summorum Pontificum* et *Gothorum Chronica*, quæ ejus nomine circumferuntur, ad eum minimè pertinent. Illi autem jurè adjudicantur : 1°. *Historia*, sex libris divisa, quâ præcipuos hujus temporis eventus recenset, nempè à Leonis VI Orientis et Arnulphi Occidentis Imperatorum regno ad Luitprandi legationem Berengarii nomine susceptam; liber ultimus imperfectus deprehenditur. Adjunctum est quoddam fragmentum de Berengarii expulsione et damnatione Joannis XII, quod scribendi modo Luitprandi non alienum videtur; 2°. *Narratio Legationis*, quam apud Nicephorum Phocam Othonis Magni nomine susceperat, quâ plura de Græcorum tunc Imperatorum moribus curiosa notantur.

Non semper in narrando sincerus, modò satyricus nimiùm carpit, modò nimiùm adulator blanditur. Dura et concisa dictio, sed virilis et vehemens; movere magis quàm placere peritus videtur. Græco uti eloquio, solutoque sermoni carmina intermiscere affectat.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

1°. *Historia* excusa est *Basileæ*, anno 1532.

2°. *Legationis narratio Ingolstad.*, anno 1600 ab *Henrico Canisio.*

3°. *Utraque* autem ab *Hieronymo de la Higuera* et *Laurentio Ramiresio*, *Antuerpiæ*, anno 1640, in-fol.

§ VI.

Ratherius, anno 974.

LATINUS.

Ratherius, vitâ simùl et scriptis clarus, Abbatiæ Lobbensis monachus, liberalium artium studio primùm enituit.

Hilduino, qui Episcopatum Leodiensem invaserat, comes addictus, in Italiam illo expulso ad Hugonem regem se recepit, à quo Hilduinus ad Episcopatum Veronensem promotus est. Cùm autem Hilduinum paulòpost Hugo Mediolanum transferre vellet, Ratherium Romam misit; undè translationis approbationem cum *Pallio* ad Hilduinum referret; quo facilè impetrato, ad regem brevì reversus est Ratherius, epistolam insuper eidem referens, quâ summus Pontifex Ratherii ipsius promotionem ad Veronensem Episcopatum postulabat. Hoc quanquam sibi ingratum, eò tamen libentiùs concessit Hugo, quòd Ratherium morbo laborantem videret, à quo brevì perimendum esse sperabat. Illi autem convalescenti, annoque 931 in Episcopum consecrato, tale odium vovit, ut omnibus modis vexandum susciperet. Hinc juramentum primò extorquere voluit, quo redituum parti solemniter renuntiaret. Injusto suscribere imperio recusat Rhaterius; augetur principis furor; quæruntur expulsionis causæ; exsurgente autem contra Arnulphum bello, tam sollicitè expectata præbetur vindictæ causa. Expugnatâ urbe potitur Arnulphus; perfidiâ Ratherius incusatur, receptâque Veronâ detruditur in carcerem. Undè post duos annos et sex menses captivitatis, quinque annis exulare cogitur.

Vix aliqua recuperandæ Ecclesiæ spes illuxerat, cùm Italiam repetit; sed à Berengario captus suadente Mediolanensi Archiepiscopo Manasse; tribus iterùm mensibus in carcere detinetur. Veronam indè reductus, et à Milone ejus urbis Comite exceptus, ità duobus annis tyrannico hujus imperio oppressus est; ut nullâ prorsùs libertate frueretur. Consecratur interìm à Manasse, Archiepiscopo Mediolanensi, alter Veronensis Episcopus, injungiturque Ratherio, Imperatoris Lotharii nomine, statim abeundi mandatum. Quod ultrò fecisset, ut ipse testatur, nisi

obstaret Evangelium, hoc accepto mandato libenter executus est. Variâ deindè actus fortunâ, ab Othone tandem Imperatore vocatus, Brunoni ejusdem fratri comes additur. Quo anno 953 ad Coloniensem Archiepiscopatum assumpto, Ratherio simul Leodiensis Episcopatus conceditur. Sed miserum urgere perseverat calamitas: potentes adversùs illum partes exsurgunt, secundoque anno ab hâc iterùm Ecclesiâ expellitur.

Stabat autem semper animo incussa primi Episcopatûs Veronensis memoria; illum repetere conatur, cùm Otho in Italiam secundum iter dirigeret. Magnæ autem obstabant difficultates, quandoquidem Milonis nepos Ecclesiam administraret, ejusque ordinatio à Pontifice Romano fuisset approbata; urget nihilominùs; epistolas Joanni XII Galliæque et Germaniæ Episcopis multiplicat; Concilium exposcit, tantosque motus excitat, ut congregatâ Papiæ Synodo, tandem Episcopali Cathedræ restituatur. Cùm autem jam à primo restitutionis tempore, nova cum Clericis propter Disciplinæ integritatem excitarentur dissidia, concepto recedendi proposito, in Galliam anno 966 se transtulit, ubi emptis prædiis, occupatisque pluribus Abbatiis, vitam tantis exagitatam tempestatibus pacificè tandem consummavit anno 974.

Scripsit; 1°. *librum Perpendiculorum*, seu *Visio latronis inter plures alios suspensi*, quo Clericorum vitia vehementer reprehendit; 2°. *Conclusionem deliberativam* Leodio factam, quâ quadraginta rationes exponit, quibus Episcopatum abjicere dissuadebatur; 3°. *Qualitatis conjecturam cujusdam*, quâ inimicorum malitiam continuò deridet; 4°. *Tractatum de exorto post ejus restitutionem dissidio*, quo Clericorum vitia, quibus remedia afferre tentaverat, iterùm impugnat; 5°. *Tractatum apologeticum*, quo non totius vitæ, sed pecuniarum tantùm

summæ ab Imperatore collatæ ad reædificandam S. Zenonis Ecclesiam rationem reddit, ostenditque illam non pauperibus fuisse erogandam, sed juxta Imperatoris mandatum expendendam; 6°. *Orationem contra Clericos*, quâ illorum rebellionem exprobrat; 7°. *Chartam*, quâ Clericos regulares in monasterium quoddam, expulsis monachis turpiter viventibus, instituit; 8°. *Mandatum*, quo matrimonium in Quadragesimâ et die Dominicâ initum damnat; 9°. *Epistolas quinque particulares*, unamque *Synodicam* quâ Clericorum ignorantiæ, expositis illorum officiis, subvenire conatur; 10°. *Itinerarium Romanæ peregrinationis*, quâ Clericis minatur se iter Romam suscepturum, ut illorum damnationem urgeat; 11°. Nonnullos *Sermones* de variis anni festis.

Ratherii eloquium, licèt obscurum et intricatum, propriis tamen et nitidis verbis concipitur; sicut in argumentis rectus plerumquè et probandus, ità et in dictione vivus simùl et acutus. Canonum, quos fideli memoriâ tenebat, Latinorumque Patrum, quos sæpiùs perlegerat, frequenter auctoritatem, nec intempestivè adhibet. Pravos Ecclesiasticorum virorum mores ità acriter reprehendit, ut extrà limites quandoquè excurrere videatur.

EDITIONES PRECIPUÆ.

Ratherii opera, quæ retulimus, legi possunt apud P. *Dacherii Spicilegium*, tomo II, anno 1655, *Parisiis*, 13 vol. in-4°.



CAPUT XI.

De Scriptoribus Ecclesiasticis undecimi Ecclesiæ seculi.

Quò magis in historiæ curriculum progreditur, eò magis multiplicatis imperiis exsurgit obscuritas, quam solitâ methodo discutere curabimus.

ARTICULUS I.

Appendix historica undecimi Ecclesiæ seculi.

§ I.

Regum Imperatorumque series.

Cùm Orientis imperium jam à Photii tempore ab Ecclesiâ Latinâ alienatum, non tamen unitatis vincula, nisi circa medium hujus seculi penitùs diruperit, ab ejus Imperatorum serie referendâ nondùm abstinebimus.

ORIENTIS IMPERIUM.

Basilius II et *Constantinus* VIII, qui à 25 annis ineunte seculo undecimo regni habenas moderabantur, longum diù producunt imperium. Defuncto anno 1025 post 50 regni annos Basilio, solus res administrat Constantinus usque ad annum 1028.

Romanus III, cognomine *Argyrus*, ejus in locum sufficitur, et anno 1034 veneno tentatus, strangulo consummatur jubente Zoë uxore, quâ procurante :

Michaël IV, cognomine *Paphlagonius*, origine et moribus infamis, Zoës adulter amasius, regali cathedræ imponitur, et post 8 annos Imperii, anno 1041 à regno se abdicat.

Michaël V, cognomine *Calaphatus*, iterùm à Zoë extollitur; sed anno sequenti *Constantinus Monomachus*, illo dejecto, Imperio simùl et Zoë potitur, quam matrimonio sibi conjungit.

Constantinus IX, cognomine *Monomachus*, 11 annis Orientis administrationem gerit, et anno 1054 diem obit supremum. Illo regnante *Michaël Cærularius* à Romanis Legatis anathemate percellitur, Oriensque penitùs scinditur ab Occidentali Ecclesiâ.

Theodora, Zoës soror, regnum duobus annis occupat, et anno 1056 è vitâ decedit.

Michaël VI, cognomine *Stratioticus*, quem ante mortem Theodora ad Imperium vocaverat, post annum à potestate supremâ se abdicat.

Isaac Comnenès, susceptum à Michaële diadema, post duos annos, in monasterium se recipiens, *Constantino Ducæ* relinquit.

Constantinus Ducas, numero X, post annorum 9 Imperium, anno 1067 ultimum emittit spiritum.

Eudoxia, cum tribus Constantini filiis, *Michaële* VI, *Andronico* I, et *Constantino* XI, aliquandò sola supremum tenet dominium, sed contracto vix post annum matrimonio cum *Romano Diogene*, illum rebus præponit.

Romanus IV, dictus *Diogenès*, à Turcis anno 1071 captivus abducitur.

Michaël VI Constantini et Eudoxiæ filius, rerum administrationi à Romano Diogene subtractus, Imperatoriam recipit potestatem, Romanoque Diogeni, à Turcis liberato, oculos effodi jubet, qui et paulò post vitæ finem imponit.

Michaële autem anno 1078 in monasterium detruso, summam auctoritatem invadunt *Nicephorus Botoniates*, et *Nicephorus Bryennès*.

Alexis I, dictus *Comnenès*, expulso Nicephoro Botoniate, Imperator an. 1080 declaratur, regnoque 40 ferè annorum undecimum claudit seculum, duodecimumque aperit.

Non ultrà de Orientali dicemus Imperio, quod ab unitate divisum, nostro jam scópo prorsùs alienum arguitur.

IMPERIUM ET REGNA OCCIDENTIS.

IMPERIUM GERMANICUM.

Otho III qui diù jam, licèt junior, deficiente seculo præcedente regnabat; secundo præsentis seculi anno moritur.

Henricus II, modò *Sanctus*, modò *Claudus* cognomine dictus, Dux anteà Bavariæ, Imperator à principibus Germaniæ eligitur, et anno 1024 è vitâ decedit.

Conradus II, cognomine *Salicus*, Henrico sufficitur. Anno regni 22, Christi autem 1039 tumulo conditur.

Henricus III, cognomine *Niger*, ejus filius, 17 annis rerum summâ potitur, et anno 1056 mortem subit.

Henricus IV, ejus filius et successor, quinque tantùm annos natus ad regnum vocatur. Sceptrum 50 annis retinet; contra summum Pontificem qui, illo anathemate perculso, Radulphum legitimum Imperatorem agnoverat, ipsâ Româ obsessâ, bellum gerit ex utrâque parte acerrimum. Mors ejus in seculum sequens incidit.

GALLIA.

Robertus ab anno 996, Galliarum rex, post 35 annos regni diem obit supremum inter subditorum lacrymas, anno 1031.

Henricus I, per 29 annos regnum protendit, et anno 1060 locum moriens filio relinquit.

Philippus I, repudiatâ Berthâ, Bertradem in uxorem sibi malè assumit, propter quam sæpiùs anathemate percellitur. Illâ autem dimissâ, Ecclesiæ reconciliatur. Regnum ejus, per 48 annos productum, in duodecimum seculum extenditur.

Sic tribus principibus totum in Galliâ conficitur undecimum seculum; ità semper principibus suis Galli fuerunt devoti!

ANGLIA.*

Eodem tempore Anglia, *Guillelmo*, *Victore* dicto, principatum tenente, futuræ potestatis prima dare cœpi specimina.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

Sylvester II qui Ecclesiam ab anno 999 moderabatur, anno 1003 moritur.

Joannes XVII sanctam Sedem quinque tantùm mensibus occupat.

Joannes XVIII, anno 1009 à Pontificatu se abdicans, monasterium petit, ubi morte brevì abripitur.

Sergius IV tribus annis Ecclesiæ præest, et decedit anno 1012.

Benedictus VIII, nequaquàm reluctante pseudo-pontifice *Gregorio*, ab omni Ecclesiâ agnoscitur, et post 12 Pontificatûs annos, ultimum reddit spiritum, anno scilicet 1024.

Joannes XIX, Benedicti frater, in ejus locum substituitur, et usque ad annum 1033 sanctæ Cathedræ insidet.

Benedictus IX adhùc puer Ecclesiæ præficitur, et post

11 annos à Romanis, propter crudelitatem improbitatemque morum, expellitur. In cujus locum pseudo-pontifex intruditur *Sylvester*. Ipse autem Pontificatu indignum se judicans Benedictus, acceptâ pecuniâ, à dignitate recedit anno 1044.

Gregorius VI legitimè electus et consecratus, post 2 annos, id est anno 1046, ab Henrico III Germanorum Imperatore dejicitur, sufficiturque in ejus vices *Clemens* II, qui, abdicante Gregorio VI, legitimus evadit, et anno sequenti, videlicet 1047, è vitâ recedit.

Benedictus IX, sacræ iterùm Cathedræ octo mensibus insidet, ab anno 1047 ad annum 1048.

Damasus II, Benedicto ultrò recedente, eligitur, et post 23 dies ad Deum transfertur.

S. Leo IX, qui contra Normannos bellum gerens captivus abductus est, quinque annis Ecclesiæ præsidet, et anno 1054 ad Cœlos evolat. Illo Pontifice schisma Græcorum à Michaële Cœrulario consummatur.

Sancta Sedes vacat uno anno.

Victor II, anno 1055 electus, secundo Pontificatûs anno, Christi 1057, Florentiæ diem obit supremum.

Stephanus IX, uno tantùm anno Ecclesiæ administrationem gerit.

Nicolaüs II, dejecto pseudo-Pontifice *Benedicto*, 1059 consecratus, anno 1061 in sepulchrum deponitur.

Alexander II, frustrà obsistente *Honorio* ab Imperatore in Episcopatum intruso, in Mantuano Concilio legitimus Pontifex declaratur, adversarioque rebellionem condonat. Duodecimo Pontificatûs anno, Christi 1073 moritur.

Hildebrandus, eodem die electus, sub *Gregorii* VII nomine, Romanus Pontifex consecratur; Henrico IV Imperatori fortiter obsistens, illum bis anathemate per-

culsum ab Imperio deposuit. Depositus ipse à falso Concilio, imò et in Româ bis obsessus, et captâ urbe ferè ipse captus, nunquàm à primâ virtute defecit. *Guiberti* pseudo-pontificis, sub *Clementis* III nomine electi et consecrati, partes delusit. Salernum demùm secedere coactus, in pace quievit anno 1085, hæc verba sæpiùs repetens : *Dilexi justitiam et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Primus omnium *Papæ* nomen soli Romano Pontifici jam ampliùs tribuendum præcepit.

Guiberto post *Gregorii* mortem Romam vexante, uno anno vacat sancta Sedes.

Victor III, anno 1086 invitus sanctæ imponitur Cathedræ, et anno sequente vitam simul et Pontificatum amittit.

Urbanus II, ab ipso *Victore* successor designatus, à *Guiberto*, qui Romam etiam armis invasit, iterùm exagitatus, per 13 annos Ecclesiam moderatur, et anno 1099 Deo restituitur.

Paschalius tandem II, seculo tantis tempestatibus concusso finem imponit, sequentisque initio præsidet.

§ III.

Ecclesiæ adversarii in undecimo Ecclesiæ seculo.

Novi Manichæi, *Berengarius*, et *Michaël Cærularius* hoc seculo Ecclesiam impugnârunt.

1°. *Novi Manichæi* in Galliâ prodierunt apud Aurelianum, imperante rege Roberto. Duos ejusdem civitatis Canonicos duces et signiferos sequebantur, qui aliquandò deprehensi anathemate perculsi sunt.

2°. *Berengarius*, Andegavensis Archidiaconus, primus post *Joannem Scotum* de quo suprà diximus, Christi corpus non realiter, sed in figurâ tantùm Sacramento subesse deliratus est. A Lanfranco maximè impugnatus,

et à pluribus etiam Romanis Conciliis sub Victore II, Nicolao II, et Gregorio VII damnatus, retractatis erroribus, pœnitentiam agens, in pace Ecclesiæ quievit.

3°. *Michaël Cœrularius*, Patriarcha Constantinopolitanus, anno 1043, scripsit contra Romanam Ecclesiam, cui potissimùm exprobrabat : 1°. quòd Latini panem azymum Sacramento adhiberent; 2°. quòd à suffocatis non abstinerent; 3°. quòd raderent barbam; 4°. quòd Sabbato jejunarent; 5°. quòd carne in Quinquagesimâ vescerentur; 6°. quòd Nicæno Symbolo hæc verba adjecissent : *Filioque;* 7°. quòd duobus fratribus duas ducere sorores permitterent; 8°. quòd inter Missarum solemnia ante Communionem in pacis osculo conjungerentur; 9°. quòd *Alleluia* in Quadragesimâ non cantarent; 10°. quòd Sanctorum Reliquiis et Imaginibus debitum non præberent honorem. Leo IX, ut totis viribus instanti Græcis calamitati obsisteret, duos Constantinopoli misit Legatos, qui à Constantino Monomacho benignè excepti frequentia cum Michaële colloquia habuerunt. Cùm autem ille errores abjurare nollet, depositâ super altare in sanctæ Sophiæ Basilicâ excommunicationis depositionisque sententiâ, recesserunt. Michaël autem eò dementiæ processit, ut in Legatos pariter et in ipsum summum Pontificem vana intentaret anathemata. Expulsus est à Sede Constantinopolitanâ Michaël, sed errores cum eo non fuerunt expulsi, nullaque ab hoc tempore deprehenduntur unionis vestigia, nisi fortè in quibusdam particularibus Ecclesiis.

§ IV.

Concilia generalia undecimi Ecclesiæ seculi.

Nullum hoc seculo generale celebratum est Concilium.

ARTICULUS II.

De Sanctis Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis undecimi Ecclesiæ seculi.

Cùm pauci hoc seculo prodierint hæretici, pauciora etiam de dogmatibus, plura verò de moralibus quæstionibus deprehenduntur; imò et paucos qui magnum sibi nomen comparaverint reperire datur scriptores, nempè *Gerbertum, seu Sylvestrem* II, *Abbonem Floriacensem, Aimonium, S. Fulbertum, Odilonem Cluniacensem, Petrum Damianum Cardinalem, Lanfracum,* et *Theophylactum.*

§ I.

Gerbertus, seu Sylvester II, *anno* 1003.

LATINUS.

Gerbertus, qui et *Gilbertus,* in Arverniâ obscuro genere ortus, et Aureliaci in monasterio S. Gerardi educatus, ità in liberalium artium, philosophiæ, mathematicorumque studio profecit, ut Bobiensis in Longobardiâ monasterii Abbas eligeretur. Rhemensi posteà scholæ præfectus, Robertum Hugonis Capeti filium, Leothericum Senonensem, Fulbertumque Carnutensem, dehinc Episcopos, discipulos habere gloriatus est; imò et Othonem III lectio-

nibus informare promeruit. Depositi Arnulphi Rhemensis Archiepiscopi locum anno 992, conferentibus cæteris provinciæ Episcopis, suscepit; quod ægrè ferens, inconsultus eâ de re tanti momenti, Joannes XV Episcopos qui Rhemense Concilium celebraverant à sacris interdixit; congregatâque novâ Mosomi Synodo, Gerbertum adesse præcepit. Ille autem, qui jam anteà interdictis scripserat Episcopis, posthabendam esse injustam summi Pontificis sententiam, eloquenti concione causam suam propugnavit. A sacris pariter interdictus, se nunquàm propter injustum judicium sacra intermissurum protestatur; vix adduci potuit, ùt à mysteriis pro pacis bono aliquandiù abstineret. Ad Rhemense Concilium rursùs anno 998 vocatus, interesse recusavit, restitutoque Arnulpho, ad Othonem III confugit, qui illum ad Ravennensem Episcopatum provexit; undè, mortuo Gregorio V Joannis XV successore, ad summum Pontificatum anno 999 assumptus est.

Hinc *Gerbertus* suscepto Sylvestri nomine, mutatâque prorsùs sententiâ, Pontificalem auctoritatem, quam anteà audaciùs depresserat, extollere satiùs duxit; sed injuriæ cæterùm immemor Arnulphum in Rhemensi Archiepiscopatu confirmavit. Pontificatûs apicem sapienter tenuit usque ad annum 1003, quo ad Dominum translatus est.

Nullus hoc tempore Gerberto doctior evasit, præsertim in profanis disciplinis. Rhetorices, Arithmeticæ, Geometriæque tractatus a se conscriptos, confectamque spheram ipse testatur. Horologiorum à quibusdam inventor prædicatur, quorum unum Magdeburgi constructum juxta polaris stellæ, quam mediante tubo introspiciebat, progressum direxit. Hinc magùs audire cœpit; hinc orta adepti per pactum cum diabolo initum Pontificatûs fabula, quæ à recentioribus hæreticis faciliùs admissa à *Gretsero* meliùs confutatur. Magnâ tùm apud Imperatores, tùm

apud Reges Galliæ auctoritate invaluit. Multas sivè Adalberonis Rhemensis Archiepiscopi, sivè principum aut matronarum nomine *Epistolas* conscripsit; plures autem proprio exaravit nomine, quæ quidem omnes ad centum et sexaginta collectæ sunt. Eodem auctore etiam supersunt: 1°. *Acta Concilii Rhemensis contra Arnulphum*; 2°. *Oratio* ad Concilium Mosocomense; 3°. *Oratio* quam, cùm esset summus Pontifex, ad Episcoporum informationem disposuit; 4°. *S. Adalberti vita.*

Simplex et candidus in epistolis, virilis et elegans in narrationibus, eloquens et facundus in concionibus, urbanitate placet, vehementiâ rapit, conterit argumentis. Utilior tamen Christiano oratori evaderet, si de rebus Ecclesiasticis, potiùs quàm de profanis scientiis sæpiùs dissereret.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Gerberti Opera seorsim excusa reperiuntur, nempè: 1°. *Epistolæ* à *D. Masson*, *Parisiis*, anno 1611; 2°. *Orationes* apud *Analecta* P. *Mabillonii*, anno 1675 et sequentibus, *Parisiis*, 3 vol. in-8°.; 3°. *Vita Adalberti* apud *Surium*.

§ II.

S. Abbo, *Floriacensis*, *anno* 1004.

LATINUS.

Abbo, apud Aurelianum natus, in scholis monasterii Floriacensis educatus est; ubi, Wulfade Abbate, vitam monasticam amplexus, ejusdem monasterii scholam aliquandiù direxit. Hinc Parisios Rhemosque venit, ut philosophiam astronomiamque addisceret; quibus cùm scientiis non proficeret, Aurelianum repetiit, ubi musicæ studio

aliquantisper operam dedit. Vocatus in Angliam duobus annis publicas lectiones habuit, undè Floriacensi monasterio rediens Abbas præfectus est. Acerrimus ordinis monastici propugnator, ità quibusdam Episcopis infensus evasit, ut Hugoni Robertoque Regibus apologiam dirigere cogeretur. Romam à Roberto Rege legatus, ut summi Pontificis regnum interdicto percellere minantis iram flecteret, quæcumque postulaverat feliciter consecutus est. Abbatiam Regulensem, duobus susceptis itineribus, ad meliora revocare aggressus, dùm exortum servos inter suos et Vascones dissidium sedare conaretur, lanceâ perfossus occubuit anno 1004, Sanctisque annumerandus ad cœlum evolavit. Memoria ejus inter Martyres die novembris 13 in Galliæ Martyrologiis recensetur.

Inter præcipua Abbonis opera pervolvuntur : 1°. *Apologia*, cujus occasionem suprà notavimus; 2°. *Epistolæ plures* ad diversos et de diversis; 3°. *Canonum Collectio.*

Puro elegantique eloquio rectas cogitationes exornat. Disciplinæ moralisque regulis addictissimus, monasticam dignitatem ità contra adversantes extulit, ut plures sibi compararet inimicos.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Leguntur : 1°. *Apologia* et *Epistolæ* ferè omnes in ejusdem vitâ ab *Aïmonio* scripta ; 2°. eadem opera ad calcem Codicis Canonum Ecclesiæ Romanæ, curante P. *Pithou*, *Parisiis*, anno 1687 excusi in-fol. ; 3°. *Canones* apud *P. Mabillonii Analecta.*

§ III.

Aïmonius, *anno* 1010.

LATINUS.

Aïmonius, in Aquitaniâ natus, vitam monasticam anno 970 vovit in monasterio Floriacensi, quod etiam S. Benedicti ad Ligerim dicitur, et sub Abbonis regimine floruit, cujus intimâ familiaritate usus est. Defunctus creditur circa annum 1010.

Præcipua Aïmonii opera sunt : 1°. *Historia Francorum*, quorum tres solummodò libri Aïmoni tribuuntur; 2°. *Vita* suprà memorati *Abbonis*; 3°. *duo de Miraculis S. Benedicti tractatus*; 4°. *Sermo* in eumdem S. Benedictum; 5°. quædam minuta *Poëmata*.

Abbonem magistrum non tantâ adæquat elegantiâ, licèt nitido valeat eloquio. Narranda ità simpliciter evolvit, ut tamen ignobili quorumdam hujus seculi scriptorum dictioni minimè participet.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Separatìm excusa fuêre Aïmonii opera, hoc videlicèt ordine :

1°. *Historia Francorum*, anno 1613 in Historiâ Gallicâ *Frekeri*, *Hannoveræ*, et anno 1641 in collectione *Quercitani*, tomo III.

2°. *Duo libri de Miraculis S. Benedicti* in Bibliothecâ Floriacensi.

3°. *Carmina* apud ejusdem *Quercitani* collectionem.

§ IV.

Sanctus Fulbertus, anno 1028.

LATINUS.

Fulbertus, ex Italiâ in Galliam transmissus, in Carnutensis Ecclesiæ scholis lectiones, deficiente decimo, undecimo autem incipiente seculo, habuit, quibus ità brevi clarus evasit, ut celeberrimi undiquè convenirent discipuli, qui conceptos doctrinæ pietatisque radios non in Galliam tantùm, sed et in Germaniam transfunderent. Gratissimus Roberto Regi, cujus, si quibusdam fides, Cancellarius extitit, Radulpho in Carnutensem Episcopatum annó 1007 suffectus est, quem tantâ vigilantiâ quantâ sapientiâ administravit per unum supra viginti annum. Quievit in Domino die decimâ Aprilis anni 1028.

Illo auctore habentur: 1°. *Epistolæ* 136, quibus cognoscere datur, quantâ apud principes viros existimatione invaluerit; 2°. *nonnulli Sermones*, qui ad Epistolarum gloriam minimè accedunt; 3°. quædam non magnoperè ponderanda *Carmina*.

Sapido urbanitatis sale condiuntur Fulberti Epistolæ; scintillat ubique ingenium; non displicet satis castigata dictio. De dogmatibus religionis, Ecclesiæque disciplinâ sapientissimè disserit; propositas æquus judex prudenter dissolvit quæstiones. Inconcussum animi robur cum reverentiâ principibus debitâ ubique conciliatum reperies.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Unica, et quidem admodùm imperfecta emissa est in lucem Fulberti operum editio, ex *Caroli Devilliers*, Parisiensis Doctoris, recensione, *Parisiis*, anno 1608.

Quædam etiam apud additionem secundo tomo *Spicilegii D. Lucæ Dacherii* factam excusa reperiuntur.

§ V.

Odilo Cluniacensis, anno 1048.

LATINUS.

Odilo, post S. Maïolum, anno 991 Abbas Cluniacensis electus, primus festi omnium Sanctorum et omnium Defunctorum commemorationis auctor habetur. Vitam usque ad annum 1048 produxit, quo annum octogesimum septimum agens defunctus est.

Pauca illo auctore supersunt, videlicet : 1°. *Vita S. Maïoli*, Cluniacensis ante ipsum Abbatis; 2°. *Vita S. Adelaïdæ*, Othonis I conjugis; 3°. *nonnullæ* ad S. Fulbertum Carnutensem *Epistolæ ;* 4°. *quatuordecim Sermones* in præcipua Christi Virginisque festa; 5°. *Statutum de Oratione pro Defunctis.*

Hæc apud Bibliothecam Cluniacensem excusa leguntur.

§ VI.

Petrus Damianus, Cardinalis, anno 1073.

LATINUS.

Petrus, Damianus ex fratris nomine dictus, Ravennæ circa undecimi seculi initium, honestis parentibus natus, magna pietatis specimina ab infantiâ protulit. Perfecto studiorum curriculo, in monasterium sanctæ Crucis Avellanense prope Eugubium secessit, undè à Vito Pomposionensi Abbate, reformandi monasterii causâ, aliquandiù assumptus est. Quo post duos annos ad meliora reducto, in Avellanense remeavit hospitium, quod tùm Prior, tùm deinde Abbas electus ità brevì amplificavit, ut multiplicatis in dies monachis plura ejusdem regulæ subdita

ædificarentur monasteria. Inclarescente famâ, ad Cardinalis dignitatem et Ostiensis Episcopi officium à Stephano Papâ IX provectus est, à quo etiam insuper impositam Ecclesiæ Eugubiensis curam suscepit. Anno 1059 Legatus à Nicolao II Pontifice Mediolanum missus, ut Clerum simoniæ labe infectum coërceret, sapientissimas ad extirpandum illud vitium regulas instituit.

Primæ verò solitudinis desiderio flagrans, abdicatis ante Alexandri II pedes omnibus Ecclesiæ dignitatibus, monasterii quietem repetiit, quâ tamen, cùm ad ecclesiasticas sæpiùs curas revocaretur, perfectè frui non licuit. Sic ab Alexandro II Legatus in Gallias deputatus, ut dissidentes propter monasterii privilegia Matisconensem Episcopum et Cluniacensem Abbatem conciliaret, in Cabillonensi Synodo privilegia Cluniacensi Abbatiæ à summis Pontificibus concessa, non reluctante ipso Matisconensi Episcopo, confirmavit. Eodem Alexandro jubente, Florentiam se transtulit, ut exorta inter Clerum et Episcopum dissidia compesceret. Anno 1068, Legatus iterùm in Germaniam iter aggressus est, ut Henrico IV Imperatori divortium ab uxore Berthâ meditanti obsisteret. Non ità multò post montis Cassini monasterium, ut monachos aliquantisper recrearet, invisit. Anno denique 1072, novum accepit mandatum, quo Ravennam devenire jubebatur, ut urbem à lato jam diù, propter Henricum Episcopum sanctæ Sedis auctoritati superbè reluctantem, anathemate liberaret. Quod cùm feliciter peregisset, die 23 Februarii, anno Christi 1073, ætatis verò 66, Faventiæ defunctus est.

Scripsit : 1°. *Epistolas*, octo libris distributas prout vel ad summos Pontifices, vel ad Cardinales, vel ad Archiepiscopos, vel ad Episcopos, vel ad diversos è Clero viros, vel ad Abbates et Monachos, vel ad Principes, vel ad

Privatos fuerunt directæ; 2°. varia *Opuscula*; inter quæ eminent liber *de fide Catholicâ*; *Antilogus contra Judæos*; *Dialogus inter Henrici Regis advocatum et Ecclesiæ Romanæ propugnatorem*; *de Regum Germaniæ Jure ad eligendum Papam*; *de Simoniacorum ordinatione*; *Gomorrhianus*, ubi impudicos Clericos ab Ordinibus in perpetuum amovendos esse decernit; *de Consanguinitatis gradibus*, *de Eleemosynâ*; *de divino Officio*; *plures* circa vitam monasticam *Tractatus*, *plures* iterùm contra Clericorum et Canonicorum vitia, *plures* ubi moralia præcepta explicat, *plures* ubi sacræ Scripturæ loca quædam interpretatur, etc; quæ quidem opuscula inter Epistolas meliùs potuissent collocari; 3°. *Sermones* quibus nonnullorum Sanctorum acta adjunguntur; 4°. *Preces*, *Hymni*, et *Prosæ*, quæ illi vulgò tribuuntur.

Facilis nitidusque in scribendo, urbanâ elegantique dictione utitur; quæ rectè cogitat, variis exornare figuris optimè callet. Non desunt epistolæ, ubi mirabilem industriam solertissimumque deprehendes artificium; nullus conciliandis rebus aptior; ità sensim animis illabitur, ut cum reprehensione reprehensionis simul rectitudinem insinuat. Cùm liberè loquitur, semper reverentiæ memor, cùm reverentiam exhibet, et nón immemor libertatis; Scripturæ sacræ, veterumque Latinorum Patrum doctrinâ informatus, theologicas quæstiones subtilis exagitat, sed disciplinæ præsertìm notitiâ commendatur, cujus restituendæ ità zelo ardebat, ut nulla ferè occurrat pagina, quâ non exhibeantur Sacerdotibus vel Monachis præstantissima morum præcepta. Quæ verbis docuit, exemplo simul, monasticarum regularum observantissimus, confirmavit, beatissimæque Virginis cultui mancipatus, in illius laudes sæpiùs effunditur.

Talis fuit vir ille, ut ait Petrarcha, *haud dignitate*

clarior quàm linguâ (de Vit. Solit. c. 17. tract. 11. lib. 2.), vir, qui, ut S. Antoninus testatur, *vitâ et scientiâ insignis edidit multos sermones eleganti stylo de diversis materiis* (Chronic. tit. 16. c. 8.), « vir, ut addit Trithemius, in » divinis Scripturis studiosus, et eruditus, et secularium » litterarum non ignarus; ingenio mitis et acutus; eloquio » placidus, et compositus, et ad persuadendum satis ido- » neus, qui non minùs sanctitate quàm eruditione clarus » et insignis effulsit, qui exemplo magni Gregorii (Na- » zianzeni) Antistitis, amore solitudinis et quietis Episco- » patum suum deserens, ad cœnobium suum reversus » est, et vitam deinceps cum fratribus suis in tranquillitate » animi exegit. » (*De Script. Eccles.*)

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

An. 1606 quoad primum tomum, 1608 quoad secundum, 1615 quoad tertium, prodierunt Petri Damiani opera, curante *Constantino Caïetano, Romæ.* Anno autem 1623, eadem editio cum quarto tomo, *Lugduni* recusa est, uno volumine in-folio; 1663 deniquè *Parisiis* eadem iterùm prælo subjecta est. Habetur etiam particularis Epistolarum editio à *Nivello, Parisiis* 1610, in-4°.

§ VII.

Lanfrancus, *annò* 1089.

LATINUS.

Lanfrancus, Papiâ oriundus, non ignobili prosapiâ, confectis apud patriam studiis, in Gallias regnante Henrico I transmeavit, ubi Abrincæ publicas aliquandò lectiones habuit. Cùm iter faciens Rhotomagum peteret, in latrones

incidit, qui spoliatum vinctumque in sylvâ, non procùl ab Abbatiâ vulgò dictâ *du Bec* deseruerunt. Crastino die vinculis à transeuntibus liberatus, in hòc monasterium recenter ædificatum, statim anno 1041 secessit; quod suscepto ab Herluino habitu, institutâque scholâ plurimùm illustravit. Tantum autem cum scientiâ virtutibusque conjunctum effulsit ingenium, ut non solùm monasterii Prior eligeretur, sed ab ipso Guillelmo I, Normanniæ Duce, inter Consiliariorum numerum cooptaretur.

Quatuor vicibus Romanum iter aggressus est: 1°. quidem Leonis IX tempore, ut se à Berengariani erroris incusatione purgaret; 2°. ut à Nicolao II dispensationem obtineret, quâ Guillelmo Flandriæ Comiti consanguineam matrimonio ducere liceret; quod eâ conditione concessum est quòd monasterium Princeps ædificaret, undè ædificatæ Cadomi sancti Stephani Abbatiæ præfectus est ipse Lanfrancus anno 1063; 3°. ut apud Alexandrum II de reformandis Angliæ, quam armis invaserat Guillelmus, Ecclesiis ageret; 4°. deniquè ut Abrincæ Episcopi ad Rothomagensem Archiepiscopatum, quem ipse recusaverat, translatio confirmaretur; quod ità feliciter perfecit ut summus Pontifex duos insuper mitteret Legatos, qui Guillelmum Angliæ Regem sacro diademate decorarent Ecclesiarumque bono providerent. Cùm autem illi, habito Windsoriensi Concilio plures deposuissent Episcopos, Stigaudumque maximè Cantuariensem Episcopum dejecissent, expulsi locum, sic jubente Herluino Abbate, invitus licèt, suscipere coactus est anno 1070. Commissam Ecclesiam sapienter simùl et viriliter per 19 annos administravit, ipsiusque regni, absente Guillelmo, sæpiùs habenas moderatus, paulò post illum principem, mense maïo anni 1089 occubuit.

Præcipua ejus opera sunt: 1°. *Commentaria in Epistolas S. Pauli*, qui notis brevibus et sententiosis consti-

tuuntur; 2°. *tractatus de Corpore et Sanguine Domini*, quo adversùs Berengarium præsentiam Christi realem in Sacramento asserit; 3°. *Epistolæ* breves quidem, sed rerum pondere graves; 4°. liber *de Confessione* intricatus et obscurus, duris quibusdam allegoriis vitiosisque argumentationibus refertus; 5°. *Oratio*, quâ præcipua Monachi ecclesiasticis curis addicti, officia evolvuntur.

Rudis seculi vitio minùs ille, quàm alii coævi afficitur. Scripturæ sacræ, Traditionis Jurisque Canonici peritissimus, cùm argumentatur rectus, cùm urget pressus, cùm sententiam emittit gravis; non floribus quidem et figuris distinguitur, sed ità puro, simplici, nitidoque commendatur eloquio, ut nullus sit undecimi seculi scriptor, qui cum illo conferendus videatur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Unica usquè adhùc emissa est, sed præstantissima, tùm recensione, tùm typis B. Lanfranci operum editio, curante *D. Lucâ Dacherio*, anno 1648, *Parisiis*, in-fol.

Oratio de Officiis Clericorum non reperitur in hâc editione, sed recentiùs inventa ab eodem Dacherio, in publicum emissa est, quarto *Spicilegii* tomo.

§ VIII.

Theophylactus, circa finem XI seculi.

GRÆCUS.

Theophilactus, Acridis, quæ est totius Bulgariæ Metropolis, Archiepiscopus, Constantinopoli natus et educatus, floruit imperantibus Diogene, Michaële VII, et Nicephoro Botoniate. Doctrinâ quidem inclaruit, sed schismati erro-

ribusque Græcorum non obstitisse constat ex commentario in caput III S. Joannis, quo Latinis exprobrat quòd sanctum Spiritum ex Patre simùl et Filio procedentem prædicent. Hunc aliqui circa annum 1071 defunctum perhibent. Sed meliùs fatendum est prorsùs ignorari mortis tempus, illudque solum pro certo statuendum illum non ultrà seculi finem processisse.

Scripsit : 1°. *Commentarios* tùm in Habacuc, Jonam, Nahum, et Oseam, tùm in quatuor Evangelia, tùm in Acta Apostolorum, tùm in B. Pauli Epistolas; 2°. quasdam parvi momenti *Epistolas*; 3°. *Institutionem regiam* ad Constantinum Porphyrogenetam.

Ad Commentarios præcipuè attendendum, qui ad litteralem Scripturæ sacræ explanationem plurimùm conferre possunt, licèt ex sancti Chrysostòmi operibus pleraque excerpta videantur.

Hic clauditur Græcorum Patrum series, nihilque jam in his tam fœcundis Græciæ plagis, nisi sterilitas; nihil sub tam splendido quondam cœlo, nisi tenebræ deprehenduntur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Nulla exstat Theophylacti generalis editio. Separatim prodierunt :

1°. *Commentarii* omnes *Latinè, Parisiis* 1554, et *Basileæ* 1570.

2°. *Commentarii in Evangelia Græcè, Romæ* 1542 et 1568; *Latinè* autem *Antuerpiæ* 1564; *Græcè* et *Latinè, Parisiis* 1562.

3°. *Commentarii* in Acta Apostolorum, *Græcè* et *Latinè*, 1568 et 1631.

4°. *Commentarii in S. Paulum, Græcè et Latinè, Londini* 1536; *Latinè* verò, *Parisiis* 1552, et *Antuerpiæ* 1564.

5°. *Commentarii in quatuor minores Prophetas*, *Parisiis* 1549, et cum *Commentariis in S. Paulum* 1536, in-fol.

6°. *Epistolæ* tùm in Bibliothecâ Patrum, tùm *Græcè*, curante *Meursio Leydæ*, et cum *Latinâ Marinerii* interpretatione, *Coloniæ* 1622.

7°. *Institutio regia* apud *Luparam* 1651, in-4°; et iterùm *in Imperio Orientali Banduri*.

CAPUT XII.

De sanctis Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis duodecimi seculi.

Duodecimum Ecclesiæ seculum sivè armorum gloriâ, condito Hierosolymorum imperio, sivè liberalium disciplinarum splendore, editis non infimi ingenii viris, plurimùm refulsit, ut jam videre factorum Scriptorumque recensione dabitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica duodecimi Ecclesiæ seculi.

§ I.

Regum Imperatorumque series.

Prætermisso jam Orientis Imperio, quod, ab Ecclesiâ alienatum, nostro minimè potest inservire consilio, Hierosolymorum primò Imperium, regnaque posteà Occidentis præcipua lectorum oculis præponemus.

HIEROSOLYMORUM IMPERIUM.

Goffridus Bullonius ab anno 1099 usquè ad annum 1100, devictis Infidelibus, novi imperii fundamenta submittit.

Balduinus I, ejus successor, usque ad annum 1118, regnum inter Infidelium aggressiones protendit.

Balduinus II, post 13 imperii annos, ad patres suos apponitur, anno videlicet 1131.

Fulchus, bellicum armis sustentat imperium usque ad annum 1142, quo post 11 annos, equo delapsus, vitam consummat.

Ejus vices *Balduinus* III suscipit, 20 annis regnat, deceditque è vitâ anno 1162.

Amalarius I undecimum regni annum agens, morte anno 1173 subripitur.

Balduinus IV, per 12 annos imperio potitus, vitæ finem facit anno 1185.

Balduinus V jam defunctus anno 1186, uno tantùm anno, quinquennis puer, rex appellatur.

Vitus de Lusignan à Saladino Ægypti et Syriæ principe anno 1192 vincitur, captâque Hierosolymâ, cogitur exulare.

Henricus, Thibaldi IV nepos, à Richardo Anglorum Rege, qui Vito de Lusignan Cyprum insulam concesserat, Christianorum reliquiis præficitur, annoque 1197 è palatii fenestrâ delapsus, occumbit.

Amalarius II *de Lusignan*, dùm Occidentales populi, cruce armati, Græcos Infidelium loco debellant, periculosum usquequaquè sustentat regnum, seculoque sequenti moritur.

IMPERIUM GERMANICUM.

Henricus IV, qui quadragesimum regni annum, incipiente seculo agebat, quinque adhùc annis perseverat, et moritur anno 1106.

Henricus V, ejus successor, de Investituris cum summo Pontifice Paschalio II, patris insistens vestigiis; acerrimè disputat, illisque demùm extortis, ab eodem coronatur; sed anno 1122, contentioso jure cedens, pacem Ecclesiæ restituit. Regnum ejus 19 annis conclusum, anno 1125 morte consummatur.

Lotharius II, anteà Saxonum Dux, Rex Germaniæ post Henrici mortem renuntiatur, frustrà reluctantibus *Conrado* et *Frederico*, ejusdem Henrici nepotibus, qui, rebellantes anathemate à summo Pontifice percelluntur. Moritur anno 1137.

Conradus III, Franconiæ Dux, Germanico solio imponitur, Hierosolymorumque iter, prædicante S. Bernardo, aggressus, in patriam redux, mortem subit anno 1152.

Fredericus I, qui *è Rufâ Barbâ* cognomen accepit, Imperator ab Adriano IV coronatur, tres pseudo-pontifices veris Pontificibus opponit, Romam expugnat, posteà autem à Mediolanensibus debellatus, pacem ab Alexandro III petere cogitur, bellumque pro Christianis contra Infideles gerens, mortem in Oriente, aquâ mersus, occumbit anno 1190.

Henricus VI à summo Pontifice coronâ redimitus, Siciliàm invadit, Messanæque morte occupatur anno 1197.

Defuncto Henrico VI, *Fredericus* II et *Otho* IV Italiæ Reges declarantur. Juniori autem Frederico *Philippus* tutor imponitur, summâque acceptâ potestate, Imperatoriâ coronâ redimitur, ideòque à Romano exagitatur Pontifice. Reliqua seculo sequente absolventur.

GALLIA.

Philippus I, post 48 annos regni è vitâ decedit anno 1108.

Ludovicus VI, cognomine *Opimus* cum Henrico I Anglorum rege, et cum Henrico V Imperatore bellum gerit, leges dat populo, tyrannos deprimit, utilissimumque regnum claudit anno 1137.

Ludovicus VII, cognomine *Junior*, Normanniam Henrico II Mathildis filio restituit, iter Hierosolymorum aggreditur, Eleonoram uxorem malè dimittit, aliamque praviùs ducit, bellum gerit cum Anglis, S. Thomæ Cantuariensi hospitium præbet, et morte perimitur anno 1180.

Philippus II, cognomine *Augustus*, Cruce signatus, bellum contra Infideles, comitante Anglorum Rege, suscipit. Repudiatâ Bathilde, Mariam Aquitaniæ Ducis filiam matrimonio ducit, quam cùm dimittere nollet, nec ad legitimam redire, datâ summi Pontificis sententiâ, à communione Ecclesiæ ablegatur anno 1198. Reliqua longissimi regni acta ad sequens seculum pertinent.

ANGLIA.

Eodem tempore florebat in Angliâ post Henricum II, S. Thomæ Cantuariensis interfectorem, Richardus, *Cor Leonis* propter invictam fortitudinem cognominatus, qui unà cum Philippo-Augusto, bellum contra Infideles suscepit.

Nec silendus etiam, qui Venetiis tunc imperabat *Henricus Dendolo*, maximamque partem in sacro bello sibi plurimâ sagacitate vindicavit.

§ II.

Summorum Pontificum Successio.

Paschalius II ultimo præcedentis seculi anno electus, *Albertum Atellam* pseudo-pontificem captum in monasterium detrudit. *Theodoricus* pseudo-pontifex post illum electus, abjèctâ dignitate, anachoreticam vitam amplectitur. *Maginulphus* post illum rursùs exaltatus, cum *Sylvestri* IV nomine; brevì morte abripitur. Hìnc solus legitimus Pontifex Paschalius, Imperatori propter Investituras reluctatur, quas deniquè captus concedere cogitur. Bello tamen non ità multò post renovato, Henricus V Italiam armis invadit, quam cùm ad fortiter defendendam accingeretur Paschalius, Romæ moritur anno Pontificatûs 19, Christi verò 1118.

Gelasius II, ejus loco suffectus, Investiturarum privilegium Imperatori concessum confirmare recusat. *Mauritius Burdinus* pseudo-pontifex ab Imperatore designatur. In Galliam se recipit Gelasius, ubi Cluniaci anno sequenti, id est 1119, moritur.

Vitus, Viennensis Archiepiscopus à Gelasio moriente successor designatus, sub *Callisti* II nomine ibidem Cluniaci sacræ Sedi imponitur, undè Romam ovans, expulso Mauritio, ingreditur. Illo Pontifice celebratur Concilium Lateranense I, generale IX, anno 1123.

Illo defuncto anno 1124 *Thibaldus* à Cardinalibus eligitur; populus, autem, cui displicebat Electus, *Lambertum* Pontificem proclamare præsumit, cum *Honorii* II nomine, qui et ab ipsis Cardinalibus in dignitatem confirmatus, sanctam Cathedram pacificè occupat. Moritur anno 1130.

Ipso mortis die eligitur *Innocentius* II, cui *Petrus de*

Leone pseudo-pontifex opponitur, sub *Anacleti* nomine; undè in Stampensi Concilio, Bernardo procurante, agnitus, Galliam invisit Innocentius, ab ipsoque Lothario Imperatore Romæ restitutus, iterùm ab Anacleto expellitur. Anacleto mortuo, sufficitur *Victor*, qui, sancto Bernardo suadente, veri Pontificis pedibus provolutus, falsam impiæ dignitatis gloriam abjecit. Bellum gerit cum Rogerio Siciliæ Duce, qui Romam invadere conabatur, captusque concessam priùs ab *Honorio* II Siciliæ aliarumque provinciarum possessionem concedere cogitur. Sub ejus Pontificatu celebratum est anno 1139 Concilium Lateranense II, generale X, quo Arnaldus Brisciensis damnatus est. Mors ejus accidit anno 1143.

Cœlestinus II, acceptam ipso die mortis sedem, et ipse post 5 menses defunctus, amittit anno videlicet 1144.

Lucius II non ità multòpost electus, anno pariter sequenti 1145 è vitâ decedit.

Eugenius III, Arnaldo Brisciensi Romanos ad rebellionem incitante, in Galliam secedere cogitur; ubi à rege Ludovico Juniore bene exceptus plura celebrat Concilia, pluribusque dehinc initis certaminibus Ecclesiam tandem S. Petri sibi vindicat. Mors ejus anno 1153 accidit.

Anastasius IV uno vix anno Pontificatum obtinet, et diem supremum obit anno 1154.

Adrianus IV, ejus successor, vexatus iterùm ab Arnaldo Brisciensi, Romam à sacris interdicit, quoadusquè iste cum fautoribus expellatur; qui tandem captus à Romæ Præfecto, igni traditur. Transit autem ad Deum Adrianus anno 1159.

Alexander III, à plerisque Cardinalibus eligitur; *Octavianus* autem pseudo-pontifex à quibusdam sub nomine *Victoris* IV. Frederico qui illius partes propugnabat ab Ecclesiæ communione separato, ità Galliam deveniens à

Regibus Galliæ et Angliæ suscipitur, ut pedibus ambulantes ex utrâque parte equi habenas manu tenere velint. Victore pseudo-pontifice mortuo, eligitur *Paschalius* III et ipse pseudo-pontifex. Alexander intereà Italiam repetit, expulsisque rebellibus, Romam ingreditur; mox autem rursùs cogitur recedere. Pace tandem cum Frederico Imperatore anno 1177 initâ, *Callisto* III, post defunctum Paschalium pseudo-pontifici, ab Alexandro venia conceditur. Illo Pontificatum exercente habetur Concilium Lateranense III, generale XI. Post 22 annos Pontificatûs tantis tempestatibus agitati, Alexander in pace tandem quievit anno 1181.

Lucius III, quarto Pontificatûs anno, Christi verò 1185 moritur.

Urbanus III duobus tantùm annis, anno 1187 defunctus, Apostolicum exercet ministerium.

Gregorius VIII, duobus post electionem mensibus, morte præoccupatur.

Clemens III tribus annis Sedem Romanam occupat, et anno 1191 ad Deum vocatur.

Cœlestinus III Henricum VI Imperatorem, qui Richardum Angliæ Regem captivum tenebat, anathemate percellit, et moritur anno 1198.

Innocentius III susceptum hoc seculo Pontificatum producit in alterum.

§ III.

Ecclesiæ adversarii in duodecimo seculo.

Tanchelinus, *Petrus Bruïensis* et *Henricus* Monachus apostata, *Arnaldus Brisciensis*, *Petrus Abaëlardus*, *Gilbertus Porretanus*, *Eonius Stellensis*, *Apostolici* et *Valdenses*, Ecclesiæ fidem præcipuè hoc seculo depravârunt.

1°. *Tanchelinus*, vir moribus infamis, incipiente hoc seculo, docere ausus est, nec Episcopale aut Sacerdotale ministerium à Christo fuisse institutum, nec sanctæ Eucharistiæ perceptionem animarum saluti prodesse. Impugnatus est præsertim à S. Norberto.

2°. *Petrus Bruïensis*, Manichæorum renovatis erroribus, plures superaddere præsumpsit ; quos seculis sequentibus Lutheriani et Calvinistæ propugnaverunt. Igne damnatus consumptus est. Ejus fautores dicti sunt vel *Petrobusiani* ex ejus nomine, vel *Henriciani* propter quemdam *Henricum* Monachum apostatam, ejus discipulum, qui et magistri errores exaggeravit. Hinc Albigensium, quorum seculo sequenti dicemus, tristis origo prodilt. Damnati sunt in Concilio Lateranensi II, generali X.

3.° *Arnaldus Brisciensis*, Clericus monachusque apostata plura circà Eucharstiam, Baptisma parvulorum, statumque clericalem religiosumque delirans, in Concilio Lateranensi II, generali X, jam impugnatus à S. Bernardo, demùm anathemate percussus est.

4°. *Petrus Abaëlardus*, Nannetensis, magnam docendo in Universitate Parisiensi famam adeptus, circa Trinitatem aliaque dogmata erravit, nec minùs virtutis sanctitatem publicâ infamique culpâ, quam fidei virginitatem mentis aberratione fœdavit. Damnatus à Conciliis Suessionensi anno 1120, et Senonensi anno 1140, necnon et à summo Pontifice Innocentio II. Errores abjuravit, et post generosè susceptam in monasterio Cluniacensi pœnitentiam, in pace Ecclesiæ quievit. Nulla post illum remanserunt erroris vestigia

5°. *Gilbertus Porretanus*, Pictaviensis Episcopus, circa Trinitatem pariter deliravit, et in Concilio Rhemensi anno 1148 damnatus, errores revocavit.

6°. *Eonius Stellensis*, demens potiùs quàm hæreticus ,

multos tamen è plebe in errorem pertraxit. In Ecclesiasticos religiososque viros præsertim invehebatur, eòque dementiæ devenit ut mundum à se judicandum contenderet, quia in Ecclesiæ precibus dicebatur : *Per Eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos.* A Concilio Rhemensi, anno 1148, in perpetuum carcerem detrusus est, fautoresque ejus à magistratibus igni traditi.

7°. *Apostolici* ad Manichæorum Albigensiumque errores accedebant.

8°. *Valdenses* ità dicebantur à *Valdone*, Lugdunensi mercatore. Vocabantur etiam *Lugduni pauperes*, quia magnam præ se ferebant paupertatis jactantiam. Nullus inter eos sacerdotio insignitus; docere nihilominùs præsumebant, et inter docendum multa non solùm falsa, sed et quotidiè variantia permiscebant, ut fusiùs videri potest apud Bossuetium in Variationum historiâ libro XI. Damnati sunt in Conciliis Lumbariensi anni 1163, Tolosano 1178, et præsertim Lateranensi III et Lateranensi IV, annis 1179 et 1215 celebratis, quæ undecimum duodecimumque inter generalia numerantur.

§ IV.

Concilia generalia duodecimi Ecclesiæ seculi.

An. 1123 celebratur Concilium Lateranense I, generale IX, sub Callisto Papâ II. Trecenti aderant Episcopi. Habitum est ad Ecclesiæ, quadraginta quinque abhinc annis propter jus Investiturarum ab Imperatore vehementiùs repetitum sæpius exagitatæ, pacem deniquè restituendam. Actum etiam de Disciplinâ resuscitandâ, sanctisque plagis ab Infidelium jugo liberandis.

An. 1139 habetur Concilium Lateranense II, generale X, sub Innocentio Papâ II, assistente Conrado III Imperatore.

Aderant ferè 1000 Episcopi. Damnati in hoc Concilio Schismatici, qui dudùm intrusis Pontificibus Ecclesiam fatigabant; Disciplinæ leges conditæ vel renovatæ; Arnaldi tandem Brisciensis reprobati errores.

An. 1179 congregatur Concilium Lateranense III, generale XI, sub Alexandro Papâ III. Aderant 302 Episcopi. Nullæ declarantur pseudo-pontificum ordinationes; Valdensium errores anathemate percelluntur, promoveturque morum reformatio.

ARTICULUS II.

De vitâ et operibus Scriptorum Ecclesiasticorum duodecimi Ecclesiæ seculi.

Inter præcipuos duodecimi seculi Doctores maximè numerantur, *S. Anselmus*, *Sigebertus*, *S. Ivo Carnutensis*, *Guibertus*, *Goffridus Vindocinensis*, *Rupertus*, *Hugo de sancto Victore*, *S. Bernardus*, *Gratianus*, *Petrus Longobardus*, et *Richardus à S. Victore*.

§ I.

Sanctus Anselmus, *anno* 1109.

LATINUS.

Sanctus Anselmus, Augustæ Prætoriæ in Pedemontiano territorio, Gondulpho et Ermemberge parentibus natus est, qui, peractis liberalium disciplinarum studiis, peragratisque aliquandiù Burgundiæ Galliarumque provinciis, vitam monasticam annum agens vigesimum septimum in Abbatiâ *du Bec*, cujus Prior erat Lanfrancus, professus est. Lanfranco autem ad Abbatiam sancti Stephani Cadomensem translato, Prior electus, mortuoque Herluino, Abbas consecratus, in Angliam iter sæpiùs facere coactus est,

undè inclarescente doctrinæ virtutumque famâ Cantuariensem Archiepiscopatum anno 1093 suscepit. Guillelmo Rufo, Angliæ Regi, cujus avaritiam profusis muneribus exsatiare denegârat, invisus, cùm Urbani II contra pseudo-pontificem Guibertum auctoritatem strenuè propugnaret, ex Angliâ fugere coactus, Romam anno 1098 se recepit, ubi ab Urbano Papâ lætanter exceptus, in Concilio Barensi, eodem anno sancti Spiritûs *Processionem* contra Græcos fortiter asseruit. Anno sequenti, aliæ interfuit Romanæ Synodo, quâ anathemate perculsi sunt, tùm Laïci qui Clericis Investituram dare præsumerent, tùm Clerici qui illam à Laïcis auderent suscipere.

Lugduni dehinc in Galliâ aliquandiù commoratus, defuncto Guillelmo Anglorum Rege, ab Henrico II illius successore, anno 1100, revocatur. Vix autem Pontificatûs habenas resumpserat, cùm nova exurgunt dissidia; Investituras iterùm sibi vindicare contendit Henricus; reluctatur summus Pontifex; illos intereà, qui Investituram à Rege susceperant, sacris ordinibus consecrare recusat Anselmus; ipse Romam à Rege cum alio Legato deputatur, qui rem conciliare tentaret. Quæstio coram Paschalio II vehementer agitatur; regalis Legatus Regem ab imperio potiùs quàm ab Investituris cessurum profitetur; inflexus primæ adhæret sententiæ Pontifex; solvuntur colloquia; prohibetur Anselmus Angliam repetere, nisi, posthabitâ summi Pontificis sententiâ, patriis usibus fideliter stare promittat; quos cùm abusus exemplo consecrare nollet, Lugduni aliquandiù exul agere cogitur; undè Normanniam pertransiens, pacto rursùs cum Rege pacis fœdere, Cantuariensi Ecclesiæ restituitur. Commissam indè sibi plebem administravit usquè ad mortem, quæ anno Christi 1109, ætatis 76, Episcopatûs autem 16 Christiano populo Patrem,

Ecclesiæ Propugnatorem, litteris deniquè Doctorem eximium abripuit.

Omnia S. Anselmi opera vel ad Dogmaticum, vel ad Morale, vel ad Epistolarum genus revocantur.

I°. Quidem ad primum genus pertinent: 1°. *Monologus*, ubi de Deo et Trinitate; 2°. *Prologus*, ubi de eodem argumento disserit, cujus cùm ratiocinium aliquod malè impugnâsset Gaunilo Monachus; scripsit 3°. solidum ad ejus objecta *Responsum;* sequitur 4°. Tractatus *de Fide*, *de Trinitate*, et *de Incarnatione* contra Roscelinum Abaëlardi magistrum; 5°. liber *de Processione sancti Spiritûs* contra Græcos; 6°. *de Diaboli Lapsu*; 7°, *cur Deus homo factus sit?* 8°. *de Peccato Originali;* 9°. dialogus *de Veritate*, *de Voluntate et de Libertate;* 10°. *de Consensu humanæ libertatis cum Præscientiâ divinâ;* 11°. *tres de ritibus Eucharistiæ tractatus;* 12°. *de Matrimoniis consanguineorum;* 13°. *de Voluntate Dei;* 14°. *de Pace et Concordiâ.*

II°. Ad secundum genus reducuntur: 1°. *Homiliæ* plures, quæ in posterioribus leguntur editionibus, licèt una tantùm in veteribus reperiatur; 2°. *Exhortatio de Contemptu rerum temporalium;* 3°. *Monita morienti præbenda;* 4°. *carmen de Contemptu mundi;* 5°. *Meditationes* 20 de diversis; 6°. 74 *Orationes* seu *Preces*; 7°. *Hymni* nonnulli de Beatâ, S. Anselmo forsan abjudicandi.

III°. Deniquè *Epistolæ* quatuor libris continentur, quorum primo quas Monachus, secundo quas Abbas *du Bec*, tertio, quas Archiepiscopus scripsit, leguntur; quarto verò colliguntur priùs ineditæ 150.

Plura insuper Anselmo tribuebantur opera quæ in recentioribus editionibus in appendicem, tanquàm non genuina, ablegata fuerunt.

Celeberrimus inter coævos Doctor excelluit Anselmus;

nullus unquàm Theologiæ dialecticam scholasticamque methodum, quâ veritatis adversarii invictè dejiciuntur, meliùs adjunxit; abstrusis subtilibusque gaudet quæstionibus; argumentorum tamen argutiis pietatis sensus non extinguitur. In moralibus ità suaviter animos docendo movet, ut duris etiam cordibus divini amoris ardor insinuetur. Simplex, nitida, concisaque dictio Epistolarum lectionem commendat; paucis autem quæ supersunt Carminibus sublimis non arguitur poëta.

Quantâ autem existimatione Doctorem eximium prosecuti fuerint tùm coævi, tùm posteriores, ex profusis undiquè laudibus facilè demonstratur. Sic Mathildis Angliæ Regina ad Paschalium Papam II scribens : « Anselmus, inquit, » Archiepiscopus noster, verè populi consolator, prudentissimus atque piissimus pater, qui quod de opulentissimis Domini sui thesauris, quorum illum clavigerum » noveramus, abundanter sumebat, id nobis abundantiùs » erogabat. Præsertim cùm idem fidelis Domini minister, » prudens dispensator, æroganda quæque et sapientiæ » salsurâ plurimâ saporaret, et eloquentiæ dulcore molliret, et mirabili quodam loquendi lepore, condiret; » fiebat verò sic, ut nec deforet teneris agnellis Domini » lactis copia plurima, nec pascuorum ovibus ubertas » uberrima, nec pastoribus alimentorum satietas opulentissima. »

Quæ et ad ipsum Anselmum scribens : « Est vestrî quædam et absentis qualiscumque revisio, et carthulæ contrectatus, et litteræ perjucunda sæpiùsque recitata relectio. Quid namque vestris, Domine, scriptis aut stylo » ornatius aut sensu refertius? Non hìc desunt frontonica » gravitas Ciceronis, Demosthenis et Quintiliani. In his » sanè doctrina quidem redundat Pauli, diligentia Hieronimi, lucubratio Gregorii, explanatio Augustini, et,

» quod his majus est, hinc dulcor Evangelici stillat
» eloquii. »

Ordericus autem Vitalis : « Cœlesti, inquit, theoriæ
» omnimodis inhæsit, et de uberrimo fonte sophiæ melli-
» flua doctrinæ fluenta copiosè profudit. Obscuras sacræ
» Scripturæ sententias solerter indagavit, strenuè verbis
» aut scriptis dilucidavit, et perplexa Prophetarum dicta
» salubriter enodavit. Omnia verba ejus utilia erant, et be-
» nevolos auditores ædificabant. » (*Hist. Eccles. Lib.* 4.)

Vide insuper Vincentium Bellovacensem in Speculo Historiarum lib. 25 à capite 67 ad 81, et S. Antoninum in historiâ titul. 16, c. 11, et Trithemium de Scriptoribus Ecclesiasticis.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Anno 1675, *Parisiis* ex recensione P. *Gerberonii*, Benedictini, prodiit omnibus anteponenda editio in-fol; quæ *Venetiis* an. 1744 prælo iterùm subjecta est, 2 vol. in-fol.

§ II.

Sigebertus, anno 1112.

LATINUS.

Sigebertus, Geminiacensis Monachus, Metis in monasterio S. Vincentii publicas lectiones habuit, undè ad monasterium reversus scribendis libris totus incubuit. Vir excellentissimi ingenii, profundæque doctrinæ habebatur, imò nec ignobilis poëta. Quibus sanè excæcatus laudibus, eò tandem perductus est, ut Simoniæ Schismatisque labe infecti Henrici IV Imperatoris partes contra summum Pontificem Gregorium VII ejusque successores

Urbanum II et Paschalium II propugnaret. Geminiaci defunctus est anno 1112.

Illo auctore supersunt : 1°. *Chronica* ab anno 381 usque ad annum 1112 producta, ubi deneganda fides his, quæ non tàm facta quàm à Sigeberto confecta de summis Pontificibus Henrico IV adversantibus referuntur ; 2°. *Acta SS. Theodorici, Sigeberti Regis, Guiberti et Maclovii;* 3°. *Gesta Abbatum Geminiacensium ; 4°. Liber de Viris Illustribus.* Plura etiam manuscripta remanent, quæ prælo non fuerunt subjecta.

Non inutilis Sigeberti lectio, præsertim ad cognoscenda virorum illustrium opera; nec eruditione, nec humanioribus disciplinis prorsùs indigentem reperies. Utinam ingenii dotibus ad suam ipsius salutem potiùs quàm ad aliorum doctrinam uti valuisset !

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Deficiente generali editione hæc separatim prodierunt :

1°. *Chronica* an. 1608 *Antuerpiæ*, curante *Alberto Lemire*, in-8°.

2°. *Vita S. Theodorici in Leibnitzii Scriptoribus rerum Brunopoliensium.*

3°. *Aliorum Sanctorum Acta* apud *Surium* vel *Mabillonium.*

4°. *Gesta Abbatum Geminiacensium* in *Dacherii Spicilegio.*

5°. *Liber de Viris Illustribus* 1639, auctore *Alberto Lemire*, in-fol., et in *Fabricii* Bibliothecâ, *Hamburgæ* 1718, in-fol.

§ III.

Sanctus Ivo Carnutensis, anno 1115.

LATINUS.

Ivo, Bellovaci, nobili prosapiâ natus, peracto in patriâ humanarum disciplinarum curriculo, Theologiam, docente Lanfranco, didicit. Cujus quidem auspiciis ità lectioni præsertim Canonumque studio addictus pietate et scientiâ enituit, ut anno 1078 S. Quinctini monasterio à Vito Bellovacensi Pontifice præficeretur. Deposito Urbani II auctoritate Goffrido Carnutensi Episcopo substitutus, cùm manuum impositionem recusaret Richerius Archiepiscopus Senonensis, Capuæ ab ipso Romano Pontifice, anno 1062, consecratus est. Congregato Stampis Concilio, invasi Pontificatûs reus traducitur, sed à summo Pontifice confirmatur, qui Richerium Pallii usu interdictum declaravit, si ulteriùs Ivonem vexare persisteret. Philippum I, qui dimissâ Berthâ de Hollandiâ legitimâ uxore, Bertraden à Monte-forti Fulchii Rechinensis uxorem matrimonio duxerat, intrepidus impugnavit. Ecclesiam Carnutensem 23 annis sapientissimè moderatus, 21 die Decembris anni 1115, octogenarius in pace Christi quievit.

Scripsit : 1°. duas cum unicâ præfatione Canonum collectiones, quarum una brevior *Pannormia* inscribitur, altera verò *Regularum Ecclesiasticarum Collectio;* 2°. *Epistolas* 287 quæ ad cognoscendam hujus temporis disciplinam plurimùm prodesse possunt; 3°. *Sermones* 24 vel de Sacramentis, vel de Festis, vel de Præceptis moralibus disserentes.

Ivonis opera utilitate potiùs quàm elegantiâ commendantur. Nulla occurrit pagina, quâ vel historiæ, vel moralis,

vel disciplinæ gravissima non solvatur quæstio; undè omnium qui sanam ambiunt doctrinam manibus volvendus est et terendus. De quo ità Trithemius: « Ivo, Episcopus Carnotensis ex Præposito sancti Quinctini Beluacensis, Ordinis Canonicorum regularium divi Patris Augustini, vir in divinis Scripturis exercitatus, et Canonum, sanctorum Patrum, ac generalium Conciliorum cautissimus interpres, nec minùs sanctitate quàm scientiâ reverendus, Ordinem suum diù collapsum magnificè reformavit. » (*De Script. Eccles.*)

Hoc illi epitaphium scripsit Philippus Bonæ Spei Abbas.

« Reddidit affectus Patrem, doctrina Magistrum,
» Regula Canonicum, Pontificemque gradus;
» Famosum probitas, humilem natura, verendum
» Vita serena, senem longa, pudica sacrum.
» Præsule defuncto sua tollere mos erat olim
» Principis; hunc morem Principis emit Ivo.
» Hujus opem læsus, plebs dogmata, fræna malus rex,
» Sensit egenus opes, pro grege vota Deus.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Prodierunt S. Ivonis opera, curante *Joan. Frontone*, cum B. Doctoris vitâ, an. 1647, *Parisiis*, in-fol.

§ IV.

Guibertus, Abbas Novigenti, anno 1124.

LATINUS.

Guibertus, Abbas Novigenti, in Bellovacensis Diœcesis pago natus est, ditissimâ potentissimâque familiâ. Patre dùm adhùc junior esset orbatus, curante matre omni dis-

ciplinarum genere informatus, cùm aliquandiù à recto itinere declinâsset, et in Bellovaçensem S. Germani Abbatiam studiorum causâ se recepisset, in alterum brevì mutatus, monachi simùl et habitum et virtutes induit. Innumeras, quibus vexabatur, tentationes precibus studioque superavit. Novigenti Abbas in Laudunensi Diœcesi anno 1104 electus, post sanctissimè administratum annis viginti monasterium, anno 1124 placidam placidâ morte vitam consummavit.

Hæc sunt præcipua ejus opera: 1°. *parvus de Prædicatione tractatus*, qui commentariis moralibus in Scripturam præfationis loco præfigitur, opus excellenti doctrinâ, rectâque methodo commendandum, quod inferiùs in tertiâ nostri operis parte excusum reperies; 2°. *liber contra Judæos*, quorum blasphemias contra Christum repellit; 3°. tractatus *de Veritate Corporis Christi*, ubi præsentiam realem validissimè asserit; 4°. *de Laudibus B. Mariæ*, cujus encomia multiplicare gaudet; 5°. *de Virginitate*, ubi de castitatis pretio primùm, deindè verò de ejusdem conservandæ mediis sapienter agit; 6°. liber *de Reliquiis Sanctorum*, quo dentem Christi Suessionis servatam falsas inter deputat reliquias; 7°. *de Mundo Interiori*, ubi de dæmonibus, animarumque naturâ sermonem instituit; 8°. *Gesta Dei per Francos*, ubi Gallorum cruce signatorum acta satis fideliter recenset; 9°. *Vita ipsius Guiberti ab ipso scripta*, sancti Augustini Confessionum instar confecta, quâ plurima superabundant, quæ ad historiam moralemque pertinent.

Virum grammatices, poësisque studio diutiùs informatum arguunt tùm nitida dictio, tùm carmina non ineleganter modulata. Dogmaticus disputator, rectâ methodo legitimisque utitur argumentis; moralis scriptor, fidelem

§ VI.

Rupertus Abbas, anno 1135.

LATINUS.

Rupertus, in monasterio S. Laurentii Leodiensis vitam monasticam junior adhùc vovit. A Berengario ejusdem monasterii Abbate Cunoni Siegbergensi Abbati et posteà Ratisbonensi Episcopo commendatus est, cui pleraque dedicavit opera. Duitensis propè coloniam Abbas electus, regnante Ludovico Opimo Galliarum principe, imperante verò Henrico V, Pontificatum autem exercente Paschalio II floruit, et 3 die Martii, anno 1135 defunctus est.

Scripsit : 1°. *Commentaria* in sacram Scripturam, ubi ab antiquorum vestigiis declinans, modo dialectico procedit, tribusque partibus dicenda dividit, quorum primâ, quæ à constitutione mundi usque ad hominis lapsum, Patri, secundâ, quæ à lapsu hominis usquè ad Christi Passionem, Filio, tertiâ, quæ à Passione Christi usquè ad orbis consumptionem extenditur, Spiritui sancto tribuuntur. Habentur præthereà in duodecim minores Prophetas et in Canticum canticorum veterum methodo consentanei magis *Commentarii;* idem de *Commentariis* in Matthæum, in S. Joannem, et in Apocalipsim affirmandum; 2°. tredecim libros *de Victoriis Verbi Divini*, quibus plures solvuntur pariter circa Scripturam quæstiones; 3°. *tractatum de glorificatione Trinitatis, et Spiritûs sancti Processione;* 4°. *librum de Officiis Divinis*, ubi panem carni Christi *hypostaticè* incorporari videtur defendere, licèt non desint qui illum benigniùs interpretentur.

Ruperti lectionem non ad informandam quidem eloquentiam, sed ad solidas saltem suggerendas sententias

concionatori perutilem fore demonstrant sæpiùs ejusdem apud Burdalium laudata testimonia. Cavendum tamen à nimiâ subtilitate, mysticoque nimis, ut aiunt, eloquio. Multùm aliundè ad varios hujus, quæ omnium Christianarum orationum fons debet esse et origo, Scripturæ sacræ sensus intelligendos juvare potest.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

An. 1578, *Coloniæ* tribus voluminibus, anno autem 1638 *Parisiis* duobus voluminibus in-fol. excusa sunt omnia Ruperti opera.

§ VII.

Hugo à sancto Victore, *anno* 1142.

LATINUS.

Hugo à sancto Victore, Flandriâ oriundus, in Yprensi territorio natus, vitam inter Galliarum fines in monasterio sancti Victoris, sanctissimè peregit, ejusdemque monasterii Canonicus regularis primùm, deindè verò Prior evasit. Die 11ª. Februarii anno Christi 1142, ætatis autem 47, in Domino placidus obdormivit.

Plurima sub ejus nomine circumferuntur opera, quorum non pauca ad alios pertinent auctores. Inter genuina ejus opera recensentur: 1°. *Notæ litterales et historicæ* in sacram Scripturam, quibus non adjungendus videtur *excerptorum Liber* qui, fortè ad *Richardum à S. Victore* meliùs tribueretur; 2°. *Decalogi, et S. Augustini Regulæ Explicatio*; 3°. *Opuscula* quædam *moralia*, nempè animæ *Soliloquium*, *Laus caritatis*, *de Modo orandi*, *de Amore sponsi et sponsæ*, et *de Vanitate mundi*; 4°. *centum Ser-*

mones; 5°. *Eruditiones didascalicæ*, quibus, post expositas scientiarum generales regulas, ad Scripturam sacram Deique notitiam progreditur; 6°. *de Voluntate et Potestate Dei*, ubi expendere gestit, utrùm potentia voluntatem supergrediatur; 7°. *quædam de Incarnatione Opuscula*; 8°. *Miscellanea de Eruditione theologicâ*, quibus non paucæ solvuntur quæstiones; 9°. *Dialogus magistrum inter et discipulum, de Lege Naturæ et Lege Scriptâ;* 10°. *Summa Sententiarum*, quæ Theologiam breviario complectitur; 11°. præsertim magnus *de Sacramentis Tractatus* duobus libris divisus, quo nullus amplior in duodecimo seculo prodiit.

In omnibus operibus, maximè autem in ultimo illo quo præsertim inclaruit tractatu, quæstiones dilucidè resolvit juxtà sanctarum Scripturarum interpretationem, veterumque Patrum doctrinam, sancti imprimis Augustini cujus non sententias tantùm amplecti, sed et eloquium effingere nititur, undè à quibusdam *B. Augustini lingua* honorificè cognominatus est.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Excusa fuerunt Hugonis opera, tùm alibi, tùm præsertim *Rothomagi* anno 1644, studio Canonicorum Abbatiæ S. Victoris, 3 tomis et 2 vol. in-fol.

§ VIII.

Sanctus Bernardus, anno 1153.

LATINUS.

Sanctus Bernardus, anno 1091 apud Fontes in Burgundiorum vico, Tescelino patre et Alethâ matre natus, cla-

rissima virtutis specimina ab infantiâ protulit, invisique mundi fugam diù præmeditatus, sex fratribus secum pluribusque simul familiaribus in idem propositum inductis, anno 1113, in Cisterciense monasterium propè Divionem secessit, cujus Abbas Stephanus Hardingus susceptum cum lætitiâ Bernardum Claramvallem non ità multò post deputavit, qui in nascenti monasterio, junior licèt, Abbatis vicibus fungeretur. A Guillelmo Campellensi Catalaunensi Episcopo sacrâ benedictione consecratus, neque novi mutatus muneris honore, sæpiùs usurpatam repetere non desistebat loquelam : *Bernarde, ad quid venisti ?* Ibi pro victu pulmenta sæpiùs ex foliis, panis ex hordeo, milio et viciâ, humiles casæ, solitudo ingens in magnâ fratrum multitudine, silentiique tanta observantia, ut præter laborantium strepitus et voces laudantium Deum nihil penitùs audiretur.

Tantus intereà virtutis odor diffundebatur, ùt undiquè diffluerent, qui Deo soli servire inhiabant. Undè Propheticæ promissionis benedictionem adeptus : *Filii tui dicent tibi : Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem*, alia construere monasteria coactus, plurima, sub Clarævallis matris tutelâ, virtutum hospitia condidit.

Conciliis Trecensi annò 1128, et Catalaunensi anno 1129 à Matthæo Albanensi Episcopo et Cardinali celebratis interfuit, in quorum priore Templariis militibus regula præscripta est. Divisâ, post Honorii II mortem, inter Innocentium II et Petrum de Leone, qui et Anacletus, Ecclesiâ, cùm Rex et Antistites coacto apud Stampas Concilio anxii fluctuarent, totiusque rei ambages ad unius Bernardi arbitrium dissolvendæ deferrentur, Innocentium legitimum esse S. Petri successorem declaravit. Cui etiam ab Italiâ in Gallias deflectenti Carnutas usquè comes fidelis adhæsit, ubi Henricum Angliæ Regem partes Anacleti cum Episcopis

Anglicanis tuentem ità flexit, ut veri Pontificis pedibus provolveretur.

Hinc habito Rhemis Concilio, « Innocentius II Claram- » vallem per seipsum voluit visitare, ubi à pauperibus » Christi non purpurâ et bysso ornatis, nec cum deauratis » Evangeliis occurentibus, sed pannosis agminibus bajulan- » tibus crucem, non tumultuantium classicorum tonitruo, » nec clamosâ jubilatione, sed suppressâ modulatione » affectuosissimè susceptus est. Flebant Episcopi, flebat » ipse summus Pontifex, et omnes mirabantur congrega- » tionis illius gravitatem, quòd in tam solemni gaudio, » oculi omnium humi defixi nusquàm vagabundâ curiosi- » tate circumferrentur, sed complosis palpebris ipsi » neminem viderent et ab omnibus viderentur. » (*Ernaldus de vitâ S. Bernardi, lib.* 2. *c.* 1, *n°.* 6.)

Summum Pontificem anno proximo in Italiam prosecutus Pisanos et Genuenses ad obedientiam reduxit, undè Romam usquè procedens ad Germanos missus est, ut pacem Conradum inter et Lotharium stabiliret. Pisanum indè ad Concilium anno 1134 evocatur, quo soluto Mediolanenses, qui Anacletum fovebant, Ecclesiæ reconciliavit. Cùm autem Aquitaniæ Ducem, expulsis Pictaviensi et Lemovicensi Episcopis, à Sanctâ Sede dissentientem vincere argumentis non posset, inter ipsa Missarum solemnia, ardenti vultu, oculisque scintillantibus terribilis tremendam hostiam ob oculos intentavit, dicens : « Rogavimus te » et sprevisti nos; supplicavit tibi in altero, quem jam habui- » mus, conventu servorum Dei ante te adunata multitudo, » et contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui » est caput et dominus Ecclesiæ quam tu persequeris; » adest judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur » cœlestium, terrestrium et infernorum; adest judex tuus, » in cujus manibus illa tua anima deveniet. Numquid et

» ipsum spernes? Numquid et ipsum sicut servos ejus » contemnes? » (*Ernald. de vitâ S. Bernardi, lib.* 2. *c.* 6. *n°.* 38.) His auditis, princeps in terram volvitur tremens, quem cùm ad saniorem mentem reductum benigniùs porrectâ manu sublevâsset, schisma penitùs extinctum evanuit.

Romam accitus, Victori qui Anacleto et ipse pseudopontifex subrogatus fuerat, persuasit ut Innocentio obsequeretur. Claramvallem reversus, sancti Anastasii monasterio, quod ad Aquas Salvias propè Romam extruxerat, eum præfecit Abbatem, qui posteà summus Pontifex creatus, Eugenius III appellatus est, ad quem etiam scripsit libros *de Consideratione.* Abaëlardum errores priùs corrigere sæpiùs monitum in Senonensi Concilio, anno 1140, vehementer impugnavit.

Pontificatum exercente Eugenio III, sacram in Saracenos expeditionem non verbis tantùm, sed et miraculis suscipiendam prædicavit, quamvis illa, sic volente Deo, qui non ad actorum felicem exitum, sed ad bonam intendit agentium voluntatem, miserabiliter cesserit. Anno 1147 tribus iterùm adfuit Conciliis quæ Stampis, Altissiodoro, et Parisiis fuerunt congregata. Eodem anno, in Aquitaniam ab Alberico Cardinali, Episcopo Ostiensi, deductus, Henricianam hæresim prodigiis potiùs quàm verbis repressit. In Rhemensi Concilio, anno 1148, Gilbertum Porretanum, Pictaviensem Episcopum, errores abjurare compulit. Cùm deniquè graviora inter civitatem Metensem et vicinos principes orta dissidia composuisset, deficiente stomacho in morbum incidit, annoque ætatis 63, Christi verò 1153, tantorum præmia laborum tandem recepturus, in cœlum feliciter evolavit. Sepultus est ante altare B. Virginis quam religione singulari coluerat. Sanctorum Canoni vixdùm viginti post mortem annis ab Ale-

xandro Papâ III ascriptus est; in quo hoc maximè mirandum, quòd, licèt tantis exagitatus laboribus, tantam nihilominùs ordinis sui curam gesserit, ut centum et sexaginta à se condita reliquerit monasteria. Orationi intereà continuò vacans, Missæ sacrificium celebrare vix aliquandò intermittens, religiosæque humilitati ità per varios mundi tumultus tenaciter adhærens, ut oblatos quinque Episcopatus recusaret.

Scripsit : 1°. *Epistolas* 447, argumentorum pondere et dictionis elegantiâ conspicuas; 2°. *Libros de Consideratione* ad Eugenium III, ubi præstantissimorum Officiorum normam animarum pastoribus proponit; 3°. *Tractatum de Officiis Episcoporum, et Orationem de Conversione ad Clerum Parisiensem*, quibus pariter legendis continuò deberent incumbere Sacerdotes; 4°. *de Præceptis et Dispensationibus;* 5°. *Apologiam ad Guillelmum*, S. Theodorici Abbatem, quâ pravos monachorum mores acriter reprehendit; 6°. *De Laudibus novæ Militiæ*, ubi Templarios milites ad virtutem laudando exhortatur; 7°. *de Humilitatis gradibus;* 8°. *de Amore Dei;* 9°. *de Gratiâ et libero Arbitrio;* 10°. *Epistolam ad Hugonem à sancto Victore*, ubi plurimas solvit quæstiones; 11°. *Sermones* plurimos, caritatis ignem spirantes, quorum alii de festis, alii in Canticum Canticorum, alii de diversis disserunt.

Vivâ, nobili, et concisâ commendatur Bernardus dictione; sublimibus exultat cogitationibus; jucundo urbanoque placet eloquio. Dulcis simùl et vehemens, attingit à fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. Ità monendo gravis, exprobrandoque efficax urget, ut caritas ubiquè, cupiditas nusquàm appareat. Patrem dixeris, filium quem amat castigantem. Cùm laudat, non adulatur; cùm duram intentat veritatem, non offendit; cùm unde timeatur injicit, et unde ametur inspirat; sic delectat et

placet, ut non curiosæ indulgeat scientiæ, sed doctrinæ tantùm salutari studeat; sic divinarum profundit fluenta Scripturarum, ut nulla ferè occurrat linea, quæ non sacris illarum verbis consecretur. Bernardum legat, qui propriis ambit mederi vitiis; legat et qui aliorum cupiditatibus medelam concionando apponere sibi Deo vocante proponit.

Possem equidem plurima tùm Principum, tùm Episcoporum, tùm summorum Pontificum, tùm etiam profanorum de S. Bernardo referre encomia. Pauci pro cæteris adducantur testes. Hunc ità celebrat Alexander III in litteris Canonizationis ad Ecclesiam Gallicanam: « B. Bernardus singularis gratiæ prærogativâ fultus, non solùm in se ipso sanctitate ac religione profulsit, sed etiam in universâ Ecclesiâ Dei fidei et doctrinæ lumine radiavit. Fructum verò quem in domo Domini et verbo operatus est et exemplo, nullus ferè terminus sanctæ Christinianitatis ignorat, cùm usquè ad exteras quoquè barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit. »

Sanctus autem Bonaventura: « Audisti, inquit, verba pulcherrima altissimi contemplantis et orationis dulcedinem degustantis Bernardi. Rumines ea si vis ut sapiant tibi... Ideò autem libenter ipsius verba in hoc opusculo intersero, quia non solùm spiritualia sunt et cor penetrantia, sed et decore plena, et ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit eloquentissimus, et spiritu sapientiæ plenus, et sanctitate præclarus, quem te desidero imitari, et ipsius monita et verba opere exercere; propter quod sæpè tibi propono eumdem. » (*Medit. Vit. Christ. c.* 36.)

Nec minùs in ejus laudibus effunditur S. Thomas Aquinas. Sic enim ait: « Fuit ergò os ejus vas pretiosum, os

» aureum, os gemmeum.... Vino dulcedinis inebriavit » totum mundum..... Aurum fuit Bernardus per voluntatis sanctitatem, multitudo gemmarum per morum » honestatem et virtutum multiplicitatem, vas pretiosum » per virginitatis puritatem. »

Hoc autem de S. Doctore epitaphium cecinit Adamus à sancto Victore :

« Claræ sunt valles, sed claris vallibus Abbas
» Clarior hic, clarum nomen in orbe dedit;
» Clarus avis, clarus meritis, et clarus honore
» Claruit eloquio, relligione magis.
» Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulchrum
» Clarior exultat spiritus ante Deum. »

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Innumeræ exstant S. Bernardi operum editiones, inter quas præcipuè commendantur : 1°. quæ an 1641 ex *Jacob. Merloni Horstii* recensione prodiit, sæpiùs deindè ad prælum revocata ; 2°. quæ omnium perfectissima, à *P. Chantelou* incœpta, et à *Mabillonio* deinceps confecta, à Benedictinis emissa est, cujus tres sunt distinguendæ recensiones, primis videlicèt curis an. 1666, secundis curis an. 1690, tertiis deniquè curis an. 1719. Ultima omnibus anteferenda est.

VERSIONES GALLICÆ.

1°. *Sermones cum opusculis* in Gallicum idioma translati sunt ab *Huberto Lescoto*, an. 1575.

2°. Iidem *Sermones*, adjunctis *Epistolis*, Gallicæ fidei redditi sunt à *Philippo Lebel*, an. 1622.

3°. *Sermones in Psalm.* 99, cum duobus S. Augustini in eumdem Gallicè prodierunt *Parisiis*, an. 1668. in-12.

4°. Deniquè ejusdem prodiit curante *R. P. Gabriele à S. Malachiâ* Gallica versio.

§ IX.

Petrus Venerabilis, anno 1156.

LATINUS.

Petrus Mauritius, cognomine *Venerabilis*, nonus Cluniacensis Abbas, nobili Arvernorum prosapiâ natus, à Mauritio patre et matre Rangarde in Cluniacensi monasterio Deo oblatus est; ubi religionis habitum, conferente Hugone, primo hujus nominis Abbate, junior induit. Sub Abbatis iterùm Pontii regimine, Viceliacensis Prior electus, tandem anno 1123 ipso die Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ Cluniacensis Abbas consecratus est. Post vitam humilitatis pietatisque operibus inter monasterii claustra deditam, anno 1156, ipso die quo Christus natus est in terris, in cœlis nasci promeruit.

Leguntur eo auctore: 1°. *Epistolæ* complures, sex libris divisæ, quorum ultimo inserti sunt duo tractatus, unus *contra Judæos*, alter verò *contra Petrobusianos.* Notanda maximè primi libri epistola 28, quâ, dùm causam Cluniacensium vindicare contra Bernardum nititur, vehementiùs in Cisterciense invehitur; 2°. *duo de Miraculis suo tempore patratis libri;* 3°. Sermo de *Transfiguratione;* 4°. particularis quædam *Epistola* contra illos qui Christum in Evangelio non perspicuè Dei nomine nuncupari delirant; 5°. *quædam Prosæ et Hymni de variis*; 6°. *Collectio* eorum, quæ, dùm Abbatis officium gereret, statuta fuerunt.

Non ineleganter solutâ oratione scribit, sed carminum laude minimè prædicandus videtur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Habentur omnia Petri Venerabilis opera separatim excusa an. 1552 *Parisiis*, et 1546 *Ingolstad.* Quæ etiam leguntur in ultimâ Patrum Bibliothecâ.

§ X.

Gratianus, *anno* 1157.

LATINUS.

Gratianus, Clusii in Etruriâ natus, Benedictinusque, ut ferunt, monachus in monasterio sancti Felicis Bononiæ, celeberrimam confecit decretorum à summis Pontificibus et in Conciliis sancitorum collectionem, quæ prima juris Canonici pars habetur. Opus illud anno 1151 consummavit, nec ità multò post circa annum 1157 defunctus perhibetur.

Gratiani opus ità benignè à primis exceptum est temporibus, ut subitò illud publicè interpretandum susciperent Canonistæ. In vetustioribus manuscriptis vocatur *Concordia discordantium Canonum*, quia opposita refert quæ inter se conciliaré nititur decreta; posteriùs verò *Decretorum liber*, vel simpliciùs adhùc *Decretum* appellatum est. Tribus partibus dividitur, quarum primâ, quæ de *Distinctionibus* dicitur, de Jure et Ministris Ecclesiæ disserit; secundâ, quæ inscribitur *de Causis*, plurimæ solvuntur et diversæ quæstiones; tertiâ demùm, quæ *de Consecratione* titulum præfert, de Officio Divino et de Sacramentis agitur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Plurimæ Gratiani editiones emissæ sunt, inter quas præcipuum tuentur locum, quæ *Romæ* an. 1582, 4 vol. in-fol., et *Lugduni* anno 1671, 3 vol. in-fol. excusæ sunt.

Celeberrimus autem *Antonius Augustinus* Episcopus Tarraconensis dialogos scripsit *de Emendatione Gratiani*, opus Gratianum legentibus necessarium, quod excusum est an. 1587 Tarraconi, et paucis abhinc annis *Parisiis*. Anno autem 1682 accuratior prodiit ejusdem editio à D. *Baluzio* confecta.

§ XI.

Petrus Longobardus, anno 1164.

LATINUS.

Petrus, parvo quodam vico prope Novariam in Longobardiâ, undè *Longobardus* dictus est, oriundus, partim emenso in celeberrimâ Bononiæ Academiâ studiorum curriculo, Gallicarum theologicâ famâ scholarum allectus, in Gallias discendi causâ se contulit, ubi sancti Bernardi primùm, deindè verò Gilduini sancti Victoris Abbatis munificentiâ sustentatus, ità brevì scientiâ inclaruit, ut in Academiâ Parisiensi, cujus Præses à scriptoribus coætaneis vocatur, docendæ præficeretur Theologiæ. Hìc cùm Doctores immixtâ fidei principiis Aristotelis philosophiâ, subtilioribus indulgere quæstionibus perspiceret, sanctorum testimonia Patrum, et maximè Beatorum Ambrosii, Hilarii, Hieronymi, atque Augustini, circà diversas inter Scholasticos agitatas quæstiones colligere, superpositâ *libri*

Sententiarum inscriptione aggressus est; undè *Magistri Sententiarum* nomen accepit. Quo quidem opere publicisque lectionibus cùm major in dies invalesceret fama, anno 1150 ad Episcopatum Parisiensem promotus est, locum humiliter cedente Philippo Parisiensi Archidiacono et Regis ipsius Ludovici Opimi filio, qui Pontifex priùs electus, pulcherrimo rarissimoque exemplo munus nimis sæpiùs expetitum ad digniorem transferendum curavit. Defunctus est anno 1164, et in ecclesiâ sancti Marcelli sepultus.

Scripsit præter *Sententiarum librum*, de quo jam anteà diximus, *Commentaria* in Psalmos, et in Pauli Epistolas, quæ ex sanctorum Hilarii, Ambrosii, Augustini, et aliorum commentariis excerpta tantummodò referunt.

Non eloquentia apud illum, sed doctrina quærenda est; totus in rescribendis Patrum testimoniis, vix aliquid quod à se inventum referat reperies. Unum ab Alexandro III reprehensum est verbum, paucaque à Facultate Parisiensi notata, à quibus vulgò discedendum putaret. Tantâ alioquin apud omnes auctoritate viguit, ut ejus libro, tanquàm solido fundamento, omnes ferè sive publicæ lectiones, sive theologici tractatus multis annis quodam modo insederint.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Separatim prodierunt Petri Longobardi opera, nempè:

1°. *Commentarii in Psalmos*, anno 1541, *Parisiis*.

2°. *Commentarii in S. Paulum*, 1535, *Ibidem*.

3°. *Liber Sententiarum* præcipuè anno 1647, *Ibidem*.

§ XII.

Richardus à Sancto Victore, anno 1173.

LATINUS.

Richardus à Sancto Victore, Hugonis suprà memorati discipulus, natione Scotus, monasterii S. Victoris Canonicus regularis primùm, deindè verò anno 1164 Prior electus, placidos vitæ solitariæ annos studium inter et orationem partitus est, plenusque meritis ad Deum transmigravit anno 1173.

Omnia ejus opera vel ad *Commentaria*, vel *ad Dogmaticos Tractatus*, vel *ad Moralia scripta* referuntur.

1°. *Commentaria* scripsit, quæ inter Hugonis à S. Victore opera excusa, Richardo tribuenda credimus, quibus adjunguntur quatuor critices aut historiæ in Scripturam tractatus cum allegoricis Commentariis in aliquot Psalmos, in Canticum Canticorum, in difficiliora S. Pauli loca, et deniquè in Apocalypsim. 2°. *Inter Dogmatica* deputantur *sex de Trinitate libri*, cum scripto ad D. Bernardum in idem argumentum; tractatus *de Incarnatione;* duo iterùm *de Emmanuële* tractatus; alter *de Potestate ligandi atque solvendi*; Oratio una *de Peccato contra Spiritum sanctum;* altera *de ipso Spiritu sancto;* liberque *de Peccati mortalis et venialis discrimine.* 3°. Ad moralia pertinent *plures de diversis Sermones*, cum tractatibus *de Mediis destruendi mali, de Hominis interioris Institutione, de Præparatione Animæ ad Contemplationem, de Gratiâ et Contemplatione, de Caritatis gradibus* etc.

In Theologicis tractatibus subtiliora quidem, sed rectâ nihilominùs et certâ methodo digesta prosequitur argu-

menta; nec indigni viderentur piissimi librorum moralium sensus, qui sublimiori quodam et magis virili exornarentur eloquio.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Excusa maximè leguntur Richardi opera, tùm *Coloniæ*, an 1621, tùm *Rhotomagi* anno 1650.

CAPUT XIII.

De sanctis Doctoribus et Scriptoribus Ecclesiasticis decimi tertii seculi.

Cum S. Bernardo vulgò Patrum series concluditur; sed aliquid nihilominùs operis integritati deesse videretur, si de magnis illis luminibus quæ decimum tertium Ecclesiæ seculum illustrârunt, penitùs loqui omitteremus. Undè communi insistentes ordini hoc insuper seculum explanare pergemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Appendix historica decimi tertii Ecclesiæ seculi.

§ I.

Regum Imperatorumque series.

HIEROSOLYMORUM IMPERIUM.

Pauca de Hierosolymorum Imperio dicenda supersunt. Mortuo enim an. 1205 *Amalario* II, *Joannes Briennensis* à Philippo Augusto Gallorum Rege Hierosolymorum solio

imponitur, cujus iterùm in Gallias recepti gener Fredericus II Imperator Palæstinam an. 1229 ingreditur, et post annum, relicto Duce Richardo, protinùs recedit.

An. 1239 *Radulphus* sanctam regionem propugnandam suscipit, sed et ipse brevì Gallicas repetit terras.

Anno demùm 1244, captâ Hierosolymâ à *Kharismianis*, sanctam civitatem non jam ampliùs recipiendam Occidentis bellatores amittunt; imò et expugnatâ à *Kalilo* Infidelium principe Acrâ civitate, penitùs à Palæstinâ expelluntur.

REGNA ET IMPERIA OCCIDENTIS.

IMPERIUM GERMANICUM.

Philippus Sueviensis, Frederici II tutor, cum *Othone* IV de Imperio disputat, quo anno 1206 debellato, sicarii gladio anno sequenti et ipse perimitur.

Otho IV, Philippi in imperio æmulus, anno 1210 à summo Pontifice anathemate percellitur, ac deindè à Gallorum Rege dejectus, anno 1218 absque liberis moritur.

Fredericus II, Romanorum Rex, post Othonis anathema, anno 1210 Germaniæ Imperator coronatur, sanctæ Terræ viam Cruce signatus ingredi à summo Pontifice sæpiùs anathemate perculsus, cogitur. Propter Entium, spurium filium, Sardiniæ Regem renuntiatum, novâ excommunicatione percellitur; initum anno 1244 cum Innocentio IV fœdus executioni mandare recusat, ideòque anno sequenti ab eodem Innocentio in Concilio Lugdunensi, generali XIII, deponitur; undè electis primùm *Henrico Respone* et deindè *Guillelmo* Hollandiæ Duce, pluriès bello cæsus, sed Ecclesiæ an. 1250 reconciliatus, vitæ finem imponit.

Guillelmus à præcipuis Imperii Principibus, anno 1247, electus cum Frederico filioque ejus Conrado IV decertat, illisque successivè defunctis, Imperium pacificus obtinet; sed dùm contra Frisones bellum gerit, anno 1256, mortem occumbit. Defuncto *Guillelmo* vacat aliquandiù Imperium. Anno 1270 *Radulphus* I à Principibus Imperii eligitur, nonnullisque habitis cum summo Pontifice circa Romandiolam dissidiis, anno 1291 Francofurti moritur.

Adolphus Nassoviensis, anno 1292 electus, propter acceptam ab Anglis pecuniam, omnium contemptui objicitur, annoque 1298 depositus, ab Alberto Austriensi, quem ejus loco suffectum pugnâ provocaverat, inter bellandum occiditur.

Albertus Austriensis, Radulphi Imperatoris filius, Helvetios libertatem affectantes armis subjugare conatur, sed anno 1308 à Joanne Austriensi gladio perimitur.

GALLIA.

Philippus II, cognomento *Augustus*, qui jam ab anno 1180 solio insidebat, cum Richardo Anglorum Rege bellum gerere pergit, dimissâque contra religionis jura uxore *Ingeburge*, cum toto Gallorum regno à sacris interdicitur. Cum Joanne Anglorum rege propter occisum Arthurem ità pugnat, ut maximam Normanniæ partem sibi vindicet; quo iterùm à summo Pontifice deposito, Angliam occupare, reluctante iterùm ejusdem Pontificis Legato, frustrà conatur. Othonem IV Imperatorem consertâ pugnâ devincit; Ludovicum filium ad occupandam Angliam, non obstantibus Romanis fulminibus, mittit. Anno tandem 1223, post 43 regni annos, tantis illustre victoriis tantisque exagitatum dissidiis imperium morte consummat.

Ludovicus VIII, cognomine *Leo*, Anglos maximâ Gal-

liarum parte expellit, Albigensesque insectatus, post plurimas urbes armis occupatas, morbo confectus, anno regni 3, Christi autem 1226 è vitâ decedit, triumphis simùl et virtutibus insignis.

Ludovicus IX, Regibus simul et Sanctis ascriptus, junior sceptrum obtinet, quod à Reginâ Blanchâ in pueri manibus fortiter sustentatur. Rebellantes Galliæ Principes jugo submittit; Anglos persequitur; Hierosolymam Cruce signatus petit; sed ab Infidelibus captus in carcerem dejicitur, undè datâ pecuniâ exiliens, ad bellum rursùs accingitur. Defunctâ matre, in Galliam redux, stabiliendis legibus, ædificandisque nosocomiis operam impendit. Anno autem 1270 Hierosolymam repetens, post primas victorias morbo peremptus, mortem obit, et in cœlum recipitur.

Philippus III, cognomine *Audax*, S. Ludovici filius, ex Africâ redux, regnum novis auget provinciis, motoque contra Petrum III Aragoniæ Regem bello, morbo correptus, extremum exhalat spiritum anno 1285.

Philippus IV, cognomine *Pulcher*, belld ferè semper occupatus, cum Bonifacio VIII disputat; seculoque sequenti moritur.

ANGLIA.

Anglia quæ magis in dies invalescebat, tribus Regibus, nempè *Joanne sine terrâ*, anno 1216, *Henrico* III, anno 1272, *Eduardo* I anno 1307 defunctis, totum occupat seculum. Angli Gallis semper infensi plurimùm hâc ætate cum illis decertârunt, quoadusquè à Galliâ penitùs expellerentur.

§ II.

Summorum Pontificum successio.

Innocentius III anno 1200 regnum Galliæ, propter dimissam à Philippo Augusto contra Ecclesiæ leges uxorem Ingeburgem, à sacris interdicit, eamdemque pœnam anno 1208 Anglorum regno imponit, cujus etiam Regem *Joannem sine terrâ* ab imperio anno 1212 deponit. Anno sequenti, bellum sanctum provocat non solùm datis litteris, sed et indicto Concilio Lateranensi IV, quod anno 1215 celebratum est. Moritur autem anno 1216 post 18 Pontificatûs annos. Huic tribuitur *Sequentia* Pentecostes: *Veni, sancte Spiritus;* etc.

Honorius III, Romanus, S. Dominici congregationem approbatione confirmat; Terram Sanctam Principibus Christianis liberandam proponit, et post 11 ferè Pontificatûs annos, anno Christi 1227 è vitâ decedit.

Gregorius IX, dictus anteà *Ugolinus*, Fredericum II Imperatorem bis anathemate perculsum, pacto fœdere, in gratiam recipit; quinque Decretales libros emittit in publicum, et Franciscum Assisinatem, Antonium Pataviensem, Virgilium Salisburgensem, Dominicum, atque Elisabeth, *Lantgravi* Thuringiæ viduam, Sanctorum albo inscribit. Anno Pontificatûs 15, Christi autem 1241, Domino restituitur.

Cœlestinus IV, vix electus, statim veneno forsitan confectus, morte abripitur.

Duobus ferè annis vacat Sancta Sedes.

Innocentius IV, Fredericum II Imperatorem, pacto fœderi infidum, in Concilio Lugdunensi I, generali XIII, damnat simul et à supremâ deponit potestate. Anno Pon-

tificatûs 12, Christi 1254, amissi juxtà Neapolim prælii dolore conficitur.

Alexander IV, rogante S. Ludovico, *Inquisitores*, ut aiunt, in Gallorum regno instituit, damnatoque *Guillelmo à sancto Amore* Mendicantibus Religiosis adversante, anno Pontificatûs dimidiante 7, Christi autem 1261, vitæ æternæ viam ingreditur.

Urbanus IV, obscuris natalibus oriundus, Sedem Apostolicam 3 annis, id est usquè ad annum Christi 1264 retinet: in ejus Pontificatu hæc duo præcipuè notanda, quòd bellum sacrum contrà Menfredum Neapolis Regem indixerit; *Corporisque Christi Festum* ab omni Christianorum gente ubiquè celebrandum instituerit.

Clemens IV Neapolis regnum Carolo, Andegavensi Duci, attribuit, summâque modestiâ commendandus 4 Pontificatûs anno, Christi 1268, mortem occumbit.

Tribus annis vacat Sancta Sedes.

Gregorius X, Lugdunensis anteà Canonicus, anno 1271 electus, ad sublevandas Terræ Sacræ calamitates, et conciliandam Ecclesiæ Romanæ Græcam Ecclesiam, Concilium generale XIV, Lugdunense autem II, anno 1274 celebrat. Duobus verò abhinc annis, id est, anno Christi 1276, Pontificatûs 4, ad Deum morte revocatur. Illo regnante, Cardinales, post summi Pontificis mortem, intra *Conclave* usque ad successoris electionem recludi jussi sunt.

Innocentius V, post quinque tantùm Pontificatûs menses, eodem anno evanescit.

Adrianus V electus, sed non consecratus, uno mense consummatur.

Joannes XXI, qui XX meliùs diceretur, hoc tamen numero notus, sivè propter Joannem Roberti filium inter summos Pontifices à quibusdam numeratum, sive propter alium pseudo-pontificem eodem nomine insignitum, post

8 Pontificatûs menses, prolabentis palatii ruinis obruitur, anno Christi 1277.

Nicolaüs III, postquàm Sancta Sedes sex mensibus vacâsset, electus, tertio Pontificatûs anno nondùm completo, subitaneâ morte abripitur anno Christi 1280.

Martinus IV, Turonensis, post magnos sex mensium tumultus, ad sacram evectus Cathedram, Michaëlem Palæologum Constantinopolitanum Imperatorem, tanquàm schismatis fautorem, Palermenses verò propter Gallorum cædem, quæ *Vesperæ Sicilianæ* dictæ sunt, Petrum deniquè III Aragoniæ Regem, cædis hujus auctorem, anathemate percellit. Anno autem Pontificatûs 4, Christi 1285, vitæ curriculum claudit.

Honorius IV duobus annis Pontificatum consummat, annoque 1187 morbo conficitur.

Nicolaüs IV, post 10 vacationis menses, invitus ad Pontificatum assumptus, sacrum bellum suscitare frustrà conatur, annoque Pontificatûs 4, Christi 1292, morte præventus, occumbit.

Duobus annis vacat Sancta Sedes.

S. Cœlestinus V, Petrus anteà *de Murone* dictus, anno 1294 eligitur, abjuratâque libenter Pontificali dignitate post sex menses, anno 1295, sanctissimè moritur.

Bonifacius VIII, S. Ludovicum Galliæ Regem inter Sanctorum numerum refert, et Jubilæum centesimo quoquè anno à Fidelibus Romam invisentibus promerendum primus omnium prædicat. Quæ cum Philippo pulchro disputavit seculo potissimùm sequenti eruperunt.



§ III.

Ecclesiæ adversarii in tertio decimo Ecclesiæ seculo.

Hi sunt præcipuæ qui Ecclesiam hoc seculo vexaverunt, nempè *Albigenses*, *Amalrici* vel *Aïmerii*, necnon et *Joachim Abbatis discipuli*, *Circumcelliones*, *Flagellantes*, *Fratricelli*, *Beguardi* et *Beguinæ*.

1°. *Albigenses*, ità dicti quia in Albigensi diœcesi præsertim invaluerunt, congestos Manichæorum, Petrobusianorum, Arnaldistarum et Valdensium errores profitebantur.

2°. *Amalricus* vel *Aïmerius* in pluribus Calvinistarum antesignani, Paradiso simul et inferno tanquàm fictis imaginibus illudebant.

3°. *Joachim Abbas* Naturam divinam à tribus Personis distinguebat, undè quaternariam Deitatem somniabatur. Ab uno ex ejus discipulis confectus est liber, cui titulus: *Evangelium æternum;* cujus deliramenta ab Alexandro IV reprobata sunt.

4°. *Circumcelliones*, id est *Vagabundi*, resuscitato Donatistarum errore, sacramenta à peccatoribus conferri non posse effinxerunt; undè ministerium in Ecclesiâ Romanâ extinctum asserere præsumebant, eò quòd summum Pontificem, cæterosque Episcopos et Sacerdotes vel hæresis, vel simoniæ, vel alterius cujusdam peccati labe infectos jactitarent.

5°. *Flagellantes*, ità dicti quia flagellis publicè carnem laniabant, eò dementiæ devenerunt, ut aliter peccata deleri non posse contenderent, culpasque sacramentaliter remittendi auctoritatem contra Divina Ecclesiasticaque jura sibi vindicarent.

6°. *Fratricelli*, *Beguardi* et *Beguinæ* quosdam monachos apostatas duces et apostolos sequebantur, qui sub obtentu vitæ spiritualis otio simul et libidini indulgebant; quorum errores à Manichæorum et Albigensium deliramentis præcipuè procedentes, ad recentiorum *Quietistarum* doctrinam proximiùs accedebant.

§ IV.

Concilia generalia decimi tertii Ecclesiæ seculi.

An. 1215 celebratum est Concilium Lateranense IV, generale XII, præsidente ipso Innocentio III; adfuêre 412 Episcopi, omnes Patriarchæ Orientales per se vel per legatos, permulti Abbates et absentium Prælatorum procuratores ultra 800, cum omnium Principum Christianorum legatis; undè Concilium illud magnum Lateranense appellatur. Actum est in hoc Concilio: 1°. de recuperandâ Terrâ Sanctâ; 2°. de variis, Albigensium præsertim, damnandis erroribus; 3°. de restaurandâ disciplinâ, conditis Canonibus 62, quos inter eminet ille qui circa annuam confessionem communionemque in ipso Paschate suscipiendam versatur.

An. 1245 habitum est Concilium Lugdunense I, generale XIII, præsidente Innocentio IV, præsente Balduino Constantinopolitano Imperatore Latino, astantibus autem 140 Episcopis. Convocatum fuisse videtur, tùm ad componendum Ecclesiæ Græcæ schisma, tùm ad suscitanda Christianorum arma contra Barbarorum invasiones, tùm ad punienda Frederici II Imperatoris crimina, qui et in tertiâ ultimâque actione depositionis sententiâ perculsus est.

Anno 1274 convocatum est Concilium Lugdunense II,

generale XIV, præside Gregorio X. Adfuêre Cardinales 15, Patriarchæ 2, Constantinopolitanus videlicèt et Antiochensis, Episcopi plusquam 500, Abbates autem et inferiores Prælati numero multi. Interfuerunt etiam Jacobus, Aragoniæ Rex, et Oratores sive Imperatoris Græci Michaëlis Palæologi, sive Regum Galliæ, Germaniæ, Angliæ et Siciliæ. Vocati sunt insuper plures Theologi doctrinâ et pietate insignes, inter quós eminent S. Thomas Aquinas, qui lethali ægritudine correptus est, dùm ad Concilium pergeret, et S. Bonaventura, qui, durante Concilio, Cardinalis et Episcopus Albanensis creatus, Lugduni obiit inter quartam et quintam sessionem Concilii. Hujus convocationis causæ fuerunt, tùm Græcorum reconciliatio, tùm bellum contra Saracenos, tùm disciplinæ restauratio, tùm regulæ pro eligendo celerrimè summo Pontifice instituendæ. Hìc coram Imperatoris Græci Oratoribus ter repetita sunt hæc verba: *Qui ex Patre Filioque procedit;* imò et illi palàm professi sunt Processionem Spiritûs sancti ex Patre et Filio, Purgatorii pœnas, et divinitùs concessum Romani Pontificis primatum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De vitâ et operibus sanctorum Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum decimi tertii Ecclesiæ seculi.

Hìc primam nostri operis partem absolvemus, disserendo breviter de vitâ et operibus *Petri Blesensis*, *S. Thomæ Aquinatis*, *S. Bonaventuræ*, et *Alberti Magni*.

§ I.

Petrus Blesensis, anno 1200.

LATINUS.

Petrus Blesensis, in Britanniâ natus, tùm Parisiis, tùm deindè Bononiæ studiorum curriculum emensus est, undè, cùm profanis inclaruisset doctrinis, totus ediscendæ Theologiæ incubuit; cujus doctorem habuit Joannem Sarisburiensem, Carnutensem Episcopum. Guillelmi II Regis Præceptor primùm, deindè verò Apocrysiarius, expulso Stephano, Perticensi Comite, Cancellario regni Panormensique Archiepiscopo, et ipse discedere coactus est. In Galliam reversus, ab Henrico II Rege in Angliam revocatur; undè Richardo Cantuariensi Episcopo, apud quem Cancellarii officio fungebatur, adhæsit. Non modò ad Henricum II, sed et ad Alexandrum Urbanumque III summos Pontifices, pro tractandis Cantuariensis Ecclesiæ rebus deputatus est. Cùm autem Henricus II è vitâ discessisset, apud Eleonoram, Anglorum reginam, aliquandiù commoratus, post Archidiaconatum Butoniensem, quo donatus primùm, posteà verò spoliatus fuerat, Londinensem pariter Archidiaconatum suscepit, ubi multùm quo laboraret, parùm autem, quo proficeret, invenit. Mortuus est in Angliâ anno 1200.

Hæc sunt quæ scripsit opera : 1°. *Epistolæ* 183, quarum plurimæ ad res Ecclesiasticas pertinent; 2°. *Sermones* 65; 3°. *Opuscula plurima*, inter quæ præcipuæ notantur *duæ Orationes*, una *de Transfiguratione Domini*, altera *de S. Pauli Conversione; Exhortatio* ad Principes Christianos ut Terræ Sanctæ opitulentur; duo Tractatus *de Confessione* et *Confessarii officiis;* liber *de Tribulatio-*

nibus, item *tractatus* de *Amicitiâ Christianâ, et Caritate erga Deum et proximum; Carmen de Eucharistiâ*, etc.

Abundant in ejus scriptis sivè sacrorum librorum, sivè Ecclesiasticorum profanorumque auctorum testimonia; verba verbis opponere quasi ludendo delectatur. Interrupta sententiisque referta dictio, nullo, nisi artificiosâ vocum dispositione, ornamento decoratur.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Prodierunt genuini Petri Blesensis sermones curante *Petro de Gussanvillâ*, an. 1667, *Parisiis*, in-fol.

§ II.

S. Thomas Aquinas, an. 1274.

LATINUS.

Thomas Aquinas, in Campaniâ circà finem anni 1226 nobili prosapiâ natus, à Landulfo patre, qui Theodoram Comitis Theatini filiam matrimonio duxerat, vix quinquennis, in montis Cassini monasterium missus est primis humanarum divinarumque disciplinarum principiis imbuendus. Neapolitanam deindè Academiam frequentavit, ubi Rhetoricæ doctrinam à Petro Martino, Philosophiæ verò à Petro Hiberno suscepit. Tobiam juniorem æmulatus, cùm alii juvenes mundanis voluptatibus indulgerent, vel Deo in Ecclesiâ, vel studio in cellulâ vacare malebat. S. Dominici discipulorum virtutibus allectus, vitam monasticam in Neapolitano Fratrum Prædicatorum monasterio vovere decrevit, sanctumque habitum, reluctantibus

frustrà parentibus, anno 1243, ætatis 17, induere minimè veritus est.

Hinc ut importunas parentum fugeret vexationes, Romam primùm translatus, Parisiòsque posteà directus, sed mediâ viâ à fratribus interceptus in Rupis-siccæ castellum deductus est, ubi annuam subiit captivitatem. Duas sorores, quæ primùm vehementer ejus institutum impugnârant, ità suis flexit sermonibus, ut sanctioris vitæ propositum et ipsæ amplecterentur. Fratres miseram subintroducere scortum non erubuerunt, quæ ejus virtuti insidiaretur; hanc autem intentato ardenti titione castissimus adolescens fugavit. Cùm nihilominùs invictus permaneret, per fenestram, sorore adjuvante, in sportâ demissus, Parisios primùm, deindè verò Coloniam, ubi Albertus Magnus docendo enitebat, studiorum curriculum perfecturus se contulit.

Tantum autem, sive humilitatis servandæ, sive insistendæ meditationis causâ, colebat silentium, ut à quibusdam stolidus haberetur, *bovis*que *muti* sæpiùs, vel *magni* scilicet *bovis* derideretur cognomine. Sed cùm aliquandò interrogatus intricatas magnâ solertiâ denodâsset quæstiones, tantam sui ipsius admirationem cunctis audientibus injecit, ut ipse stupens exclamaret Albertus : « Nos vocamus istum bovem mutum; sed ipse dabit talem in doctrinâ mugitum, qui in toto mundo sonabit. »

Eidem Alberto, qui anno 1245 *Sententias* expositurus à Capitulo generali Parisios mittebatur, Thomas adhæsit, illoque docente, studiis incumbere perseveravit usquè ad annum 1248, quo Coloniam repetente Alberto, ut de Theologiâ dissereret, repetiit et ipse Coloniam, ut, magistri in docendo socius, philosophiam codicesque sacros et *Sententiarum* librum explanaret. Non refrigescebat intereà pietatis ardor; quæ studium præcesserat, claudebat stu-

dium oratio. Maximâ præsertim erga sanctissimum Sacramentum devotione tenebatur, quæ, susceptâ Sacerdotii dignitate, ità crevit, ut nunquàm sacra tractaret Mysteria, quin accensâ facie, scintillantibusque oculis, imò et lacrymis aliquandò suaviter defluentibus, inflammatum amoris affectum testaretur.

Susceptum aliquandò verbi divini prædicandi munus tali velut æstu religioso complevit, ut omnes ad pietatem moveret, nec peccatores tantùm ad sanctiora deflecteret proposita, sed Judæos etiam ipsos ad Christianam veritatem alliceret. Quam autem aliis conferebat salutem valuit et suis conferre. Illo enim promovente, sororum una vitam monasticam amplexa est, altera verò reliquum vitæ tempus in sancto exegit connubio, materque lacrymis insanæ caritatis eluit errata. Quin et ad fratres divina producta est gratia, quibus Frederici II Imperatoris vexationibus aliquandò exagitatis Christianam mortem obire tandem misericordia divina concessit.

Eodem circiter tempore Anagniam ad summum Pontificem se contulit, ut cum Alberto magno, sanctoque Bonaventurâ Monachorum causam propugnaret, contra Guillelmum à sancto Amore, cujus librum *de posteriorum temporum Periculis* Apostolico fulmine percutiendum curaverunt.

Anno 1252 Thomas rursùs Parisios mittitur, ut publicas haberet Theologiæ lectiones, quibus magis ac magis inclaruit; à Doctorali tamen laureâ aliquandiù prohibitus est propter exorta Regulares inter et Seculares dissidia; quibus deniquè compositis, Doctoris gradum anno 1257 jubentibus Præsidibus ascendit; annoque sequenti divergentibus inter se de *Eucharisticis accidentibus* Parisinis Doctoribus, lis ad hujus solius, licèt junioris, judicium delata est.

A sancto Ludovico sæpiùs in aulam accersitus, nun-

quàm à religiosâ recedebat modestiâ, quanquàm regiæ sæpiùs mensæ assideret. Fertur autem, quòd cùm quâdam die regali convivio interesset, novorum quos impugnabat Manichæorum confutationi intentus, subitò mensam percutiens exclamaverit : *Conclusum est contra Manichæos.* Quod dùm à Priore monitus apud Regem excusare nititur, argumentum, jubente Rege, à scribâ carthæ mandatur, ne fortè memoriâ excideret.

Interfuit anno 1259 Capitulo Ordinis generali, ubi cum Alberto magno, tribusque aliis Docteribus plura circa studiorum disciplinam statuere jussus est. Romam anno 1261 ab Urbano Papâ IV vocatus, Theologiam pari famâ docuit. Ad Episcopatum sæpiùs ab eodem Pontifice postulatus, constanter recusavit, monasticamque humilitatem Ecclesiasticis prætulit dignitatibus. Publicas intereà conciones habere non desistebat, quibus tales aliquandò eliciebat fletus, ut sermonem intermittere cogeretur.

Cùm Neapoli paululùm moraretur, visus est supra se raptus coram Crucifixo, cujus ore hæc verba procedebant: *Benè scripsisti de me, Thoma, quam mercedem accipies?* Cui respondit: *Non aliam, nisi te, Domine.* A sextâ Decembris die anni 1273, usque ad septimam Martii anni sequentis, quâ mortuus est, nullam sive loquendo, sive scribendo Theologicorum mentionem pati voluit, annosque æternos in mente tantùm habere proposuerat, cùm jubente Gregorio X arma rursùs induere compellitur, ut Lugdunensi Concilio generali doctrinæ præberet auxilium. Infirmâ licèt valetudine statim profectus, ingravescente morbo, in monasterium Fossanovense Ordinis Cistersiensis in Diœcesi Taracinensi divertere coactus est. Quam ingrediens his Psalmistæ verbis salutavit : *Hìc requies mea in seculum seculi.* Lecto addictus, sæpiùs hæc B. Augustini dicta revolvebat : « Hei mihi, Domine, miserere meî,

» hei mihi! Ecce vulnera mea non abscondo, medicus es » æger sum, misericors es, miser sum. » (Confes. lib. 10. c. 28.) Urgentibus Fossæ-novæ Monachis, ut Canticum Canticorum Bernardi morientis exemplo explanaret, respondit: *Date mihi Bernardi ingenium, et vobis faciam satis.*

Postulatis tamen annuens, parvam libri hujus expositionem à scribâ colligendam dictavit. Hinc factâ generali totius vitæ exomologesi, modò levia deflere delicta, modò divinam exaltare misericordiam non intermittebat, cui *debere* et *quod non fecerat* malum profitebatur. (*S. August.*)

Cineri impositus ultimum suscipere voluit Christiani Viaticum, visâque sanctissimâ hostiâ, profusus in lacrymas ad præsentiam Dominici corporis, et assuetâ amoris Dei dulcedine liquefactus, hæc verba protulisse refertur: « Ego de sanctissimo corpore Domini nostri Jesu Christi » et aliis Sacramentis multa docui, multa scripsi in fide » Jesu Christi et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus correc» tioni cuncta subjicio. » Recepto deindè Viatico, cæterisque Ecclesiæ Sacramentis dulci pace compositus hæc identidem referebat: « Satiabor cùm apparuerit gloria tua, » inebriabor ab ubertate domûs tuæ, et torrente volup» tatis tuæ potabor. »

Cùm circumstantes lacrymis perfusos aspiceret, se mortem ut lucrum libenter amplecti testatus est, et ingerente quodam hoc maximè dolendum esse, quòd in Concilio Lugdunensi Ecclesiæ adversarios debellare non posset, protinùs hæc subjunxit humilitate plena: « Semper à Deo » hanc gratiam expostulavi, ut mihi humili simplicis » monachi ritu mori concederetur, eique nunc gratias » ago quòd preces exaudire voluerit. Cùm me adhùc » juniorem ad præmia æterna convocet, gratiam mihi » concedit, quam multis fidelibus servis abnegâsse vide-

» mus; ne ergò propter maximè lætantem contristari » velitis. »

Sic actis Fossæ-novæ Abbati Monachisque gratiis, septimâ die Martii, anno Christi 1274, ætatis autem 48, in pace Domini obdormivit. Clarus miraculis, à Joanne XXII Sanctorum Albo ascriptus est; jussuque Urbani V, brachium ejus dextrum Parisios, reliquum corpus Tolosam translatum fuit. Pius autem V anno 1567, ejus festum eodem ritu, quo quatuor præcipuorum Ecclesiæ Occidentalis Doctorum, Ambrosii videlicèt, et Augustini, et Hieronymi et Gregorii Magni solemnitates, celebrandum fore præcepit.

Omnia B. Thomæ opera ad quatuor ordines possunt revocari, nempè ad Philosophiam, ad Theologiam, ad Scripturam sacram, et ad Opuscula quædam miscellanea.

I°. Plura scripsit de Aristotelis philosophiâ, quem à Tertulliano *hæreticorum Patriarcham* nominatum, ità Catholicæ veritati accommodavit, ut plura ex ejus philosophiâ erueret, quibus, destructâ impietate, astruatur Religionis integritas. In his, quibus quinque prima operum volumina conficiuntur, maximè agit contra Arabiæ et Hispaniæ Saracenos, qui Græci philosophi principiis nimiùm indulgentes, ultra modum delirabant.

II°. Ad Theologiam pertinent: 1°. *Commentarii* in quatuor Magistri Sententiarum libros; 2°. *Theologiæ Summa*, quæ ità ab omnibus Sacerdotibus pervolvi debet, ut nullâ nunc laude indigeat; 3°. *Summa contra Gentiles*, quam postulante sancto Raymundo de Pennafort conscripsit, ut Hispanis concionatoribus argumenta ad Judæorum, Saracenorumque conversionem suppeditaret.

III°. Leguntur pariter in ejus scriptis, *Commentarii in maximam sacræ Scripturæ partem*, inter quos præsertim eminent quos ad Epistolarum B. Pauli explanationem

composuit. Illi autem, teste sancto Antonino, malè tribuerentur in Genesim Machabæorumque libros commentarii.

IV°. *Opuscula* circa diversa versantur argumenta. In his occurrunt quædam de Græcorum schismaticorum erroribus, quædam de Philosophiæ, vel Theologiæ difficultatibus, quædam de Symbolo, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione Dominicâ, de Angelicâ Salutatione, etc. In omnibus quæ circa pietatem versantur Opusculis, totam interiorem Christiani vitam ad hæc duo referre solet : 1°. ut coërcitis undequaque cupiditatibus, destruatur superbiæ amorisque creaturarum inordinati imperium; 2°. ut orationis frequentiâ perfectâque erga divinam voluntatem obedientiâ, in animi præcordiis divini amoris incendium inflammetur.

Ad hæc referri quoquè potest celebre illud officium quod jussu Urbani IV, de sanctissimó Eucharistiæ Sacramento ità ordinavit, ut Theologiæ rectitudini pietatis æstus suaviter adjungatur; de quo *Santolinus* dicere solebat se sua cuncta libentèr commutaturum carmina cum hâc unâ B. Doctoris strophâ :

« Se nascens dedit socium,
» Convescens in edulium,
» Se moriens in pretium
» Se regnans dat in præmium. »

Miretur aliquis quomodò tantos in tam brevi vitâ labores explere valuerit ; hoc mihi multò magis mirandum videtur, quòd inter tam diversa opera nihilò pietatis affectu unquàm remiserit. Hoc certè perfectioris vitæ præmium; hoc Sancti hujus privilegium, qui nunquàm se lectioni aut scripturæ dabat, nisi post orationem, ad quam in exponendis diffi-

cilioribus Scripturæ locis jejunium adhibebat, dicere solitus, quidquid sciret non tam se studio et labore suo reperisse, quàm divinitùs traditum accepisse.

Sancti Thomæ opera vastum arguunt profundumque ingenium ; acris judicii exquisitam rectitudinem nitidus concinnusque simul ubiquè ostendit; sive fidei documenta stabiliat, sive objectas dissolvat difficultates, rarò superest quod dictis superadhiberi potuisse videatur. Perfectissimum fortè evasisset Theologorum exemplar, si ex unâ parte purius magisque virile flueret eloquium, ex alterâ verò res ipsæ quæ dicuntur non innumeris illisque vel inutilibus, vel alienis non implicarentur disquisitionibus; quanquàm et illa ex concertationibus Ecclesiasticis exurgat utilitas, quòd discipulos ad asseranda quæcumque proferuntur argumenta, non solùm Logicæ regulas adhibere, sed et Scripturæ sacræ testimonia, et Conciliorum Canones et sanctorum Patrum doctrinam meditari cogantur. Quòd si prætereà in memoriam revocemus tot tantaque à D. Thomâ fuisse inventa, cùm tenebris adhùc Ignorantiæ terram involventibus, rudem et ferè inexcultum novo operis genere exercendum aggrederetur campum, non difficilè patebit illum jure habendum esse tanquàm excellentissimi ingenii virum, qui, divinitùs ad illustrandam Scholam excitatus, *Angelus Scholæ, Doctor Angelicus, Theologorumque Aquila* cognominari jure promeruit.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Plures confectæ fuerunt S. Thomæ editiones, inter quas maximè memorandæ : 1°. quæ *Romæ*, an. 1570, 18 tom. in 17 vol. in-fol., curante *Thomâ Maurico* excusa est; 2°. quæ *Antuerpiæ* lucem vidit, 12 vol. in-fol.; 3°. quæ ex *Patris Nicolaï* recensione emissa est, 19 vol. in-fol.; sed Romana anni 1570 cæteris anteponenda videtur.

Seorsim excusa est *Summa Theologiæ Coloniæ*, anno 1639, 10 vol. in-12; et iterùm *Parisiis*, an. 1663, per *Joan. Nicolaüm*, 2 vol. in-fol.

§ III.

Sanctus Bonaventura, *an.* 1274

LATINUS.

Sanctus Bonaventura, *Doctor* cognomine *Seraphicus*, propter ardentem pietatis affectum, Balneo-Regio in Etruriâ ortus est Joanne Fidenzâ patre, et matre Mariâ Ritelli, an. Christi 1221. Joannis nomini, quod ex Baptismo susceperat, Bonaventuræ nomen ideò substituit, quòd moriturus Franciscus Assisinas, cujus precibus quatuor annos natus à gravi morbo convaluerat, viso illo, prænuntiatisque futuris divinæ Gratiæ in ejus corde prodigiis, vatum more exclamaverit: *O buona ventura*, quod Italicè dictum, Latinè vertitur: *O felix eventus*. Hinc Bonaventuræ nomen; hinc etiam ab ipsis incunabulis Deo à matre devotus, ità in litteris simùl et pietate profecit, ut non minùs virtutum excellentiâ, quàm ingenii perspicaciâ, ipsis etiam magistris admirationem injiceret.

Vix ætatis annum vigesimum secundum attigerat, cùm sancti Francisci Religionem, concessi beneficii memor, professus est, habitumque monachi an. 1243 suscepit ab Haymone, Ordinis tunc Præfecto generali. Indè Parisios missus est, ut studiorum cursum compleret, disserente celeberrimo Alexandro Alensi, qui *Irrefragabilis Doctor* cognominabatur; quo anno 1245 defuncto, Joannem Rupellensem discipulus audivit. Non autem *scientiâ quæ inflat* imminuta *quæ ædificat pietas;* orationi assiduus, Christi maximè plagarum meditationi insistebat, dicere solitus,

se in Crucifixo doctrinarum omnium fontem invenisse, nec aliud scire velle quàm *Jesum Christum et hunc crucifixum*. Sacerdos factus, non sinè lacrymis sacra perficiebat mysteria, orationemque illam composuit quam ab his verbis incipientem : *Confige, dulcissime Domine*, omnibus, qui ab altari recedunt, sacerdotibus universalis commendat Ecclesia. Necessarium presbyteris concionandi officium amplexus, sacrumque quo spirabat ignem cunctis audientibus infundere efficax, quo magis in sacro munere quotidiè proficeret, librum, cui titulus *Pharetra*, utilissimum conscripsit, quo præclaras sanctorum Patrum sententias colligere curavit.

Eodem tempore docendi munus primùm intra monasterii claustra, deindè in ipsâ, ut aiunt, Universitate, licèt annum tantummodò ageret vigesimum tertium, maximâ cum laude suscepit. Anno 1256 doctoralem lauream unà cum S. Thomâ adeptus, non nisi de infimo loco contendit, quem illi tandem concedere Thomas coactus est. Cùm autem Theologiam Parisiis doceret, Minister generalis septimus post sanctum Franciscum electus, Ordinem in Provincias Custodiasque divisit, dissidentesque fratres ad pacem simùl et disciplinam revocavit, inter multiplices curas nil de consuetis exercitiis remittens.

An. 1265 oblatum sibi à Clemente IV Eboracensem in Angliâ Archiepiscopatum recusavit; cùm verò an. 1272, Cardinalibus de eligendo Papâ disputantibus auctor fuisset, ut Thibaldum Leodiensem Archidiaconum eligerent, ab illo, qui Gregorii X nomen accepit, Ecclesiæ Albanensi præfectus est, et in Cardinalium collegium cooptatus.

Hâc ille amplissimâ dignitate auctus, Romam evocatur, jubeturque in Concilio generali Lugdunensi secundo, verba coràm omnibus facere, præsidente summo Pontifice, circumsedentibus quingentis Episcopis septuagintaque

Abbatibus, præsente tandem Jacobo Aragoniæ Rege, Michaëlisque Palæologi aliorumque Principum legatis. Congregato interim Ordinis sui Capitulo, supremam generalis Ministri dignitatem abdicavit, redeuntibusque ad Unitatem Græcis antequàm moreretur, gavisus est. Post quartam enim ejusdem Concilii actionem in morbum incidit, susceptoque ab ipso summo Pontifice Extremæ Unctionis Sacramento, Crucem manu tenens, oculisque sedulò contemplatus, migravit è vitâ anno Christi 1274, ætatis verò 53, die julii 14, inter Sanctos à Sixto IV, inter Doctores autem Ecclesiæ à Sixto V deputatus.

Scripsit : 1°. plures in veteres Scripturas et in Evangelia *Commentarios*; 2°. *Sermones* de Tempore et de Sanctis; 3°. in Magistrum sententiarum *Commentarios*; 4°. *Moralia Opuscula* ad informandos Christianorum aut Religiosorum mores; 5°. Monachorum B. Francisci nonnullas *Defensiones*; 6°. deniquè *Theologiæ opera quædam*.

Tanta in omnibus relucet pietas, ut legi non possent, quin divini amoris ardor in ipsis animi penetralibus accendatur. Hæc de illius scriptis habet Gersonius : « Si quæratur » à me, quis inter cæteros Doctores plus videatur idoneus, » respondeo sine præjudicio, quòd Bonaventura, quoniam » in docendo solidus est et securus, pius, et justus, et » devotus.Ettereà recedit à curiositate, quantùm potest, » non immiscens propositiones extraneas, vel doctrinas se» culares, dialecticas aut physicas, terminis theologicis » obumbratas, more multorum. Sed dùm studet illumina» tioni intellectûs, totum refert ad pietatem et religiosita» tem affectûs; undè factum est ut ab indevotis Scholasticis, » quorum proh! dolor! major est numerus, ipse minùs » extiterit frequentatus; cùm tamen nulla sublimior, nulla » divinior, nulla salubrior atque suavior pro Theologis sit » doctrina. Quantò deniquè diligentiùs in senectute meâ

» sum revolutus ad studium ipsius, tantò facta est ampliùs » confusa garrulitas mea, dixique mecum : Sufficit hæc » doctrina, ut quid stulto labore consumeris? Quid dictas? » Quid scribis? Multiplicentur potiùs et transcribantur » opera Doctoris istius, de quo verè dicitur illud Christi » de Joanne : *Erat lucerna ardens et lucens.* » (Lib. de Exam. Doct. part. 1.)

Idem circiter refert Trithemius : « Eustachius, qui et » Bonaventura, de Balneo-Regio natus, Ordinis Fratrum » Minorum Minister generalis, ac deindè Episcopus Albanensis, et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, » Alexandri de Alis quondam auditor et discipulus, vir divi- » nis Scripturis eruditissimus et seculari philosophiâ nobi- » liter doctus, ingenio subtilis et clarus eloquio, vitâ et » conversatione devotus atque sanctissimus; cujus inge- » nium, dotem naturæ, et vitæ puritatem præceptor ejus » Alexander contemplans dicere solebat : *In Fratre Bona-* » *venturâ Adam peccâsse non videtur*; scripsit multa, et » profunda, et devotissima opuscula, quibus ardentia verba » proferens non minùs affectum legentis in Christi amore » accendit, quàm intellectum doctrinis sanctis illuminat. » Omnes enim sui temporis Doctores utilitate operum » facilè præcellit, si spiritum divini amoris et Christianæ » devotionis in eo loquentem attendas. Profundus est, non » verbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non vanus; » flammantia, non inflantia verba proferens. Undè secu- » riùs legitur, faciliùs ab amante intelligitur, utiliùs fre- » quentatur, dulciùs et fructiosiùs retinetur. Multi doctri- » nam proferunt; devotionem prædicant multi; pauci » scribendo libros docuerunt utramque. Bonaventura au- » tem et multos superavit et paucos, dùm ejus doctrina » devotionem, devotio instruit doctrinam. Si ergò et doc-

» lus vis esse et devotus, illius opusculis esto intentus. »
(*De Script. Eccles.*)

Sanctus deniquè Antoninus : « Bonaventura, sicut et in
» luminibus scientiarum, et maximè in Scripturis sanctis
» videbatur mirâ capacitate proficere, ità et in devotionis
» gratiâ continuum sumebat gratiæ incrementum; siqui-
» dem omnem veritatem quam percipiebat intellectus, ad
» formam orationis et laudationis divinæ reducens, conti-
» nuo ruminabat affectu... Intellectûs ejus perspicacitatem
» omnia opuscula ejus redolent iis, qui divinam scientiam
» requirentes, hanc libentiùs quàm vanitatem Aristoteli-
» cam venerantur. » (*Ant. Part.* 3. *Chr. lib.* 24. *c.* 8.)

Undè concludendum est minimè negligendam esse concionatori, qui non eloquentiam tantùm, sed pietatem ambit in dicendo, S. Bonaventuræ operum lectionem.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Sancti Bonaventuræ opera collecta sunt : 1°. octo voluminibus *Romæ* excusis anno 1558; 2°. septem *Lugduni* iterùm prælo mandatis.

Nullam extare Bonaventuræ versionem Gallicam satis mirandum videri potest, cùm multa sint quæ ad pietatem maximè valerent conferre.

§ IV.

Albertus Magnus, anno 1282.

LATINUS.

Albertus, cognomine *Magnus*, non propter ingenii, ut vulgò creditur excellentiam, sed propter insitum fami-

« Quæ dixêre tuis consona sensibus,
» Nostris illa, Deus, cordibus imprimas :
» Quos terris colimus, quos sequimur duces,
» Fac nos moribus assequi. »

Sic oratione simùl et labore, in doctrinæ citò eloquentiæque viam promoti, vel debellatis Ecclesiæ adversariis, vel conversis ad meliora peccantibus, victoriæ carmen ovantes ingeminare poterimus :

« Vicerunt stygias hi quibus hæreses,
» Hæc nos accipimus tela superstites :
» His pugnamus adhùc, nec dubio exitu,
» His armis quoque vincimus. »

Quæ quidem victoria ut certior faciliorque evadat, ad evolvendos sanctorum Patrum in concionando ritus, referendaque illorum de prædicatione præcepta nunc deveniendum videtur. Hæc autem in secundo volumine perficienda relinquimus.

FINIS PRIMI VOLUMINIS.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

ERRATA.

Pagina 52. Lin. 1. Oberthiir, lege Oberthür.
59. Lin. 9. S. Sixtus I, lege II.
179. Lin. 2. Silburgi, lege Sylburgii.
220. §. III. lege §. IV.
276. Lin. 30. Nestoriana blasphemia, lege Nestorianæ blasphemiæ.
289. Lin. 4. ferenda, lege ferendi.
327. Lin. 6. Aribertus, lege Aritbertus.
359. Lin. 19. Arnoldus, lege Arnulphus.
367. Lin. 3. Theodoram, lege Theodoten.
432. Lin. 21. ibidem. Cluniaci, lege ibidem Cluniaci.
Ubicumque scribitur Præsbyter, lege Presbyter.

Annotat. Cap. iii, Articul. ii, § 2, pag. 65 et seqq., ubi de Clemente Alexandrino loquimur, doctissimo Scriptori *sancti* titulum non satis benè indulsimus, cùm summus Pontifex Benedictus XIV solemniter pronuntiaverit ejus nomen Martyrologio romano non esse inserendum, tùm propter antiquitatis ecclesiasticæ silentium, quæ rarò *sanctum* illum appellat, tùm propter scaturientes in ejus Operibus graviores hinc et indè errores. Cui sententiæ adhærentes, rogamus Lectorem, ut detracto *sancti* nomine, ubiquè Clementem Alexandrinum legat.


3 2044 069 681 898



